


BIBLIOTECA VITT. EMANUELE
FONDO BORENSE
37
16 B
19



BIBLIOTHECA MANUALIS ECCLESIÆ PATRUM

COMPLECTENS

Illorum vitæ, & gestorum breviarium: Operum Synopsim: Illustriora testimonia Dogmata, Mores, Disciplinam spectantia, & selecta Vitæ spiritualis documenta.

OPUS

GALLICE EDITUM

A D. PETRO JOSEPHO TRICALETIO


PRESBYTERO, ET DOCTORE IN UNIVERSITATE VESONTIENSI,

LATIO DONATUM

NOTISQUE BREVIORIBUS ILLUSTRATUM

AB EUDOXIO PHILENIO S.T. PROFESSORE.

TOMUS SEXTUS.


BASSANI, MDCCLXXXIII.

SED PROSTANT

VENETIIS APUD REMONDINI.

Superiorum Permissu, ac Privilegio.

IN HOC

SEXTO TOMO

SEQUENTES CONTINENTUR

ECCLESIÆ PATRES



TABULA

CAPITUM, ARTICULORUM, ET SUMMARIORUM

HUJUS SEXTI VOLUMINIS.

CAPUT XXIII.

S. Prosper Aquitanus, Ecclesiæ Doctor.

ARTICULUS I.

ARTICULUS II.

Re-

CAPUT XXIV.

Theodoretus, Cyri Episcopus, & Ecclesiæ Doctor.

ARTICULUS I.

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

De

ARTICULUS IV.

CAPUT XXV.

S. Leo Papa Cognomento Magnus, Ecclesiæ Doctor.

ARTICULUS I.

AR-

ARTICULUS II.

Epi-

ARTICULUS III.

De

ARTICULUS IV.

De

Per

CAPUT XXVI.

S. Cæsarius Arelatensis Episcopus, Ecclesiæ Doctor.

ARTICULUS I.

Nova

ARTICULUS II.

ARTICULUS III.

ARTICULUS IV.

Ignis




BI-

BIBLIOTHECA MANUALIS PATRUM ECCLESIÆ.

CAPUT XXIII.

S. PROSPER AQUITANUS,

Ecclesiæ Doctor.



ARTICULUS PRIMUS.

S. Prosperi Vitæ Breviarium.

S. PROSPER in Aquitania Provincia natus est, unde & Aquitanus dictus, qua vero in parte amplissimæ illius regionis, quave in urbe natus, omnino non constat; natalis quoque ignoratur annus, qui tamen communiter statuitur quadringentesimus tertius. Fuit ornatus Poeta, Orator disertus, eximius Theologus, &, quo præ cæteris eminet titulo, studiosus S. Augustini defensor, & fidissimus discipulus. S. PROSPER. Ejus origo.

Ex Aquitania migravit Prosper, fortassis Barbarorum fugiens sævitiam, & Dei nutu in Provinciam deductus, ac forte Massiliæ morabatur, cum eo delatus fuit S. Augustini liber *de Correptione & Gratia* ab eo elucubratus, ut nonnullas solveret difficultates inter illius Urbis fideles exortas occasione librorum, quos contra Pelagianos conscripserat. Arbitrabantur siquidem nonnulli, eisque videbatur Augustinus de electorum vocatione doctrinam tradidisse communi Ecclesiæ sensui plane contrariam. Gratiæ doctrinam vindicat anno 428. vel 429.

Ruffinus Prosperi amicus rumoribus iis, qui de erroribus familiari suo affictis disseminabantur, commotus litteras ad eum dedit, ut de veritate certior fieret. Ad eum rescripsit Prosper fusissimam epistolam, pandens plenissima veritate omnia quæ tum de Augustino, tum De S. Augustino ad Ruffinum scribit.

S. PROSPER.

no, tum de ipsius Discipulis ad conflandam invidiam ferebantur, referebanturque; in quibus accusatores ipsi versarentur erroribus, ostendit, & veram Augustini de gratia, & libero arbitrio doctrinam exponit, & tuetur.

Romam pergit circa annum 431.

Accusati in eadem epistola a Prospero Semipelagiani, quod sua detegere sensa formidarent, ut hanc criminationem repellerent, nonnulla vulgarunt scripta, queis tamen non tam suam de gratia mentem explicabant, atque doctrinam, quam illam Augustini carpebant, pluribus inde deductis pravis, falsisque consecutionibus. Dum vero Augustinum erroris insimulare non desinebant, profitebantur tamen se ea tantummodo sequi, & probare velle, „ quæ Sacratissima Beati Apostoli Petri Sedes contra inimicos gratiæ Dei „ per ministerium Præsulum suorum sanxerat, & docuerat " (a). Quare ad Apostolicam Sedem recurrerunt Prosper, & Hilarius (1), & Romam profecti querelas suas ad Cælestinum Pontificem detulere. Hic eorum circa Deum sollicitudinem laudavit, & de afflictione, qua premebantur, tristabatur, ideoque celebrem ad Galliarum Episcopos dedit Epistolam, & præsertim ad Venerium Massiliensem Episcopum, in cujus urbe nata erant dissidia. Cæteri vero Episcopi in titulo Epistolæ nuncupati erant Leontius Forojuliensis, Marius, sive Marinus, Auxentius, Filtanius sive Philtatius Aptojuliensis. Illos autem arguit, quod taciturnitate sua scandala foverint ab hostibus gratiæ excitata, nec eos pro virili repressserint; & S. Augustini famam his verbis tuetur: " Augustinum sanctæ recor- „ dationis virum pro vita sua atque meritis in nostra communione „ semper habuimus, nec unquam hunc sinistræ suspicionis saltem „ rumor aspersit, quem tantæ scientiæ olim fuisse meminimus, ut „ inter Magistros optimos etiam a meis semper Decessoribus habe- „ retur. Bene ergo de eo omnes in commune senserunt, utpote „ qui ubique cunctis & amori fuerit, & honori. Unde & resi- „ stendum talibus, quos male crescere videmus. Ergo corripiantur „ hujusmodi: non sit liberum his pro voluntate habere sermonem " (b). Huic Epistolæ, quæ, ut manifeste apparet, conscripta fuit post Augustini mortem, videlicet anno 431., vel initio subsequentis, in quo ad Beatorum sedes migravit Cælestinus, decem connectuntur Capitula, quæ responsionis loco erant hæreticis illis, qui se Sedis Apostolicæ definitionibus assensuros profitebantur.

Adversus Collatorem scribit circa annum 432. vel 433.

Delatæ in Gallias Cælestini litteræ minime tanto pondere auctoritatis turbas comprimere valuerunt. Cum enim Augustini doctrinam ac fidem verbis generalibus tantum laudasset, probassetque Cælestinus, *& librorum, pro quibus in Epistola Papæ actum est, non expressus esset titulus* (c): nec speciatim libris ab eo novissime scri-

(a) *Op. S. Prosp. p. 156. T. 1.*
(1) Hilarius Laicus homo fuit; ejus tamen originis locus ignoratur.
(b) *Tom. 1. pag. 150.*
(c) *Pag. 120. Tom. 1.*

me scriptis speciale discretumque perhibuisset testimonium, audebant gratiæ hostes inferre, eos minime apparere approbatos; Augustinum proinde calumniis proscindere, gratiam ab eo male defensam clamare, *pacemque victricis Ecclesiæ inquietare* (*a*) non desierunt. Cumque hi rumores ab iis spargerentur, *qui speciem habebant pietatis, & quorum nec ordo in Ecclesia, nec ingenia despicienda videbantur, trahebant ad se multos ineruditos, & non habentia spirituum discretionem corda conturbabant* (*b*), adductus fuit S. Prosper, ut eorum conatibus iterum obsisteret, & illatam tum Augustino, tum Sedis Apostolicæ Pontificibus, qui Augustini dogmata sua fecerunt, injuriam propulsaret. Cassianus solus errores cum cæteris Massiliensibus Presbyteris sibi communes vulgavit, scriptisque docuit, nimirum Collatione sua tertia decima, quæ inscribitur *de protectione Dei*. Contra hunc itaque scripsit Prosper, ostendens quantum ille ab Ecclesiæ dogmate discreparet, & ejusdem recitatis verbis, ejus errores pandit & confutat. **S.PROSPER.**

Vita functo Xisto Summo Pontifice, Romana Ecclesia ejus loco ad Summum Pontificatum assumpsit S. Leonem, tunc in Galliis pacis inter Aetium, & Albinum conciliandæ gratia versantem. Hic S. Pontifex Romam ex Galliis veniens Prosperum nostrum una secum adduxit, cujus consiliis forsan uteretur, & calamo, interrogantibus, & consulentibus Ecclesiis responsa daturus. Ibi obiisse creditur circa annum 463. **Romam revertitur cum S. Leone ann. 448. ibique moritur anno 463.**

S. Prosperi quæ extant Opera, hæc sunt: Epistolæ duæ, una ad S. Augustinum, altera ad Ruffinum: Carmen de Ingratis: In Obtrectatorem Augustini Epigrammata duo: Epitaphium Nestorianæ, & Pelagianæ hæresis: Responsiones ad Capitula Objectionum Gallorum: Ad Capitula objectionum Vincentianarum: Ad excerpta Genuensium: Liber contra Collatorem: Psalmorum a centesimo usque ad ultimum expositio: Sententiarum ex Augustino delibatarum liber unus: Ex sententiis Augustini Epigrammatum liber unus: Chronici partes duæ, quarum prima desinit anno 378., altera anno 455. **Ejus Opera.**

Præcipuæ omnium S. Prosperi Operum Editiones sunt 1. Lugdunensis Stephani Gryphii anno 1539. Lovaniensis anni 1565. studio & opera Joannis Sotelli Montinensis; Duacensis anni 1576. per Joannem Olivarium. Ad hujus Duacensis Editionis normam ea prodiit, quæ anno 1630. Coloniæ Agrippinæ facta notatur sumptibus Joannis Crithii sub signo Galli. Omnium optima & locupletissima est Parisiensis anni 1711. opera Domini Mougeant (1). **Editiones.**

In nullo veterum Scriptorum, qui Prosperi meminere, quidquam habe-

(a) *Ibid. pag.* 210.
(b) *Ad Collat. Tom.* 1. *c.* 1. *pag.* 177.
(1) Prodiit iterum hæc Editio Venetiis anno 1744. Typis Augustini Savioli duobus in folio Voluminibus, additis S. Asterii Amaseæ Episcopi homiliis. Hac utimur Editione in citationibus.

S.PROSPER.

habetur, unde appareat, Prosperum fuisse gradu ac ordine Laicis, aut Monachis superiorem. Non desunt tamen plures, ex Recentioribus præsertim, qui eum Episcopum sive Rejensem in Provincia, sive Regiensem in Longobardia fuisse arbitrantur, & narrant.

S. Prosperi *Poema de ingratis* vertit in octavum metrum (in ottava Rima) Joannes Franciscus Giorgetti. Prodiit Venetiis apud Carolum Pecora 1751. Solutis vero endecasyllabis italicis vertit P. Magister Carolus Augustinus Ansaldi O. PP. Venetiis apud Simonem Occhi 1753. Iterum eodem metro D. Franciscus Maria Ricci Benedictino - Casinensis. Veronæ 1764. apud Augustinum Carretoni. Iterum R. P. Victor a Cocaleo Ordinis Capuccinorum vertit in Libro, cui titulum fecit : *Ricerca sistematica sul testo e sulla mente di S. Prospero d' Aquitania nel suo Poema contro gl' Ingrati*. Brixiæ apud Joannem Mariam Rizzardi 1756. *Ex Argelato & Paitono*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Operum S. Prosperi Analysis.

SANCTUS Prosper Augustinum nunquam viderat, sed tantummodo officiosis salutaverat litteris, quas per Leontium Diaconum direxerat, per quem & Sancti Antistitis acceperat responsionem. Verum Augustini elucubrationum assidua lectione edoctus pro ejus defensione scribere aggressus est, occasionem nactus ex turbis Massiliæ ortis circa doctrinas de gratia, liberoque arbitrio. Hunc sibi præfixerat suæ scriptionis scopum, ut mentes videlicet ab errore revocaret, catholicam declarans veritatem, quam nonnulli læsam arbitrabantur in scriptis Augustini, sive quia ejus doctrinas non caperent, sive quia ipsi in errore versarentur.

Epistola S. Prosperi ad Augustinum pag. 5.

Postquam itaque S. Prosper Augustino animadvertendum proposuit, „ Pelagianæ pravitatis non mediocris virulentiæ fibram nutri„ ri, si principium salutis male in homine collocetur " : illum orat : „ ut quantum juvante Domino potest, quæ in istis quæstio„ nibus obscuriora, & ad percipiendum difficiliora sunt, quam lu„ cidissimis expositionibus dignetur aperire (*a*). Ac primum qui„ dem, quia plerique non putant, christianam fidem hac dissensio„ ne violari, quantum periculi sit in eorum persuasione, patefa„ ciat. Deinde, quomodo per istam præoperantem, & cooperan„ tem gratiam liberum non impediatur arbitrium. Tum utrum „ præscientia Dei ita secundum propositum maneat, ut ea ipsa „ quæ sunt proposita, sint accipienda præscita : an per genera „ causa-

(a) *Ibid. p.* 8. *n.* 7.

„ causarum, & species personarum ista varientur; ut quia diversæ „ sunt vocationes, in his qui nihil operaturi salvantur, quasi so- „ lum Dei propositum videatur existere; in his autem qui aliquid „ boni acturi sunt, per præscientiam possit stare propositum: an „ vero uniformiter, licet dividi præscientia a proposito temporali „ distinctione non possit, præscientia tamen quodam ordine sit „ subnixa proposito; & sicut nihil sit quorumcumque negotiorum, „ quod non scientia divina prævenerit, ita nihil sit boni, quod in „ nostram participationem non Deo auctore defluxerit ". Orat præterea, „ ut demonstret, quod retractatis hac de re opinionibus, „ pene omnium par invenitur & una sententia, qua propositum, „ & prædestinationem Dei secundum præscientiam receperunt, ut „ ob hoc Deus alios vasa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia „ finem uniuscujusque præviderit, & sub ipso adjutorio in qua fa- „ cturus esset voluntate, & actione præscierit " (a).

S. PROSPER.

Interea Ruffinus S. Prosperi amicissimus, cum confusos rumores accepisset, Prosperum male apud plures audire, veritus, ne animæ sibi charissimæ salus periclitaretur, duxit illum litteris convenire, sive proficiscenti amico in mandatis dedit, ut piam, quam gerebat pro amico sollicitudinem coram ipso sine scripto exponeret; alterutrum enim contigisse judicatur ex primis Epistolæ S. Prosperi verbis. Accepit itaque amici monitum, tanquam, ut scribit, „ fra- „ ternæ erga se sollicitudinis suæ signum, & curam sincerissimæ „ charitatis ". Sed simul ut suæ veritatem doctrinæ ostendat, eam illi exponit, scribens: „ Sed insinuanda prius. . . est qualitas quæ- „ stionis, de qua ista " (rumores scilicet, & obloquutiones in Prosperum) „ nascantur, quo magis pateat falsitas obloquentium, „ & videas quam lucem quibus tenebris conentur obducere (b) ". Primo itaque ostendit, „ unam esse præcipuam blasphemiam ne- „ quissimum, & subtilissimum germen aliarum, scilicet gratiam „ Dei secundum merita hominum dari. Cum enim (scribit) pri- „ mum tantam naturæ humanæ vellent adstruere sanitatem, ut per „ solum liberum arbitrium posset assequi Dei regnum... atque hanc „ definitionem doctrina sana respueret, damnatum a Catholicis sen- „ sum... hoc apud se ingenio servarunt, ut ad incipiendum, & ad „ proficiendum, & ad perseverandum in bono necessariam homini „ gratiam profiterentur (c). Sed in hac professione... perspectum „ est, hoc tantum eos de gratia confiteri, quod quædam libero ar- „ bitrio sit Magistra, seque per cohortationes, per legem, per do- „ ctrinam, per creaturarum contemplationem, per miracula, per- „ que terrores extrinseco ejus judicio ostentet, quo unusquisque se- „ cundum voluntatis suæ motum si quæsierit inveniat, si petierit „ accipiat, si pulsaverit introeat.... nec aliud sit gratia, quam

Epistola ad Ruffinum pag. 56.

A 3 „ lex,

(a) *Ibid. n.* 8.
(b) *Ibid. n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 2.

S. PROSPER.

„ lex, quam propheta, quam doctor, cui circa homines per universum Mundum commune & generale sit studium, ut qui voluerint credant, & qui crediderint justificationem merito fidei, & bonæ voluntatis accipiant, ac sic gratia Dei secundum hominum meritum tribuatur, atque hoc modo gratia non sit gratia, quia si meritis redditur, non ipsa bonorum creatrix, frustra gratia nominatur (*a*)".

Scripturarum verba, queis abutebantur Pelagiani.

In sui erroris patrocinium nonnulla proferebant Pelagiani Scripturarum testimonia; dictum enim putant libero arbitrio utentibus: *Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos: tollite jugum meum super vos, & discite a me, quoniam mitis sum, & humilis corde* (*b*). „ Quod ad omnes homines volebant pertinere laborantes in incerto istius vitæ oneratosque peccatis, ut qui voluerint mansuetudinem, & humilitatem Salvatoris imitari, & jugum mandatorum subire, inveniant requiem animabus suis, ex spe vitæ æternæ; qui autem hæc facere noluerint, sua culpa careant salute, quam si voluissent, potuerant obtinere. Sed audiant & dictum a Domino libero arbitrio utentibus: *Sine me nihil potestis facere* (*c*); &, *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum* (*d*); &, *Nemo potest venire ad me, nisi datum ei fuerit a Patre meo* (*e*). Quæ omnia cum sint incommutabilia, & nequeant ulla interpretatione in sensum alium detorqueri, quis ambigat, tunc liberum arbitrium cohortationi vocantis obedire, cum in illo gratia Dei affectum credendi obediendique generaverit? Alioquin sufficeret moneri hominem; non etiam in ipso novam fieri voluntatem: sicut scriptum est: *Præparatur voluntas a Domino* (*f*); & sicut ait Apostolus: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate* (*g*). Pro qua bona voluntate, nisi quam in ipsis operatus est Dominus, ut quod donaverat velle, donaret & facere (*h*)"?

Quomodo Deus velit omnes homines salvos fieri.

„ A non intelligentibus semper opponitur, quod *Deus omnes homines velit salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* (*i*). Numquid (reponit S. Prosper) non sunt de omnibus hominibus, qui a præteritis generationibus usque in hoc tempus sine Dei cognitione perierunt? . . . Et rursum eo ipso tempore, quo ad omnes gentes prædicatio Evangelii mittebatur, quædam loca Apostoli adire prohibentur ab eo, *Qui vult omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire* . . . unde dicit Scriptura: *Vetiti sunt a S. Spiritu loqui verbum in Asia* (*k*) . . . Quid autem mirum, si inter ipsa Evangelicæ prædicatio-

(a) *Ibid. n.* 3.
(b) *Matth.* 11. 28. (c) *Joan.* 15. 5.
(d) *Joan.* 6. 44. (e) *Ibid.* 66.
(f) *Prov.* 8. 35. *juxta LXX.* (g) *Philip.* 2. 13.
(h) *Ep. ad Ruf. p.* 58. *n.* 6.
(i) *Ad Timoth.* 1. 2. 4. (k) *Act.* 16. 14.

„ cationis exordia non poterant ire Apostoli, nisi quo eos Spiritus „ Dei ire voluisset, cum videamus plerasque gentes modo primum „ Christianæ gratiæ fieri cœpisse participes, alias autem nullum ad- „ huc odorem boni istius attigisse (*a*)? . . . Confiteamur igitur o- „ pera Domini, & glorificemus misericordias ejus, nec impatien- „ ter feramus, quod quæ, aut quanta sint electionis vasa non no- „ vimus (*b*) . . . Quæ enim sit discretionis istius in secreto consi- „ lio Dei caussa vel ratio, & supra facultatem humanæ cognitionis „ inquiritur, & sine fidei diminutione nescitur, modo confiteamur, „ neminem immerito perdi, neminem merito liberari, & omnipo- „ tentissimam Domini bonitatem omnes salvare, & omnes ad ve- „ ritatis agnitionem imbuere . . . nisi enim ipso vocante, docente, „ salvante, nemo venit, nemo eruditur, nemo salvatur. Quia et- „ si indifferenter omnibus hominibus jubeantur prædicare Docto- „ res, & semen verbi ubique serere, tamen (*c*) *neque qui plan-* „ *tat, neque qui rigat, est aliquid, sed qui incrementum dat* „ *Deus* (*d*)".

S. PROSPER.

Objectioni Pelagianorum respondet.

„ An dicendum est, voluntati Dei humanas obsistere voluntates, „ & tam feros, tamque intractabiles hominum esse mores, ut E- „ vangelium ideo non audiant, quia prædicationi impia corda non „ pateant? Et quis istis corda mutavit, *nisi qui finxit singilla-* „ *tim corda eorum* (*e*)? Quis hujus rigoris duritiem ad obediendi „ mollivit affectum, *nisi qui potens est de lapidibus Abrahæ filios* „ *excitare* (*f*)? . . . Puto autem, quod nemo audeat dicere, ul- „ lam mundi gentem, ullam terræ prætermittendam esse regionem, „ tanquam non sint Ecclesiæ tabernacula dilatanda . . . Quæcum- „ que ergo gentes nondum audierunt, audient Evangelium, & „ credent *quotquot ex eis præordinati sunt in vitam æternam* (*g*). „ Non enim alii venient in consortium hæreditatis Christi, quam „ qui ante constitutionem Mundi electi sunt, & prædestinati, „ atque præsciti secundum propositum ejus, qui omnia operatur se- „ cundum consilium voluntatis suæ (*h*) . . . Hoc autem consilium „ vocationis suæ Dominus quamdiu voluit abscondit, & quando „ voluit revelavit, sanctisque ejus ignorantia ista non nocuit . . . „ cum constet regnum Cælorum omnes ingressuros bonos, hoc eis „ donante Dei gratia, & nullos ingressuros malos, hoc ipsorum „ merente nequitia (*i*)".

Alia Pelagianorum objectio disjecta.

Sed „ ab adversantibus dicitur, quod per hanc Dei gratiam li- „ bero nihil relinquitur arbitrio". Quibus respondet Prosper, per gratiam Dei „ arbitrium conversum esse, non eversum, & do-

(a) *Ep. ad Ruf. p. 60. n. 15.*
(b) *Ibid. p. 61. n. 17.*
(c) *Ibid. p. 60. n. 14.* (d) *1. Corinth. 3. 7.*
(e) *Psalm. 32. 15.* (f) *Matth. 3. 9.*
(g) *Act. 13. 48.* (h) *Ephes. 1. 1.*
(i) *Ep. ad Ruf. p. 61. n. 16. & 17.*

S. PROSPER. „ natum ei esse aliter velle, aliter sapere, aliter agere, & incolumitatem suam non in se, sed in Medico collocare: quia necdum tam perfecta utitur sanitate, ut ea quæ ei nocuerant nequeant jam nocere, aut ab insalubribus possit jam viribus suis temperare. Proinde homo qui in libero arbitrio fuit malus, in ipso libero arbitrio factus est bonus, sed per se malus, per Deum bonus, qui eum ita in illum initialem honorem alio initio reformavit, ut ei non solum culpam malæ voluntatis & actionis remitteret, sed etiam bene velle, bene agere, atque in his permanere donaret (a)".

Doctrinam Augustini defendit. Augustinum autem sic tuetur ab imposturis, scribens: „ Ea autem quæ de fato, & de duabus massis, duabusque naturis stultissimo mendacio in tanti Viri injuriam jactitantur, neque ipsum quidem onerant, in cujus libris copiosissime hujusmodi destruuntur errores, neque nos perturbant, qui tales opiniones cum suis Auctoribus execramur... Quia non fato quidem geri, sed omnia Dei judicio novimus ordinari. Nec ex duabus massis, duabusque naturis, sed ex una massa, quæ est caro primi hominis, unam scimus omnium hominum creatam, crearique naturam, & eamdem per ipsius primi hominis liberum arbitrium, *in quo omnes peccaverunt* (b), esse prostratam, nec ullo modo ab æternæ mortis debito liberam, nisi eam ad imaginem Dei secundæ creationis Christi gratia reformaverit, liberumque ejus arbitrium agendo, adspirando, & usque ad finem præeundo servaverit (c)". Denique epistolam claudit Rufinum monens ut, „ si vere de his quæstionibus instrui desideret, ipsis Beati Augustini disputationibus cognoscendis curam impendat, ut in confitenda Dei gratia sanctissimam ac saluberrimam Evangelicæ Apostolicæque doctrinæ intelligentiam consequi possit (d)".

Carmen de Ingratis. Adhuc superstes erat S. Augustinus, quando Carmen hoc cecinit S. Prosper, (proinde ante finem mensis Augusti anni 430.) quod *De Ingratis* inscripsit, quo nomine designari videntur divinæ gratiæ hostes Pelagiani, & Semipelagiani, sed ex ipso Præfationis initio patet, S. Prosperum usum hocce generali vocabulo non in tota latitudine sua, sed pro specie ignobiliori, & quæ nullo adhuc specialiori nomine insignita esset, scilicet pro Semipelagianis, & Massiliensibus, qui ab humana voluntate initium bonæ voluntatis, & fidei repetebant. Non eos hæreticos vocat, sive quia judicium suum de eorum doctrina nondum pronuntiaverat Ecclesia, sive quia eos non ita in errore suo crederet obfirmatos, ut nulla foret spes resipiscentiæ. Hoc Carmen, quod est veluti Breviarium totius doctrinæ Augustini de Gratia adversus Pelagianos, quatuor constat partibus, quibus præmittitur Præfatio, qua se testatur scribere

„ Adver-

(a) *Ibid. p. 62. n. 18.* (b) *Rom. 5. 22.*
(c) *Ep. ad Ruf. p. 62. n. 19.*
(d) *Ibid. n. 20.*

S. PROSPER.

„ Adversum ingratos, falsa & virtute superbos “,

qui se dona Dei promereri posse arbitrabantur; & docere velle, nulli esse gloriandum;

„ Sed bona quæ tibi sunt, operante fatebere Christo,
„ Non esse ex merito sumpta, sed ad meritum “.

Mille constat carminibus hexametris hoc Poema præter illa undecim, quæ exordii loco præmittuntur.

Analysim hujus Carminis non dabimus; omnia enim in ipso contenta in aliis ejus Operibus reperientur, quæ post pauca recensebimus. Duo tamen sunt notanda. Primo Sanctum Prosperum falli, dum dicit, Romanam Sedem primum hæresim damnasse Pelagianorum, deinde idem præstitum ab Orientalibus, & Africanis Ecclesiis, cum contra ex historia Pelagiana constet, primum in Africa damnatam fuisse anno 412., deinde ab Orientalibus, postremo ab Apostolica Sede (1). Secundo animadvertendum, duo videri difficiliora loca in S. Prospero, alterum, quo docere videtur, omnia mortalium opera sine gratia esse peccata, dum canit:

„ . . . . in pœnam propriam jaculis superatis
„ Armatum arbitrium, nunquam consurgere posse;
„ Inque novos lapsus semper nitendo revolvi:
„ Cui sua sit laqueus sapientia, morsque subactum
„ Detineat, nisi vera salus ex munere Christi
„ Adsit, & oppressam dignetur gratia mentem “.

Alterum, quod omnia sine fide patrata bona opera, licet bona videantur, esse tamen peccata, canens:

„ Omne etenim probitatis opus, nisi semine veræ
„ Exoritur fidei, peccatum est, inque reatum
„ Vertitur, & sterilis cumulat sibi gloria pœnam “.

Sed in utroque loco solum insinuat, non ipsum per se opus, quod non ex fide, vel gratia est, peccatum esse oportere, ut quod sæpe sit moraliter seu ex officio bonum, sed reatum demum accedere, ubi de

---

(1) Verum evanescit hic error ab Auctore nostro, qui Longevalium citat, Prospero tributus, si dicamus cum Notarum Auctore, voculis illis *prima*, & quæ post pauca sequitur *inde*, non alium ordinem, quam narrationis denotari, uti facere solent, qui plura quædam narrant, confusionis vitandæ gratia, has ordinis notulas interjicere, nulla interim habita prioritatis, aut posterioritatis ratione. Quin horum nullam hic a se rationem habitam Auctor declarat, dum potius omnia videri vult *simul*, ac diversis quidem locis, sed uno veluti tempore gesta esse.

S. PROSPER.

ubi de illo homo aliter quam in Domino glorietur, ut facile *Infideles*, & Peccatores faciunt, qui de bonis gloriantur suis; unde ajebat & S. Augustinus, „ non officiis, sed finibus a vitiis discer- „ nendas esse virtutes. Officium est autem quod faciendum est. Fi- „ nis vero propter quod faciendum est. Cum itaque facit homo „ aliquid, ubi peccare non videtur, si non propter hoc facit, pro- „ pter quod facere debet, peccare convincitur (*a*) “. Et alibi: *Nudum operire, & de hoc non in Domino gloriari, peccatum est.*

Hoc Carmen subsequuntur tria Epigrammata sive ob argumenti affinitatem, sive quia paulo post composita. Duo priora sunt in Obtrectatorem S. Augustini; in omnibus Codicibus tum manuscriptis, tum typis editis S. Prospero tribuuntur. Quis tamen fuerit S. Augustini Obtrectator, in quem calamum acuit S. Doctor, ignoratur; nonnulli Vincentium putant Lirinensem, nonnulli Cassianum, at nihil de hoc exploratum. Tertium vero Epigramma Epitaphium complectitur hæresis Pelagianæ, & Nestorianæ.

Responsiones ad Capitula Gallorum circa annum 431.

Galli quidam Presbyteri, nec Sedis Apostolicæ judicio, quæ S. Augustini doctrinam de gratia Christi adversus Pelagianos tanquam Apostolicam, & Catholicam sua auctoritate comprobaverat, nec eximiis S. Prosperi argumentis in suo Carmine de Ingratis adductis convicti, sed propriis judiciis plus æquo servientes, reprobare illam non destitere, autumantes, quod ex prædestinatione Dei juxta Augustinum explicata, veluti fatali necessitate homines ad peccata compulsi cogantur in mortem. Errorum itaque, quos in Augustini scriptis se reperisse dicebant, indiculum extruxerunt quindecim complectentem articulos, quos ceu totidem objecta solvenda Prosper sibi proponit. Istorum nomina silentio premit, at nullus dubitat, eos Massilienses fuisse, & ex illorum numero, qui Augustinianæ gloriæ invidebant. Jam obierat Augustinus; nam illum *sanctæ memoriæ* virum appellat S. Prosper. Responsiones has circa annum 431. elucubratas censent Eruditi.

Errores Augustino per calumniam tributi, sunt qui sequuntur (*b*).

„ 1. Ex prædestinatione Dei, veluti fatali necessitate homines ad „ peccata compulsi coguntur in mortem.

„ 2. Quod ab eis, qui non sunt prædestinati ad vitam, non au- „ ferat percepta baptismi gratia originale peccatum.

„ 3. Quod non prædestinati ad vitam, etiam si fuerint in Christo „ per baptismum regenerati, & pie justeque vixerint, nihil eis prosit, „ sed tandiu reserventur, donec ruant, & pereant, nec ante eos „ ex hac vita, quam hoc eis contingat, auferri.

„ 4. Quod non omnes homines vocantur ad gratiam.

„ 5. Quod qui vocati sunt, non æqualiter sint vocati, sed alii ut „ crederent, alii ut non crederent.

„ 6. Quod

(a) *Lib. 4. contr. Jul. c. 3.*
(b) *Pag. 117.*

S. PROSPER.

„ 6. Quod liberum arbitrium in homine nihil sit; sed sive „ ad bonum, sive ad malum prædestinatio Dei in hominibus ope- „ retur.

„ 7. Quod Deus quibusdam filiis suis, quos regeneravit in Chri- „ sto, quibus fidem, spem, dilectionem dedit, ob hoc non det per- „ severantiam, quia non sunt a massa perditionis præscientia Dei, „ & prædestinatione discreti.

„ 8. Quod non omnes homines velit Deus salvos fieri, sed cer- „ tum numerum prædestinatorum.

„ 9. Quod non pro totius Mundi redemptione Salvator sit cru- „ cifixus.

„ 10. Quod quibusdam Evangelii prædicatio a Domino subtra- „ hatur, ne percepta Evangelii prædicatione salventur.

„ 11. Quod per potentiam Deus homines ad peccata compel- „ lat.

„ 12. Quod quibusdam vocatis, & pie justeque viventibus obe- „ dientia subtrahatur, ut obedire desinant.

„ 13. Quod quidam homines non ad hoc creati sunt, ut vitam „ adipiscantur æternam; sed ut habitum tantummodo sæculi præsen- „ tis ornarent, & ad utilitatem nascerentur aliorum.

„ 14. Quod qui Evangelicæ prædicationi non credunt, ex Dei „ prædestinatione non credant: & quod Deus ita definierit, ut qui- „ cumque non credunt, ex ipsius constitutióne non credant.

„ 15. Quod idem sit præscientia, quod prædestinatio ".

Hi sunt quindecim articuli per Gallias diffusi, veluti summam complectentes totius Augustinianæ de gratia doctrinæ, ex quibus manifestum fieret, male explicatam, vel defensam ab Augustino in suis postremis operibus de gratia doctrinam.

Sanctus itaque Prosper, qui post S. Doctoris obitum inter gratiæ defensores primas obtinebat partes, calumniosos rumores refellere, & Magistri sui honorem in tuto collocare non omisit. Præfatis itaque Gallorum articulis solida responsione satisfecit. Hujus nonnulla delibabimus, quæ doctrinam exponentia Discipuli, Magistri quoque doctrinam vindicabunt.

Primæ itaque objectioni respondet (*a*): „ Prædestinationem Dei „ nullus Catholicus Christianus negat: fatalem autem necessita- „ tem multi etiam non Christiani refutant. Peccatum ergo ad mor- „ tem trahit, sed ad peccandum neminem Deus cogit.

2. Reponit: „ Qui recedit a Christo, & alienus a gratia finit „ hanc vitam, quid nisi in perditionem cadit? Sed non in id, quod „ remissum est, recidit, nec in originali peccato damnabitur: qui „ tamen propter postrema crimina ea morte afficietur, quæ ei propter „ illa quæ remissa sunt debebatur. Quod quia Dei præscientiam nec „ latuit, nec fefellit, sine dubio talem nunquam elegit, nunquam „ præ-

(a) *Pag.* 118.

S. PROSPER.

„ prædeſtinavit, & periturum nunquam ab æterna perditione diſ„ crevit". Animadverſione dignum eſt, S. Proſperum hic eorum videri favere opinioni, qui docent, prædeſtinationem fieri ex meritorum præviſione (1).

De tertio vero articulo ſic ſcribit de juſtis: „ Non ſunt relicti „ a Deo, ut relinquerent Deum, ſed reliquerunt, & relicti ſunt; „ & ex bono in malum propria voluntate mutati ſunt, atque ob „ hoc, licet fuerint renati, fuerint juſtificati, ab eo tamen, qui „ illos tales præſcivit, non ſunt prædeſtinati".

Quartæ vero objectioni reſpondens, oſtendit, non omnes revera ad gratiam vocari, exemplo „ tot millium parvulorum, qui inter „ populos Chriſtianos ab hac vita ſine baptiſmo tranſierunt, qui „ non probantur vocati, quibus nec plantator prædicare, nec riga„ tor potuit ſubvenire (*a*)".

Ad quintam objectionem reponit: „ Quoſdam ideo vocatos di„ cere, ut non crederent, nimis abſurdum eſt: quaſi vocatio eis „ cauſa infidelitatis extiterit, & prædicatio fidei faceret infide„ les ... Quod enim prædicatus Chriſtus crucifixus Judæis erat „ ſcandalum, Gentibus autem ſtultitia, humanæ voluntatis facie„ bat averſio; quod vero ipſis vocatis Judæis, & Græcis Chriſtus „ erat Dei virtus, & Dei ſapientia, divinæ gratiæ præſtabat ope„ ratio".

In ſexta objectione, quum adjutorium gratiæ liberi etiam poſtulet cooperationem arbitrii, hinc ſcribit: „ Juſtificatus itaque homo, „ ideſt, ex impio factus pius, nullo præcedente bono merito acce„ pit donum, quo dono adquirat & meritum, & quod in illo in„ choatum eſt, etiam per induſtriam liberi augeatur arbitrii, nun„ quam remoto adjutorio Dei, ſine quo nec proficere, nec per„ manere in bono quiſquam poteſt". Quid clarius dici poteſt ad excludendam neceſſitantem gratiam, & arbitrii adſtruendam libertatem? Nomen etiam adjutorii, quod gratiæ tribuit, argumentum eſt, non ſolam gratiam ſalutem noſtram operari (2).

Circa

(1) Falſa eſt, & omnino a mente S. Proſperi aliena Gallici Scriptoris animadverſio. Nam hic non de prædeſtinatione, ſed de reprobatione, & quidem poſitiva ſermonem habet; quæ profecto non fit niſi ex præviſis demeritis, in quo conveniunt & Theologi illi, qui prædeſtinationem ad gloriam præviſionem meritorum præcedere docent.

(a) *Pag.* 120.

(2) Fatemur, S. Proſperum gratiam neceſſitantem, quæ liberum perimat arbitrium, non agnoſcere. Cave tamen, ne per hoc credas, S. Doctorem eam gratiam intrinſece efficacem, quæ habet immutandorum cordium omnipotentiſſimam poteſtatem, vel leviter vellicare, ſive eam inſinuare, quæ totam ſuam efficacitatem ex liberi arbitrii aſſenſu ſortiatur. Nihil enim magis alienum a doctrina Auguſtini, & Proſperi. Pari pacto dum gratiam adjutorii vocabulo deſignat, ne putes, eum indicare eodem modo

Circa perſeverantiam hæc habet Auguſtinianus prorſus S. Proſper: „ Cum dubium non ſit, donum Dei eſſe perſeverantiam in „ bono uſque ad finem, quam aliquos ex eo ipſo quod non perſe- „ veraverint, non habuiſſe manifeſtum eſt, non eſt calumniandum „ Deo, quare iſtis non dederit quod aliis dedit, ſed confitendum „ eſt, & miſericorditer eum dediſſe quod dedit, & juſte non de- „ diſſe quod non dedit: nec quemadmodum ex libero arbitrio „ oritur cauſſa labendi, ita ex ipſo oriri videatur & ſtandi, cum „ illud humano fiat opere, hoc divino impleatur ex mune- „ re (*a*) “.

S. Prosper.

Voluntatem ſalvandi omnes homines ita exponit: „ Omnium „ hominum cura eſt Deo, & nemo eſt, quem non aut evangelica „ prædicatio, aut legis teſtificatio, aut etiam ipſa natura conve- „ niat. Sed infidelitatem hominum ipſis adſcribamus hominibus, „ fidem autem hominum donum Dei eſſe fateamur, ſine cujus gra- „ tia nemo currit ad gratiam “. Præmiſerat autem: „ Si circa „ univerſitatem generis humani ſalvandam, & in agnitionem veri- „ tatis vocandam, ita indifferens per omnia ſæcula aſſerenda eſt „ voluntas Dei, ut uſquequaque neminem hominum prætermiſiſſe „ monſtretur, impenetrabilis judiciorum Dei altitudo pulſatur. „ Quare enim præteritis ſæculis dimiſerit Deus omnes gentes in- „ gredi vias ſuas, quando Jacob elegit ſibi Dominus... cur ali- „ quando non populus, nunc autem populus Dei ſit... quare quod „ quærebat Iſrael non ſit conſecutus, electio autem conſecuta eſt, „ cæteri vero excæcati ſunt, impoſſibile eſt comprehendere, & pe- „ riculoſæ curioſitatis eſt quærere... qui diſpenſationes Dei ex li- „ beri vult arbitrii mutabilitate variari, profitetur ſibi ſcrutabilia „ judicia Dei, & veſtigabiles vias ejus, & quod Doctor gentium „ Paulus non audebat attingere, hic ſe exiſtimat reſeratum poſſe „ vulgare “.

Non diſſimilia promit in reſponſione ad nonum Capitulum de Salvatoris morte pro totius Mundi redemptione, ſcribens: „ Cum „ itaque rectiſſime dicatur Salvator pro totius Mundi redemptione „ crucifixus, propter veram humanæ naturæ ſuſceptionem, & propter „ communem in primo homine omnium perditionem: poteſt tamen „ dici pro his tantum crucifixus, quibus mors ipſius profuit... Di- „ verſa ergo ab iſtis ſors eorum eſt, qui inter illos cenſentur, de „ quibus dicitur: *Mundus eum non cognovit* (*b*). Ut poſſit ſecun- „ dum hoc dici Redemptor Mundi, dedit pro Mundo ſanguinem „ ſuum, & Mundus redimi noluit, quia lucem tenebræ non recepe- „ runt;

---

modo & pari paſſu ad bonum opus concurrere & gratiam, & liberum arbitrium; nam illa primas ſemper & ſummas habet partes, cum & ipſum bonum uſum liberi præſtet arbitrii, & ipſam bonam donet voluntatem.

(a) *Pag.* 121.
(b) *Joann.* 1. 10.

S. PROSPER. „ runt; & tenebræ receperunt, quibus dicit Apostolus: *Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino* (*a*). Ipse vero „ Dominus Jesus, qui dixit se venisse quærere quod perierat, „ *Non veni*, inquit, *nisi ad oves quæ perierant domus Israel* (*b*)".

Decimam objectionem sic solvit: „ Si probari potest, quod ex „ quo Evangelium prædicatur, nemo prorsus fuerit, cui Christiana gratia annuntiata non fuerit; non recte dicitur tacitum, quod „ ostenditur prædicatum. Si autem aliquo modo inveniuntur homines, quibus Evangelium non fuerit prædicatum, non potest „ dici sine judicio Dei factum: quod nefas est, ideo reprehendi, „ quia non potest comprehendi (*c*)".

De peccantium vero nonnullorum obduratione sic docet in responsione ad undecimum Capitulum: „ Cum aliquos a Deo aut traditos desideriis suis, aut obduratos legimus, aut relictos, magnis peccatis suis hoc ipsos meruisse profitemur, quia talia eorum crimina præcesserunt, ut ipsi sibi pœna fieri debuerint, „ quæ eis etiam supplicium verteret in reatum. Atque ita nec „ de judicio Dei querimur, quo deserit meritos deseri: & misericordiæ ejus gratias agimus, qua liberat non meritos liberari (*d*)".

Blasphemiam illorum, qui duodecimo Capitulo dicebant, pie & juste viventibus obedientiam aliquando subtrahi, ut obedire desinant, sic retundit: „ Si Deus hominem sibi obedientem a pietate deturbat, & bene currentem cadere facit; ergo pro bonis „ mala retribuit, & injuste punit, quod ut fiat compellit. Quid „ tam perversum, quid tam insanum dici, aut cogitari potest? „ Sed in talem sensum trahuntur, qui putant in hominibus hoc „ esse præscientiam Dei, quod & voluntatem: cum voluntas ejus „ nunquam velit nisi bona, præscientia autem & bona noverit, & „ mala; sed bona, quæ aut ipse facit, aut etiam ut nos faciamus „ impertit; mala autem, quæ omnino ipse non fecit, neque fieri „ suasit, aut impulit. Vires itaque obedientiæ non ideo cuiquam „ subtraxit, quia eum non prædestinavit, sed ideo non prædestinavit, „ quia recessurum ab ipsa obedientia esse prævidit".

Quomodo aliqui, qui vitam non adipiscuntur æternam, tamen ad aliorum utilitatem conferant, sic explicat in responsione ad 13. Capitulum: „ Si quæritur, an de istis, quos a vera religione impius error avertit, aliquid boni profectibus Sanctorum, & incrementis Ecclesiæ providentia divina contulerit: inspiciatur primum ipsa Crux Christi, in quo magno scelere Judæorum misericors voluntas Dei . . . impleta est. Inspiciatur Apostolorum „ gloriosa tolerantia inter persequentium fremitus. . . Inspiciantur „ deni-

(a) *Ephes.* 5. 8.
(b) *Matth.* 15. 24.
(c) *Pag.* 123. (d) *Pag.* 124.

„ denique immumerabilium Martyrum palmæ, quibus de crudelissi-
„ ma Infidelium nequitia felix est collata victoria “. S. PROSPER.

Ostendit vero in responsione ad 14. Capitulum, quod „ infidelitas non credentium nequaquam ex Dei prædestinatione generatur. Bonorum enim Deus auctor est, non malorum. Prædestinatio igitur Dei semper in bono est, aut ad retributionem justitiæ, aut ad donationem pertinens gratiæ. . . Proinde infidelitas non credentium, non ad constitutionem Dei, sed ad præscientiam referenda est “.

Distinctione denique præscientiæ, & prædestinationis sic optime explicata in quartodecimo Capitulo, „ cum bona ad largitorem cooperatoremque eorum Deum, mala autem ad voluntariam rationalis creaturæ nequitiam referenda sint; dubium non est, sine ulla temporali differentia Deum & præscisse simul, & prædestinasse, quæ ipso erant auctore facienda, vel quæ malis meritis justo erant judicio retribuenda: præscisse autem tantummodo, non etiam prædestinasse, quæ non ex ipso erant caussam operationis habitura. Potest itaque sine prædestinatione esse præscientia; prædestinatio autem sine præscientia esse non potest (*a*) “.

Solutis Gallorum objectionibus, veram deinde Augustini doctrinam, & suam totidem oppositis propositionibus exponit in hæc sensa (*b*).

„ 1. Quisquis ex prædestinatione Dei, velut fatali necessitate, homines in peccata compulsos cogi dicit in mortem, non est catholicus.

„ 2. Qui dicit, quod ab his, qui non sunt prædestinati ad vitam, non auferat percepta baptismi gratia originale peccatum, non est catholicus.

„ 3. Qui dicit, quod non prædestinati ad vitam, etiamsi fuerint per baptismum regenerati, & pie & juste vixerint, nihil eis prosit, sed tamdiu reserventur, donec ruant... tanquam ad constitutionem Dei talium hominum ruina referenda sit, non est catholicus. Quia non Deus ideo tempus ætatis cuiquam prolongavit, ut diu vivendo corrueret . . . . cum inter beneficia Dei numeranda sit ipsa longævitas, qua homo melior debuit esse, non pejor.

„ 4. Qui dicit, quod non omnes vocentur ad gratiam, si de his loquitur, quibus Christus annuntiatus non est, non potest reprehendi. Quia scimus quidem in omnes fines terræ Evangelium destinatum, sed non putamus in omnibus terræ finibus prædicatum; nec possumus dicere, quod ibi sit gratiæ vocatio, ubi matris Ecclesiæ nulla est regeneratio.

„ 5. Qui

(a) *Pag.* 125.
(b) *Pag.* 126.

S. PROSPER.

„ 5. Qui dicit, quod qui vocati sunt, non æqualiter vocati sint, „ sed alii ut crederent, alii ut non crederent, quasi cuiquam voca- „ tio causa fuerit non credendi, non recte dicit. Quamvis enim fi- „ des non sit nisi ex Dei dono, & hominis voluntate, infidelitas „ tamen non est nisi ex sola hominis voluntate.

„ 6. Qui dicit, quod liberum arbitrium in homine nihil sit, sed „ sive ad bonum, sive ad malum prædestinatio Dei in hominibus „ operetur, non est catholicus. Arbitrium enim hominis gratia „ Dei non abolet, sed adolet . . . Prædestinatio quoque Dei sem- „ per in bono est; quæ peccatum sola hominis voluntate commis- „ sum aut remittendum novit cum laude misericordiæ, aut plecten- „ dum cum laude justitiæ.

„ 7. Qui dicit, quod Deus quibusdam filiis suis, quos regenera- „ vit in Christo . . . ob hoc non dederit perseverantiam, quia non „ sunt a massa perditionis præscientia Dei, & prædestinatione dis- „ creti: si hoc vult firmare, quod Deus hujusmodi homines in „ bonis quæ donaverat noluerit permanere, & ipse eis causa aver- „ sionis extiterit, contra justitiam Dei sentit. Quamvis enim omni- „ potentia Dei potuerit vires standi præbere lapsuris, gratia tamen „ ejus non prius eos deseruit, quam ab ipsis desereretur. Et quia „ hoc ipsos voluntaria facturos defectione prævidit, ideo in præde- „ stinationis electione eos non habuit.

„ 8. Qui dicit, quod non omnes homines velit Deus salvos fie- „ ri, sed certum numerum prædestinatorum, durius loquitur, „ quam loquendum est, de altitudine inscrutabilis gratiæ Dei, „ qui & omnes vult salvos fieri . . . . & voluntatis suæ propo- „ situm in eis implet, quos præscitos prædestinavit, prædestina- „ tos vocavit, vocatos justificavit, justificatos glorificavit . . . . „ & inde qui salvantur, ideo salvi fiant, quia illos voluit Deus „ salvos fieri, & qui pereunt, ideo pereant, quia perire me- „ ruerunt.

„ 9. Qui dicit, quod non pro totius Mundi redemptione Salva- „ tor sit crucifixus, non ad sacramenti virtutem, sed ad Infide- „ lium respicit partem, cum sanguis Domini nostri Jesu Christi „ pretium totius Mundi sit, a quo pretio extranei sunt, qui aut „ delectati captivitate redimi noluerunt, aut post redemptionem ad „ eamdem sunt servitutem reversi . . . . Quia etsi non cognovit „ Mundus Deum in vasis iræ, cognovit tamen Mundus Deum in „ vasis misericordiæ, quæ Deus, nullis eorum bonis meritis præce- „ dentibus, eruit de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum „ filii dilectionis suæ.

„ 10. Qui dicit, quod quibusdam Evangelii prædicatio a Domi- „ no subtrahatur, ne percepta Evangelica prædicatione salventur, „ potest objectionis invidiam declinare patrocinio ipsius Salvatoris, „ qui apud quosdam, quos ait fuisse credituros, si mirabilium ejus „ signa vidissent, noluit operari, & quibusdam populis vetuit Apo- „ stolos evangelizare, & nunc aliquas adhuc gentes patitur extra

„ gra-

„ gratiam suam degere (1): cum tamen constantissima fide perce- S. PROSPER.
„ ptum habeamus, in omnes Mundi partes Ecclesiam dilatandam,
„ nec ante esse hoc sæculum finiendum, quam in universos fines
„ terræ Evangelium dirigatur (*a*).

„ 11. Qui dicit, quod per potentiam Deus homines in peccata
„ compellat, merito reprehenditur . . . . Qui autem tam profun-
„ dæ impietatis sunt, ut extra remedium correctionis habean-
„ tur . . . . non a Deo incrementa iniquitatis accipiunt, sed per
„ semetipsos deteriores fiunt, quia relinqui a Deo . . . . propter
„ præcedentia peccata meruerunt, ut eis peccatum sit ipsa etiam
„ pœna peccati.

„ 12. Qui dicit, quod quibusdam vocatis, & pie justeque vi-
„ ventibus obedientia subtrahatur, male opinatur de bonitate Dei,
„ atque justitia, ut videatur ad impietatem pios cogere, & inno-
„ centiam bonis adimere, cum ipse sit pietatis, atque innocentiæ
„ largitor, & custos.

„ 13. Qui dicit, quod quidam homines non ad hoc a Deo crea-
„ ti sunt, ut vitam adipiscantur æternam, . . . sed ad utilita-
„ tem nascuntur aliorum; melius loqueretur, dicens, quod Deus...
„ non frustra etiam eos condat, quos prævidit vitæ æternæ parti-
„ cipes non futuros, quia etiam in malis hominibus bonum Dei
„ opus est ipsa natura, & laudabilis est in impiorum damnatione
„ justitia.

„ 14. Qui dicit, quod qui Evangelicæ prædicationi non cre-
„ dunt, ex Dei prædestinatione non credant . . . . non est catho-
„ licus. Sicut enim fides, quæ per dilectionem operatur, Dei do-
„ num est, ita infidelitas constitutio Dei non est . . . Prædesti-
„ natus itaque vivit ex fide sibi donata, non prædestinatus perit in
„ infidelitate voluntaria, non coacta (*b*)".

15. Eam repetit distinctionem præscientiæ, & prædestinationis, quam tradiderat in responsione ad 15. Gallorum objectionem inibi legendam.

Arbitrantur nonnulli (2), Vincentium Lirinensem auctorem esse objectionum, quibus respondet S. Prosper, non alia validiore permoti ratione, quam nominis similitudine, & quod proximus esset Cassiano, aliisque Massiliensibus Presbyteris, qui per ea tempora doctrinam Augustini criminabantur ceu violentam nimis, & ex con- *Voss. hist. Pelag. l. 1. c. 9. Noris. hist. Pelag. l. 2. c. 11. Antel. Opi Leon.* Ad Vincentium respondet S. Prosper.

(1) Verum quidem est, Deum privasse, & modo etiam privare notitiam Fidei, & Evangelii; sed hoc in pœnam peccatorum contra legem naturalem divinam: quod si viribus gratiæ ab eis abstinuissent, nunquam Evangelii lucem denegasset, sed prædicatores misisset, qui veram fidem annuntiarent. S. Aug. in Psal. 18. & S. Th. 2. 2. q. 10. a. 1.

(a) *Pag.* 127. (b) *Pag.* 128.

(2) Temere, & inique suspicantur nonnulli, Vincentium Lirinensem esse objectionum contra S. Augustini doctrinam auctorem, & eum pravis Presbyterorum Massiliensium doctrinis consensisse, cum nullo solido fulciantur argumento.

S. Prosper. consectariis, quæ inde deducebant, perniciosam. Hæc consectaria sexdecim explicabantur propositionibus falsis & scandalum ingerentibus, quarum suprema capita hæc erant: Deum nolle omnium salutem: plerosque ad perditionem prædestinasse: hisce propterea salutem consequi esse impossibile: & denique Deum peccatorum causam esse, & auctorem. Singula diluit S. Prosper, & a catholica Ecclesiæ doctrina quam maxime aliena ostendit. Nonnulla ex his propositionibus, & earum confutationibus hic breviter delibabimus (*a*).

Prima itaque objectio hæc erat; „ Christum non pro omnium „ salute, & redemptione passum esse “. At reponit S. Prosper: „ Quod ad magnitudinem & potentiam pretii, & quod ad unam „ pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est to- „ tius Mundi. Sed qui hoc sæculum sine Fide Christi, & sine re- „ generationis Sacramento pertranseunt, redemptionis alieni sunt... „ Christi mors non ita impensa est humano generi, ut ad redem- „ ptionem ejus, etiam qui regenerandi non erant, pertinerent: sed „ ita ut quod per unicum exemplum gestum est pro universis, per „ singulare sacramentum celebraretur in singulis. Poculum quippe „ infirmitatis, quod confectum est in infirmitate nostra, & virtute „ divina, habet quidem in se, ut omnibus prosit, sed si non bi- „ bitur, non medetur “.

Altera propositio ajebat: „ Deum nolle omnes salvare, etiamsi „ omnes salvari velint “: quam sic refellit S. Doctor: „ Sincerissime „ credendum, atque profitendum est, Deum velle, ut omnes „ homines salvi fiant. Siquidem Apostolus, cujus ista sententia est, „ sollicitissime præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissime custodi- „ tur, ut Deus pro omnibus hominibus supplicetur, ex quibus „ quod multi pereant, pereuntium est meritum, quod multi salven- „ tur, salvantis est donum (*b*) “.

Tertio objiciebat Vincentius, „ quod Deus majorem partem ge- „ neris humani creet, ut illam perdat in æternum “. Cui respondet Prosper: „ Omnium quidem hominum Creator est Deus, sed „ nemo ab eo ideo creatus est, ut periret, quia alia est causa na- „ scendi, & alia causa pereundi. Ut enim nascantur homines, con- „ ditoris est beneficium; ut autem pereant, prævaricationis est „ meritum “.

Quarto ajebat: „ Quod major pars generis humani ad hoc crea- „ tur a Deo, ut non Dei, sed Diaboli faciat voluntatem “. At reponebat Prosper: „ Quod prævaricatio hominum dispositæ a sæ- „ culis creationis ordinem turbare non potuit, & merito creatura „ peccatrix pœnalem dominationem illius patitur, cui, relicto vero „ Deo, sponte se vendidit. Hæc quippe servitus non institutio est „ Dei, sed judicium, quo fraus deceptoris Diaboli facta est dece- „ pto,

(a) *Pag.* 132.
(b) *Pag.* 133.

„ pto, & male credulo homini pœna peccati. De qua nemo erui- S. PROSPER.
„ tur, nisi per mediatorem Dei, & hominis hominem Christum
„ Jesum, cujus gratuita gratia & multorum malis meritis non tri-
„ buitur, & nullorum bonis meritis prævenitur ". Et antea dixerat: „ Quod, licet in omnes Adæ peccatum transierit, non ideo
„ creari quemquam hominem, ut Diaboli faciat voluntatem; li-
„ cet agnoscamus, omnem hominem non redemptum Diabolo esse
„ captivum ".

In quinta objectione dicebat Vincentius: „ Quod peccatorum
„ nostrorum auctor sit Deus, eo quod malam faciat voluntatem
„ hominum, plasmet substantiam, quæ naturali motu nihil possit
„ nisi peccare ": Quem errorem refellit Prosper, scribendo:
„ Non cujusquam peccati auctor Deus, sed naturæ creator est;
„ quæ cum potestatem habuerit non delinquendi, sponte deliquit,
„ & deceptori suo propria voluntate se subdidit. Nec naturali, sed
„ captivo motu versatur in vitio, donec moriatur peccato, & vi-
„ vat Deo, quod sine gratia Dei facere non potest; quia liber-
„ tatem, quam libertate perdidit, nisi Christo liberante non reci-
„ pit (*a*).

Cæterarum Vincentianarum objectionum argumentum est ex prædestinatione desumptum; videlicet Deum alios ad salutem prædestinasse, alios ad perditionem, & propter hanc prædestinationem in causa esse omnium peccatorum, quæ ab hominibus perpetrantur: & ad perditionem prædestinatos salutem nullo pacto consequi posse. At hæc omnia diluebat S. Prosper, respondens, „ quod
„ nullo modo Dei prædestinatio facit, ut aliqui ex filiis Dei filii
„ sint Diaboli, aut ex templo S. Spiritus templum sint Dæmo-
„ num . . . sed potius prædestinatio facit, ut ex filiis Diaboli
„ fiant filii Dei, & ex templo Dæmonum templum sint Spiritus
„ Sancti . . . Et quia præsciti sunt casuri, non sunt prædestinati:
„ essent autem prædestinati, si essent reversuri, & in sanctitate,
„ ac veritate mansuri. Ac per hoc prædestinatio Dei multis est
„ causa standi, nemini est causa labendi (*b*); & Deus etsi ex æter-
„ na scientia præcognitum habeat, quid uniuscujusque meritis re-
„ tributurus sit; nemini tamen per hoc quod falli non potest aut
„ necessitatem, aut voluntatem intulit delinquendi (*c*). Si ergo
„ in sanctitate vivitur, si in virtute proficitur . . . . manifestum
„ munus est Dei, sine quo nihil boni operis fructus adquiritur; si
„ autem ab his receditur, & ad vitia transitur, nihil ibi Deus
„ malæ tentationis immittit, & recessurum non deserit, ante quam
„ deseratur . . . Cur autem illum retineat, illum non retineat,
„ nec possibile est comprehendere, nec licitum vestigare, cum scire
„ sufficiat, & ab illo esse, quod statur, & non ab illo esse, quod
„ ruitur (*d*) . . . Nemini Deus correctionis adimit viam, nec

B 2 „ quem-

(a) *Pag.* 134. (b) *Pag.* 136. *c.* 12.
(c) *Ibid. c.* 13. (d) *Ibid. c.* 14.

S. PROSPER.

„ quemquam boni possibilitate dispoliat. Quia qui se a Deo avertit, ipse & velle quod bonum est, & posse sibi sustulit. Non est ergo consequens . . . ut Deus quibus pœnitentiam non dederit, resipiscentiam abstulerit, & quos non levaverit, alliserit: cum aliud sit, insontem in crimen egisse, quod alienum est a Deo; aliud criminoso veniam non dedisse, quod de peccatoris est merito (*a*) “. Addit etiam S. Prosper, quod dum illi qui prædestinati non sunt, orant: *Fiat voluntas tua*, „ non hoc contra se petunt, quod Deus nullo modo ulla ratione facturus est, id est, ut cadant, & ruant . . . . sed plane illud contra se petunt, quod divinæ voluntatis esse non dubium est, scilicet, ut in die judicii audiant: *Discedite a me maledicti* . . . Igitur qui facturi non sunt voluntatem Dei, & petunt, ut fiat voluntas Dei, in eo, quod Dei voluntate faciendum est, audiuntur, ut imitatores Diaboli cum Diabolo judicentur (*b*) “.

Responsiones ad Excerpta Genuensium.

Non animo & intentione Augustini doctrinam elevandi, Camillus, & Theodorus Presbyteri Genuenses nonnullas Prospero proposuere difficultates, quæ ex librorum Augustini lectione eorum menti occurrerant: & quæ insolita illis videbantur, vel minus clara. Eorum voluntati libenti animo obsequutus est S. Doctor, & aptis responsionibus ex ipsis verbis Augustini desumptis difficultates enodavit, & doctrinæ ostendit veritatem. Hæc excerpta difficiliter in analysim redigi possunt, sunt proinde in ipso opere legenda.

Liber S. Prosperi adversus Collatorem.

Præcipuum S. Prosperi opus in defensionem Augustinianæ doctrinæ elaboratum, profecto dicendus est liber adversus Collatorem, seu Cassianum Collationum auctorem. Conscriptus creditur circa annum 432. nam scribit: „ Viginti & eo amplius anni sunt, quod contra inimicos gratiæ Dei catholica acies, hujus viri (Augustini) ductu, pugnat, & vincit “ (*c*): cujus epochæ exordium videtur sumendum a primis libris ad Marcellinum circa annum 412. conscriptis. Porro in hoc opere duodecim expendit S. Prosper propositiones Cassiani in tertia decima Collatione expositas, in qua Chæremonem Abbatem loquentem inducit.

Libri contra Collatorem Analysis p. 177. Prima propositio p. 178.

In prima propositione statuit Cassianus: „ non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium, qui nobis & initia sanctæ voluntatis inspirat, & virtutem, atque opportunitatem eorum, quæ recte cupimus, tribuit peragendi. Hic ne quis putaret, nihil superesse quod per liberum ageretur arbitrium, adjecit: Nostrum vero est quotidie attrahentem nos gratiam Dei ut humiliter subsequamur “. Hanc doctrinam, dicit S. Prosper, „ a veritatis pietate non dissonare, & justo honorari præconio mereri (*d*) “. At non ita sentit de secunda

Secunda propositio.

propo-

(a) *Pag.* 137. *c.* 15.
(b) *Ibid. cap.* 16.
(c) *Cap.* 1. *p.* 178.
(d) *Pag.* 179. *c.* 2. *n.* 2.

propositione, in qua docet Cassianus: „ multos ad gratiam venire „ sine gratia, & affectum petendi, quærendi, pulsandi habere „ quosdam ex vigilantia liberæ voluntatis “. Et hic exprobrat S. Prosper Cassiano, „ quod præmissæ suæ definitionis oblitus, „ cito a sententia sua instabili levitate dissenserit: dixerat enim, „ regulariter non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo esse principium . . . . Cur ergo (scribit S. Prosper) professionem tuam deseris? Cur ad fumosam falsitatis caliginem relicta serenissimæ veritatis luce devolveris? Quod in petentibus, quærentibus, pulsantibusque miraris, cur non eidem gratiæ, quæ desideratur, adscribis? Vides bonos conatus, pia studia, & dubitas esse Dei dona (a) “? In tertia propositione, quæ est præcedentis corollarium, docebat Cassianus: „ non posse quidem hominem per semetipsum apprehendere sanitatem, sed „ habere eum a se ipso desiderium sanitatis, & sua tantum sponte „ venire ad Medicum, non etiam hoc ipsum Medici esse, quod veniat “. Hanc refellit S. Prosper ostendens: „ Quod totus homo in profundum miseriæ suæ decidit, ubi eam, prius quam a „ Medico notitiam suæ calamitatis accipiat, jacere delectat, amantem semper errores suos, & amplectentem falsa pro veris. „ Cujus prima salus est, ut sibi incipiat displicere, & vetustatem suæ „ debilitatis odisse; sequens vero est, ut & sanari desideret, & a „ quo sanandus sit, noverit. Quæ curationem ipsius sic præcedunt, ut ei ab illo, qui ægram sanaturus est, inserantur: ne „ cum ei nullo modo hæc frustra inesse possint, merito videatur „ salvata, non gratia (b) “.

S. Prosper.

Propositio tertia.

In quarta propositione dicebat Cassianus: „ Etiam per naturæ „ bonum, quod beneficio Creatoris indultum est, nonnunquam bonarum voluntatum prodire principia, quæ tamen, nisi a Deo dirigantur, ad consummationem virtutum pervenire non possint “ (c): quod confirmabat Apostoli testimonio dicentis: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio* (d). Verum sic illum refellit S. Prosper, scribens: „ Dixit quidem beatus Apostolus: *Velle adjacet mihi, perficere autem bonum non invenio*: sed idem „ dixit: *Non quia idonei simus cogitare aliquid a nobis, quasi ex* „ *nobis ipsis, sed sufficientia nostra ex Deo est* (e): & idem dixit: *Deus est enim qui operatur in nobis & velle, & operari* „ *pro bona voluntate* (f). Non ergo Apostolus sibi contrarius „ est. Sed cum donatum nobis fuerit bonum velle, non statim inveniemus & facere, nisi petentibus, quærentibus, atque pulsantibus, qui dedit desiderium, præstet effectum. Vox namque ista „ dicentis: *Velle enim adjacet mihi, perficere autem bonum non* „ *invenio*; vocati est, & jam sub gratia constituti, qui condele-

Propositio quarta.

 „ ctatur

(a) *Ibid. n.* 5. *p.* 180.
(b) *Cap.* 4. *n.* 1. *p.* 182.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Rom.* 7. 18.
(e) 2. *ad Cor.* 3. 5. (f) *Philip.* 2. 13.



S. PROSPER.

„ ctatur quidem legi Dei secundum interiorem hominem, sed videt „ *aliam legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ*, & „ *captivantem se in lege peccati* : & quamvis acceperit scientiam „ recte volendi, virtutem tamen in se non invenit, ea quæ optat, „ operandi, donec pro bona voluntate quam sumpsit, mereatur vir- „ tutum facultatem invenire quam quærit (*a*)".

Propositio quinta.

Duas contrarias sententias docet in quinta propositione Cassianus, liberum esse credere nimirum, „ utrum quia initium bonæ „ voluntatis præbuerimus, misereatur nostri Deus; aut quia Deus „ misereatur, consequamur bonæ voluntatis initium ... Si utrum- „ que sequamur, nos nulli errori adquiescemus (*b*)": Quod confirmabat distinctis exemplis, scribens „ : Si enim dixerimus, no- „ strum esse bonæ principium voluntatis; quid fuit in persecutore „ Paulo? quid in publicano Matthæo? quorum unus cruori, ac „ suppliciis innocentum, alius violentiis, ac rapinis publicis incu- „ bans, adtrahitur ad salutem. Sin vero gratia Dei semper inspi- „ rari bonæ voluntatis principia dixerimus, quid de Zachæi fide? „ quid de illius in Cruce Latronis pietate dicemus; qui desiderio „ suo vim quamdam regnis cælestibus inferentes specialia vocationis „ monita prævenerunt (*c*)"? Verum S. Prosper illum refellit, ostendens, „ initia bonæ voluntatis non adjuto divinitus homi- „ ni adscribentes, erroris accusare " Pontifices Innocentium, Zosimum, Orientales Episcopos, Africana Episcoporum Concilia, quæ decretis suis constituerunt, „ utrumque Dei donum esse, & „ scire quid facere debeamus, & diligere ut faciamus (*d*)". Exprobrat Cassiano, quod nescire simulat definitam adversus Pelagianos ab Ecclesia necessitatem gratiæ tum ad initium bonarum cogitationum, tum ad ipsa bona opera. „ Quid (scribit) de eli- „ sarum argumentationum ratiunculis fracta iludes arma colligere? „ Quid cineres extincti dogmatis refovendo, deficientis fumi nido- „ rem in redivivam flammam conaris accendere? Non est pericu- „ lum liberi arbitrii ex gratia Dei, nec voluntas aufertur, cum in „ ipsa bene velle generatur. Nam si ideo non putanda est nostra, „ quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur, spoliantur libertate „ filii Dei, qui aguntur spiritu Dei, perdunt vigorem rationalis „ animi, & omni voluntariæ devotionis laude privantur, quibus „ datur spiritus sapientiæ, & intellectus, consilii, & fortitudinis, „ scientiæ, & pietatis, & timoris Domini (*e*)". Ad exempla autem a Cassiano adducta, & ex Scripturis deprompta respondet: „ Qui illuxit in corde Matthæi publicani, & Pauli tunc Eccle- „ siam persequentis, ipse & in corde Zacchæi, & in corde cruci- „ fixi

(a) *Cap.* 4. *n.* 2. *p.* 182.
(b) *Cap.* 5. *n.* 1. & 2. *p.* 183.
(c) *Cap.* 7. *n.* 1. *p.* 185.
(d) *Cap.* 5. *n.* 3. *p.* 184.
(e) *Cap.* 6. *n.* 1. *p.* 185.

„ fixi cum Domino latronis illuxit : nisi forte otiosa Domini vox „ fuit, cum Zacchæum, qui quærebat videre Jesum, quis esset, „ compellare dignatus est, dicens: *Zacchæe descende, quoniam ho-* „ *die in domo tua oportet me manere* (a); & non sibi præparavit „ ejus animum, cujus elegit hospitium. Denique cum murmura- „ rent omnes, cur ad virum peccatorem introisset hospitari, & „ Zacchæus jam pœnitentiam agens, dimidio bonorum suorum in „ pauperes erogato, redditurum se in quadruplum fraudata promit- „ teret, Dominus ait: *Hodie salus domui huic facta est, quia hic* „ *est filius Abrahæ*. Et ne lateret causa hujus salutis, adjecit: „ *Venit filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat* “. Idem dicit & de Latrone cum Christo crucifixo, qui gratia Dei tractus „ cum aliquandiu blasphemasset in Jesum Christum, re- „ pente est mutatus, & dixit: *Domine memor esto mei, dum vene-* „ *ris in regnum tuum*. Sed unde in uno homine tanta compu- „ gnantium vocum sit orta diversitas, instruit nos Apostolus, dum „ dicit (b): *Nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu* „ *Sancto* (c)“. S. PROSPER.

Sexta Cassiani propositio asserit, „ liberum arbitrium, & gra- „ tiam pariter suscipi debere, id est, ita ut pari modo conferre ad „ salutem credantur “. Illum autem refutat S. Prosper plurimis Scripturæ testimoniis ostendentibus, præcipuam & maximam partem esse gratiæ tribuendam; quippe quia juxta Apostolum: *Deus est qui operatur in nobis & velle, & operari pro bona volunta-te* (d). „ Et virtus gratiæ (subdit S. Prosper) non hoc in vo- „ luntatibus operatur, ut non sint, sed ut ex malis bonæ, & „ ex infidelibus sint fideles, & quæ ex semetipsis erant tenebræ, „ lux efficiantur in Domino: quod mortuum erat, vivificatur. „ Hoc in omnibus prorsus hominibus, qui eruuntur de potestate „ tenebrarum, & transferuntur in regnum filii dilectionis Dei, si- „ ne cujusquam exceptione personæ, agere credimus gratiam Sal- „ vatoris (e)“. Propositio sexta.

In septima definitione Cassianus statuit, „ Adamum per præva- „ ricationem accepisse scientiam mali, non amisisse scientiam bo- „ ni (f)“. Illum vero sic refellit S. Prosper: „ Scientiam boni „ Adam tunc habebat, quando bonum Sanctumque mandatum Dei „ fideli corde servabat, & erat justus, manens in imagine Crea- „ toris sui, legisque ejus non obliviscens. Postquam autem se, „ hoc est, imaginem, & templum Dei deceptori suo vendidit, „ perdidit boni scientiam, quia perdidit bonam conscientiam. Ju- „ stitiam enim iniquitas depulit, humilitatem superbia destruxit, „ continentiam concupiscentia elisit, infidelitas rapuit fidem, capti- Propositio septima.

(a) *Luc.* 19. 5. (b) 1. *Corinth.* 12. 3.
(c) *Cap.* 7. *n.* 3. *p.* 186. (d) *Philip.* 2. 22.
(e) *Cap.* 8. *n.* 3. *p.* 188.
(f) *Cap.* 9. *n.* 5. *p.* 190.

S. PROSPER. „ vitas abstulit libertatem (1): nec potuit ulla illic portio reside-
„ re virtutum, quo tanta irruperat turma vitiorum (*a*)".

Propositio octava. Statuebat in octava propositione Cassianus, „ non ita ad Deum „ omnia Sanctorum merita referenda, ut nihil, nisi quod malum „ atque perversum est, humanæ adscribamus naturæ (*b*): sed religiosas cogitationes, & sancta consilia nulla Dei inspiratione „ concepta, de naturali posse prodire sapientia (*c*)": quod confirmabat exemplo Davidis, cui dictum fuit: *Quod cogitasti in corde tuo, ædificare domum nomini meo, bene fecisti, hoc ipsum mente pertractans* (*d*). Illum vero refellit S. Prosper, ostendens, Collatorem sibi ipsi non cohærere; quippe qui ante docuerat, „ non solum actuum, verum etiam cogitationum bonarum ex Deo „ esse principium; & tamen hic plures cogitationes libero tantum „ hominis tribuit arbitrio". Ad exemplum vero Davidis respondet: „ Nullo modo hoc testimonio atque argumento probari potest, quod piæ cogitationes ex solo libero arbitrio, & non ex „ Dei inspiratione nascantur. Non enim ideo voluntas David, „ quæ utique bona erat, non ex Deo fuisse credenda est, quia tem„ plum sibi Dominus, non ab eo ædificari, sed a filio ipsius vo„ luit. Quærendum ergo, de quo spiritu processerit affectus istius „ voluntatis, nempe de illo Dei, in quo dicebat: Si introjero in ta„ bernaculum domus meæ: si ascendero in lectum stratus mei: si „ dedero somnum oculis meis .... donec inveniam locum Domi„ no, tabernaculum Deo Jacob (*e*) .... atque ita ex Deo erat „ hoc velle David, & ex Deo erat hoc facere Salomonem (*f*)".

Propositio nona. Docebat in nona propositione Cassianus, „ inesse omnia animæ „ naturaliter virtutum semina beneficio Creatoris inserta". Quem errorem sic refellit S. Doctor: Si hoc verum esset, „ solus Adam „ prævaricatus est, & in peccato ejus nemo peccavit, in nullis „ iniquitatibus concepti sumus, & in nullis nos Matres pepererе „ delictis; non fuimus natura filii iræ, nec fuimus sub potestate „ tenebrarum; qui manentibus in nobis naturaliter virtutibus, filii „ potius nati sumus lucis & pacis. Absit ab animis piorum fallacis doctrinæ insidiosa deceptio. Virtutes cum vitiis habitare non „ possunt (*g*)... Virtutum itaque semina, quæ beneficio Creatoris inserta sunt, prævaricatione primi parentis eversa sunt, „ nec haberi queunt, nisi eo restituente, qui dederat. Reformabi„ lis est natura humana ... & eorum bonorum, quæ habuit, ca-

„ pax

---

(1) Non quodcumque liberum arbitrium dicit S. Prosper per peccatum Adæ sublatum, sed illud, de quo dicit S. Augustinus, quod *in Paradiso fuit, habendi scilicet plenam cum immortalitate justitiam*. S. Aug. l. 1. ad Bonif. cap. 3. n. 2. Tom. 10. pag. 413.

(a) *Ibidem*. (b) *Cap.* 11. *n.* 2. *p.* 192.
(c) *Cap.* 12. *n.* 1. *p.* 193.
(d) 3. *Reg.* 8. 17. (e) *Psal.* 131. *v.* 3.
(f) *Cap.* 12. *n.* 2. *p.* 193.
(g) *Cap.* 13. *n.* 1. *p.* 195.

„ pax est, ut per Mediatorem Dei, & hominum Christum Jesum [redacted]
„ in eo ipso quod ei remansit, possit recuperare quod perdidit. Re- S. PROSPER.
„ mansit autem ei rationalis animus, qui non virtus, sed virtutis
„ habitaculum est (*a*)".

Ut liberi arbitrii vigorem ostenderet Cassianus in decima defini- Propositio
tione statuit, Job suis viribus vicisse Diabolum, non auxilio gra- 10.
tiæ. „ Si enim (scribit) contra inimicum non sua virtute, sed
„ Dei solius fuisset gratia protegente congressus . . . quomodo non
„ illam calumniosam vocem Diabolus . . . . iterasset: *Numquid*
„ *Job gratis colit Deum? Nonne tu vallasti eum?* . . . *sed aufer*
„ *manum tuam* (*b*); hoc est, sine eum suis mecum viribus de-
„ certare . . . . Sed cum nullam hujuscemodi querimoniam calu-
„ mniosus hostis . . . . audeat iterare; non Dei, sed illius se vi-
„ ctum viribus confitetur (*c*)". Sed contra S. Prosper ostendit,
Job Dei auxilio vicisse; quippe qui in se Spiritum Sanctum habe-
ret; & „ quia Deus quem non deseruit, adjuvit; in eoque fecisse
„ tunc Dominum, quod postea in Apostolis, & Martyribus suis
„ spondebat esse faciendum, dicens: *Cum autem tradent vos, noli-*
„ *te cogitare, quomodo, aut quid loquamini: non enim vos estis*
„ *qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vo-*
„ *bis* (*d*). Non ergo deseruerat Deus, quem curabat, neque opem
„ abstulerat ab eo, cui purificatoria remedia, quibus clarius nitesce-
„ ret, admovebat (*e*)".

Opinionem suam exemplo etiam Centurionis fulciebat Cassianus; Propositio
unde undecimam statuebat definitionem suam, nimirum, „ nul- 11.
„ lius laudis, ac meriti esset, si id in eo Christus, quod ipse do-
„ naverat, prætulisset". Quem sic refellit Prosper: „ An dicen-
„ dum est, omnes quidem virtutes inter Dei dona numerari; sed in
„ illis hominem, quas de proprio habuerit, esse laudabilem, &
„ ibi esse merita, ubi Dei dona non fuerint? . . . Falso ergo scri-
„ ptum est: *Quia nemo potest esse continens nisi Deus det* (*f*)? . . .
„ Non secundum veritatem dictum est: *Omne datum optimum, &*
„ *omne donum perfectum desursum est descendens a Patre lumi-*
„ *num* (*g*)? Et, *Nemo potest accipere quidquam, nisi ei datum*
„ *fuerit de cælo* (*h*)"? Deinde ostendit, gratiam Dei hominis me-
ritum non auferre, scribens: „ Sic autem putasti, de testimonio
„ laudatæ fidei præjudicium doni gratiæ posse generari, quasi fides
„ ubi ostenderetur laudata, non doceretur esse donata. Laudat A-
„ postolus Romanorum fidem; & pro hoc bono eorum agit gra-
„ tias Deo, dicens: *Primum quidem gratias ago Deo meo per Je-*
„ *sum*

(a) *Ibid. n.* 2. (b) *Job.* 1. 9.
(c) *Cap.* 14. *n.* 1. *p.* 198.
(d) *Matth.* 10. 19. (e) *Cap.* 15. *n.* 2. *p.* 200.
(f) *Sap.* 8. 2. (g) *Jac.* 1. 17.
(h) *Joann.* 3. 27.

S. PROSPER. „ *sum Christum, quia fides vestra annuntiatur in universo Mundo* (*a*). Ad Corinthios quoque simili affectu scribit dicens: „ *Gratias ago Deo meo semper pro vobis in gratia Dei, quæ data est vobis in Christo Jesu, quia in omnibus divites facti estis in illo, in omni verbo, & in omni scientia* (*b*). Numquid agendo „ gratias Deo, credentibus sustulit laudem, aut laudando credentes „ meriti negavit auctorem (*c*)"? Hinc sic adversus ipsum concludit: „ Miror valde, quomodo non vides, aut ab aliis æstimes non videri, „ quod te ipsum tuo ore condemnas: dicendo enim, quod *Centurio, cujus fides Domini voce laudata est, nullius laudis esset, ac meriti, si id in eo, quod ipse donaverat, prætulisset*, definisti, „ Centurionem illum non donatam fidem habuisse, sed propriam, „ ac proinde nihil ejus principiis collatum fuisse per gratiam; in „ eadem autem fide causam fuisse & laudis, & meriti, quorum „ neutrum haberet, si id, cui & laus debetur, & meritum, Dominus contulisset . . . . Cum itaque huic fidei, quam ideo laudibus, & meritis honorasti, quia mavis eam inter liberi arbitrii bona, quam inter Dei dona numerari, æternam beatamque „ vitam constat esse præparatam, quomodo hoc vulnus declinabis, „ quo te ipsum configis, pronuntiando eos prophanos, qui gratiam „ dispensari secundum merita humana definiant, & asserendo, quod „ nec laudem constet habere, nec meritum eos, qui ex dono gratiæ fiunt fideles (*d*)"?

Propositio 12. In duodecima definitione statuit Cassianus duo genera Fidelium, quibus contraria accommodat, dicens: „ In eo, quod prior advocat, & ignorantes nos, atque invitos attrahit ad salutem, pro„ tector, atque salvator est: in eo autem, quod adnitentibus nobis „ opem ferre, refugientesque suscipere, ac munire consuevit, susce„ ptor, ac refugium nominatur". Hanc doctrinam plurimis refutat S. Prosper Scripturæ testimoniis, ostendens, Christum omnium qui salvantur esse Salvatorem, scriptum cum sit: *Et vocabis nomen ejus Jesum; ipse enim salvum faciet populum suum a peccatis eorum* (*e*): & rursum: *Nec est aliud nomen sub Cælo datum, in quo oporteat nos salvos fieri* (*f*): & iterum: *Nemo potest venire ad me, nisi datum fuerit ei a Patre meo* (*g*): „ Non „ ergo (deducit S. Prosper) secundum novam illam partitionem „ aliorum salvator, aliorum susceptor, sed omnium usquequaque „ fidelium & salvator, & susceptor est Christus . . . Non enim „ conturbat nos superbientium inepta querimonia, qua liberum „ arbitrium caussantur auferri, si & principia, & profectus, & „ perseverantia in bonis usque in finem Dei dona esse dicantur, „ quo-

(a) *Rom.* 1. 8. (b) 1. *Corinth.* 1. 4.
(c) *Cap.* 16. *n.* 2. *p.* 202.
(d) *Cap.* 17. *p.* 203. (e) *Matth.* 1. 21.
(f) *Actor.* 4. 11. (g) *Joann.* 15. 16.

„ quoniam opitulationes divinæ gratiæ stabilimenta sunt voluntatis „ humanæ. Volentes oramus: & tamen misit Deus spiritum in „ corda nostra clamantem, Abba, Pater: Volentes loquimur, & „ tamen, si pium est quod loquimur, non sumus nos loquentes; „ sed Spiritus Patris nostri qui loquitur in nobis. Volentes opera- „ mur salutem nostram, & tamen idipsum velle atque operari Deus „ est qui operatur in nobis. Volentes diligimus Deum, & proxi- „ mum: & tamen *Charitas* ex Deo est *diffusa in cordibus nostris* „ *per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis* (*a*). Hoc de fide, „ hoc de tolerantia passionum, hoc de pudicitia conjugali, hoc „ de continentia virginali, omnibusque virtutibus sine exceptio- „ ne profitemur: quod nisi donatæ essent nobis, non invenirentur „ in nobis; quod liberum arbitrium naturaliter homini inditum, „ maneat in natura; sed qualitate & conditione mutata per Me- „ diatorem Dei, & hominum hominem Christum Jesum, qui i- „ psam voluntatem ab eo, quod perverse volebat, avertit, & in „ id, quod ei bonum esset velle, convertit; ut delectatione affecta, „ fide mundata, spe erecta, charitate accensa liberalem susciperet „ servitutem, & servilem abjiceret libertatem (*b*)". S. PROSPER.

Confutatis duodecim Collatoris definitionibus, paucis verbis veluti epilogo & recapitulatione collegit omnia quæ protulerat argumenta ad ostendendum, præter primam definitionem, cæteras errores continere doctrinæ Ecclesiæ plane adversantes, ut facilius Lector & errores detegere, & illorum confutationem cognoscere valeat. Errores etiam omnes in præfatis contentos definitionibus exponit, & oppugnari demonstrat iisdem armis, quibus debellati sunt Pelagiani hostes doctrinæ Augustini, auctoritate scilicet Ecclesiæ, quæ decretis Summorum Pontificum, Innocentii, Zosimi, Bonifacii, & Cælestini eos anathemate perculit, qui præfatam doctrinam aut obscurare, vel labefactare sint conati, librumque claudit hisce verbis: „ Sufficienter, ut arbitror, demonstratum est, reprehenso- „ res S. Augustini & vana objicere, & recta impugnare, & pra- „ va defendere; peremptorumque armis intestinum bellum moven- „ tes, dictis divinis, atque humanis constitutionibus rebellare. „ Quorum tamen, dum adhuc non sunt a fraterna societate divisi, „ toleranda magis est intentio, quam desperanda correctio; ut do- „ nec Dominus per Ecclesiæ Principes, & legitimos judiciorum „ suorum Ministros, hæc, quæ per paucorum superbiam, & quo- „ rumdam imperitiam sunt turbata, componat; nobis Deo adju- „ vante sit studium, quieta modestaque patientia odiis dilectionem „ reddere, & ineptorum vitare conflictus, veritatem non deserere, „ nec cum falsitate certare; semperque a Deo petere, ut in omni- „ bus cogitationibus, in omnibus voluntatibus, in omnibus sermo- „ nibus

Recapitulatio libri adversus Collatorem.

(a) *Rom.* 5. 5.
(b) *Cap.* 18. *n.* 3. *p.* 205.

S. PROSPER. „ nibus, atque actionibus nostris, ipse teneat primatum, qui dixit „ se esse principium (*a*) (1)".

Psalmorum Expositio circa annum 434. Hæc Psalmorum Expositio est veluti epitome, & breviarium Commentariorum S. Augustini in Psalmos, adeo ut plerisque in locis verba Augustini nihil mutando descripserit, in aliis autem voces diversas substituens, sensus tamen sanctissimi sui Magistri est fideliter semper secutus. Incipit hæc Expositio a centesimo, & usque ad ultimum progreditur, vel quia totius Operis fortasse ab eo elucubrati tertia solum pars ad nos usque pervenerit, vel quia hos solos certa aliqua, Deo procurante providenteque, nata occasio suggesserit explicandos.

Liber Sententiarum S. Augustini. Sequitur liber sententiarum S. Augustini, in quo S. Prosper tercentas nonaginta collegit sententias, tum ex deperditis, tum ex adhuc extantibus S. Augustini Operibus, & haberi potest velut breve quoddam & enucleatum Theologiæ compendium, quod sibi exaraverat S. Prosper, ut quæ fusius in Augustino scripta legerat, sedulisque curis meditatus fuerat, ea in summam quamdam, brevesque quasi sententias, memoriæ juvandæ revocandæque gratia collegerit. Magno esse potest emolumento hic liber tum iis, qui Augustini opera legerunt, cum doctrinam ejus sub uno veluti conspectu exhiberi sibi gratulentur: tum iis, qui in Operibus Augustini adhuc rudes & inexperti eorum prolixitate deterrentur; nam brevi illa tam sublimioris, atque solidæ doctrinæ quasi tabella ad sedulam illorum lectionem accenduntur. Editores Monachi Sangermanenses Benedictini hunc Sententiarum Prosperi librum in fine Tomi decimi Operum S. Augustini excudi curarunt.

Chronicum S. Prosperi quæ complectatur. Chronicum suum S. Prosper a Mundi exordio duxit, & ad annum usque 455. hoc est, usque ad Vandalicam Urbis deprædationem perduxit. Non tamen novum ipse opus ad novæ chronologiæ exactiores calculos apparare sibi proposuit, sed dumtaxat Epitomatorem Eusebii prodere se voluit, quod egregie præstitit, ut testatur Victorinus, dum scribit: „ Eusebii tenorem Vir Venerabilis „ Prosper secutus, iisdem Chronicis hæc eadem egregia brevitate „ composuit, ut initium eorum a Mundi inchoaretur exordio". Verum cum Eusebius Chronicum suum nonnisi usque ad annum 326. perduxerit, in reliquis S. Prosper Hieronymi chronotaxim secutus est; ipse vero de suo adjecit Consulum fastos, quibus chronica illa carebant, a Christi usque Baptismo; seu, ut ipse vocat, *ab ejus manifestatione*, suisque locis inseruit. Attamen etsi ille Abbreviatoris dumtaxat partes susceperit, & in suorum priori parte Chronicorum Eusebium, atque Hieronymum contrahere voluerit; non

(a) *Cap*. 22. *p*. 210.
(1) Ex hac tum errorum Cassiani, tum doctrinæ S. Prosperi expositione, liquido apparet, quam falsa sit, meritoque proscripta 4. Jansenii propositio.

non ita tamen eorum vestigia pressit, ut eos quandoque non abjecerit, phrasesque, ac periodorum membra de suo non concinnaverit; immo & calculos alios non supposuerit. Unde & semper locuples ad Ecclesiasticæ Historiæ complementum censeri debet accessio, quod monumentum istud tamdiu inter tenebras densiores servatum, sine ullo decremento ad nos tandem illæsum pervenerit. S. PROSPER.

Non afferuntur sententiæ S. Prosperi ad Asceticam vitam spectantes, cum nullam de hac re suppeditent ejus scripta materiam.



CA-

CAPUT XXIV.

THEODORETUS,

Cyri Episcopus, & Ecclesiæ Doctor.

ARTICULUS PRIMUS.

Theodoreti Vitæ Breviarium.

THEODOR. Ortus circa annum 387.

THEODORETUS inter ævi sui celebriores viros merito numerandus natalem sortitus est non dissimilem a Sanctis Isaaco, Samuele, Joanne Baptista, & Gregorio Nazianzeno, cum & ipse a Deo parentibus donatus fuerit non sine peculiari munere: unde merito Theodoreti nomen accepit. Nam licet mater sterilitatem suam non ægre ferret, *Patrem tamen*, ut ipse scribit, *orbitas vehementer angebat, & quaquaversum oberrans Dei servos orabat, ut sibi liberos a Deo postularent* (*a*); donec tandem precibus Macedonii ascetæ impetravit, ea tamen conditione ab utroque parente liberrime acceptata, ut donatum sibi filium donatori redderent, cultui videlicet divino mancipandum in Monasterio; quod præstitere. Nam vix dum septennis Monasterio traditus est tum vitæ religiosæ institutis, tum litteris informandus. Inibi itaque ab infantia in doctrina Apostolorum, & Nicæni Concilii fide fuit innutritus. Admodum juvenis populo sacras legebat Scripturas. Hinc credibile apparet, in Lectorum ordine adhuc puerum fuisse collocatum (1). Non aliud saltem initio Monasterium incoluit, quam quod S. Euprepii dicebatur, positum prope Antiochiam, ubi natus erat circa ann. 387. In hac urbe tum humanioribus litteris, ac eloquentiæ, tum exoticis addiscendis linguis operam navavit: siquidem ex ejus libris apparet, ipsum non solum Syriacam linguam, qua fere omnes utebantur, sed & Græcam, & Hebraicam coluisse.

In Monasterium secedit, distributis in pauperes omnibus bonis.

Cum, defunctis parentibus, amplissimas opes accepisset, eas omnes pauperibus elargitus est, sola paupertate contentus; nec unquam

(a) *Relig. hist. cap.* 13.

(1) Non puer, sed cum annorum esset viginti, Lector creatus est a Porphyrio Antiocheno Episcopo, ut apparet ex Histor. Ecclef. lib. 5. cap. 35.

quam per reliquum suæ vitæ tempus vel domos, vel prædia, vel quidpiam aliud tamquam proprium possidere voluit, vestibus semper usus modestis, atque vilioribus. Licet in Clerum cooptatus, atque a Porphyrio Antiochenæ Ecclesiæ Episcopo Diaconus ordinatus, non tamen a Monasterio prius discessit, quam Episcopus crearetur, quamquam nec tunc asceticam vitam vivere desiit. Orbata interim Cyrensi Ecclesia Pastore, Theodotus Orientis Antistes, ut viduæ Ecclesiæ provideret, non alium præficiendum putavit, quam Theodoretum, quem reluctantem, & avide studia amantem ordinavit, misitque Cyrum, ut agrum excoleret sentibus, lolioque fœdissimum.

THEODOR.

Posita est Cyrus in ea parte Augustæ Euphratesiæ, quæ vergit ad Occidentem, & propius accedit ad Mare. Urbs est importuosa, & caput regionis, quæ longitudine milliarium quadraginta, & totidem latitudine patet, habetque montes multos, & magnos, partim nudos omnino, partim arboribus infructuosis consitos (*a*). Complectebatur Cyrastica vicos octingentos, sive quod a miseris sua quoque patria diligatur, sive quia saltem in planitie fertilitate non careret. Tot certe Ecclesiarum Theodoretus pastoralem curam sibi obvenisse Leoni Magno scribit (*b*).

Vitæ forma in Episcopatu.

In Episcopatu totus fuit, ut Ecclesiam suam ædificaret sanctissimis moribus, exemplis, atque doctrinis, eamque gratam redderet sponso suo. Nihil unquam omisit eorum, quæ pro veritatis, & amicorum defensione ab ipso æquitas, & conscientia postulabant; & annis vigintiquinque in Episcopatu transactis sic vixit, „ ut neque in „ jus vocatus fuerit a quoquam, neque ipse quemquam accusave„ rit. Nullus Clericorum, qui sub eo fuerunt, tribunalia tot „ annis frequentavit. Non obulum, non vestem a quoquam acce„ pit; panem unum, vel ovum nullus domesticorum suorum un„ quam accepit; præter panniculos, quibus erat amictus, nihil „ voluit possidere (*c*) “. Labores suos, & ærumnas in Episcopatu sic ipse enarrat, scribens: „ Vicos octo Marcionis hæresi „ corruptos una cum vicinis locis ad veritatem nolentes perduxi. „ Vicum alium Eunomianis refertum, & alium Arianis divinæ co„ gnitionis luce illustravi, nullumque apud nos Dei beneficio hæ„ resis lolium relictum est. Neque vero ista sine periculo præsti„ ti, sed fuso plerumque sanguine lapidatus ab eis persæpe, & ad „ ipsas Orci portas impulsus (*d*) “. Decem Marcionitarum millia a se baptismo tincta alio in loco refert (*e*); unde & Confessoris nomen promeruit. In laboribus suis, & in tam uberi fructu colligendo sibi maximi adjutorii fuisse testatur & sanctissimi Anachoretæ Jacobi orationes, & Sanctorum intercessiones, quorum reliquias apud se summa reverentia habebat.

Arctis-

(a) *Epist.* 42.
(b) *Epist.* 113. (c) *Epist.* 81.
(d) *Epist.* 81. (e) *Epist.* 145.

THEODOR.

Nestorium tuetur adversus S. Cyrillum, & Concilium Ephesinum.

Arctissima erat Nestorii, Joannis Antiocheni, & Theodoreti necessitudo; quippe qui plures annos simul vixerant in Monasterio Euprepii prope Antiochiam. In hac urbe remanserat post solutam Synodum Autumnalem apud Joannem Episcopum Theodoretus, quando delatæ fuerunt epistolæ ad ipsum per S. Cyrillum, & Cælestinum Summum Pontificem datæ adversus Nestorium. Re maturius deliberata cum Theodoreto, aliisque Episcopis, visum est Joannis nomine scribendum Nestorio, ut *Theotocon* confitendo impendentem capiti suo tempestatem averteret. Non erit porro vanus conjector, qui epistolam disertissimam a Theodoreto scriptam putet. Nam & de ipsius consilio dictata dicitur, & ipsius stylum refert. Tertia S. Cyrilli ad Nestorium epistola, cui admixti erant duodecim celebres anathematismi, nec Theodoreto, nec Joanni Antiocheno placuit, quin immo illos offendit, quippe qui eos non abesse ab hæresi Apollinarii suspicati sunt. Joannis precibus eos impugnandos suscepit Theodoretus scripto virulento quidem, & acerbiore, sed minus valido; cui respondit, refutavitque Cyrillus. Judicium adversus Nestorium in Ephesina Synodo pronunciatum ante adventum Episcoporum Orientalis Diœcesis, & adprobatio anathematismorum Cyrilli Joannem Antiochenum, Theodoretum, aliosque ipsis adhærentes Episcopos perculit, & exacerbavit. Nestorium itaque defendendum susceperunt, & clandestinum conventum agentes latam contra Nestorium sententiam resciderunt, Cyrillum, & Memnonem Ephesinum Episcopum deposuerunt, & reliquos eis consentientes a communione submovere, quamdiu non resipiscerent, & Cyrilli capitula non damnarent. Hæc autem omnia apud Joannem tam irregulariter acta diu Ephesinam Synodum non latuere, quæ statim nulla, atque irrita declaravit, & seditiosos semel, atque iterum ad reddendam rationem, contemnentes tamen, citavit, & paulo post contumaces excommunicationis pœna mulctavit, & a Sacerdotio dejecit, donec errorem suum confiterentur, & resipiscerent.

Theodoretus cum S. Cyrillo pacem init.

Jam ad propria revertebantur Orientales, completa Synodo Ephesina, cum Berœæ apud Acacium Concilium habuit Joannes Antiochenus supra mandata Imperatoris ab Aristolao Tribuno delata, quo jubebantur Cyrillus, & Joannes vel sponte convenire, pacemque Ecclesiis reddere, vel Nicomediam venire, non prius inde recessuri, quam concordiam iniissent. In eo conventu decretum est, nonnullos articulos Cyrillo esse exhibendos, quibus subscriberet. Respondit S. Præsul epistola ad Acacium, in qua & conditiones exponit ineundæ cum Orientalibus pacis, & fidei suæ confessionem ad omnes in suis anathematismis præconceptas suspiciones removendas. Hanc epistolam accurate discussit Theodoretus, eamque Catholicam doctrinam exponere agnovit, & fassus est. Verum minime adduci potuit, ut a Nestorio recederet, ejusque depositionem ratam haberet. Interim Imperator videns schisma non aboleri, sed adhuc vigere, jussit ut Ecclesiis pellerentur, qui concordiam recusarent. Hisce minis minime perterrefactus Theodoretus

in sen-

in sententia perstabat, sed precibus permotus S. Jacobi Nisibensis junioris, S. Simeonis Stylitæ, & S. Baradathi rogantium, ut pacem iniret, collationem habuit cum Joanne Antiocheno, qui una cum plerisque Orientalibus concordiæ accesserat, & pacto inito, ne de Nestorii depositione mentio fieret, sed de sola fide, tandem cum Joanne Antiocheno, & Cyrillo Alexandrino in amicitiam, & concordiam venit (*a*). Hæc contigere annis 433, & 434. At post biennium iterum, ut damnationi Nestorii subscriberet, rogatus primo abnuit: at cognita hæresi Nestoriana plane adversa doctrinæ Ecclesiæ, se eam detestari publice professus est.

Theodoretus ab Ephesina prædatoria Synodo rejectus Cyro discedit anno 450.

Cum Eusebius Dorylæi Episcopus comperisset ex variis cum Eutyche habitis collocutionibus, hunc Archimandritam in errorem Nestorio contrarium incidisse, sæpius ipsum admonuit, ut pessimum abjiceret errorem; sed frustra: nam admonitione contempta, obstinate illum retinebat, immo & adversus ipsum, Sanctos Patres, & Deum audacter insurgebat. De tota re Flavianum Constantinopolitanum Episcopum, in cujus Diœcesi situm erat Monasterium, cui Eutyches præerat, certiorem fecit. Coegit itaque Flavianus Synodum die octava Novembris anni 448., in qua Eusebius unus ex Episcopis ad Synodum vocatis libellum accusationis adversum Eutychem proposuit. Citatus fuit a Concilio, & primum se sistere recusavit; deinde accessit, & cum obfirmato animo duas inconfusas, & impermixtas in Christo post Incarnationem naturas confiteri renueret, excommunicatione perculsus fuit, & ab officio Sacerdotali, atque Monasterii Præfectura depositus. Ut hoc judicium declinaret Eutyches, totam commovit Constantinopolim; & Theodosio Juniori Principi ob nimiam credulitatem, & mediocritatem ingenii, Aulicorum astutis suggestionibus semper versatili, per Chrysaphium Eunuchum, quem e sacro fonte susceperat, & qui tunc temporis in Aula omnia poterat, Flavianum, quem ut Nestorianum traducebat, adeo exosum reddidit, atque suspectum, ut Imperator generalem Synodum Kalendis Augusti anni 449. congregari mandaverit, in qua, Dioscoro Alexandrino Episcopo præsidente, Eutychiana causa retractaretur; in hac tamen Synodo prohibuit Imperator, ne admitteretur in consessum Theodoretus. Convenerunt itaque Ephesum undique Præsules circiter 360., & cœpta Synodus 6. Idus Augusti, quæ adeo infamem exitum ob improbitatem, tyrannidemque Dioscori, & Barsumæ Archimandritæ Syri, qui secum venerat, truculentiam sortita est, ut inde Prædatoriæ, & Latrocinalis nomen retulerit. In ea siquidem Eutychete in integrum restituto, Flavianus Patriarcha, & Eusebius Dorylæi Episcopus, ac Theodoretus noster, licet absens, damnantur, & deponuntur. Episcopi per milites introductos territi injustæ sententiæ licet gemebundi subscribunt, exceptis Leonis Papæ Legatis. Flavianus

(a) *Append. Concil. Baluz. p.* 834. *& seq.*

THEODOR.

vianus ad Romanum Pontificem provocans cæditur, & in exilium deportatur, ubi paulo post dolore inflictarum plagarum exspirat. Dum hæc geruntur, Theodoretus, postquam se depositum didicit, decernit ad Sedem Apostolicam recurrere, quod præstitit. Dat ad S. Leonem prolixam epistolam, in qua post plurima elogia Leoni tributa conqueritur, se absentem & inauditum a Dioscoro inique fuisse damnatum. Quæ pro Ecclesia fecit, & scripsit, exponit; ex quibus „ facile (inquit) est agnoscere, an stabilem fidei regulam ser„ vaverim, an ab ejus rectitudine deflexerim ". Deinde sic Pontificem alloquitur: „ Ante omnia ut a vobis docear, oro, an me „ oporteat in hac injusta depositione acquiescere, an non; vestram „ enim sententiam expecto. Quod si in judicatis manere me jus„ seritis, manebo; neque ulli hominum deinceps molestus ero: „ sed rectum Dei Salvatoris nostri judicium expectabo. Mei qui„ dem testis est Dominus Deus; honoris, & gloriæ cura non tan„ git, sed scandali, quod injectum est: quia multi e simpliciori„ bus .... sedem illorum, qui condemnarunt, attendentes, hæ„ reticos nos fortasse existimabunt (*a*) ". Epistolam hanc Romam attulere Chorepiscopi duo Abrahamus, atque Hypatius cum Alypio Monachorum Euphratesiæ Exarcho. Scripsit eodem ferme tempore etiam ad Anatolium Patricium, quo patrono maxime utebatur, enixe precatus, ut ab Imperatore obtineret sibi facultatem fieri vel eundi Romam ad Summi Pontificis judicium, vel se ad Monasterium recipiendi, quod tribus milliaribus Apamea aberat. Sunt qui putant neutrum impetrasse; probabilius tamen est, eum Imperatoris venia in Monasterium secessisse: nam in litteris ad Apellam post Latrocinale Concilium datis scribit: „ E„ go quoque incumbentem defleo calamitatem; & mihi sane gra„ tulor, qui ex tumultibus evaserim, mihique grata fruar „ tranquillitate (*b*) ". Interim tamen nullus in ejus locum suffectus est, nec populus Cyrensis, nec Provinciæ Episcopi de alio in Sede Theodoreti substituendo cogitarunt. Et revera parum ab Episcopatu abstinuit, & a sua abfuit Ecclesia, nisi vix per integrum annum, cum ejus depositio circa annum 450. facta fuerit, in quo 4. Kal. Augusti Imperator Theodosius Junior vita discessit.

Suæ Sedi restituitur anno 450.

Imperii habenas Pulcheria reassumpsit Theodosii soror, postquam quinquagenaria Marciano fecit conjugis nomen, & Imperii socium adscivit, qui statim jussit, ut omnes Episcopi cum Flaviano extorres ab exilio revocarentur. Inter hos primus fuit Theodoretus nominatim revocatus, ut constat ex ejus epistola data Acciano Consuli, Anatolioque Patricio, qui pro ejus revocatione Imperatorem exoraverant (*c*). A Pontifice quoque benigne excepti fuerunt Theodoreti Legati, atque ejus causa in Conclio disceptata, Summus

(a) *Epist. 113. pag. 983. Tom. 3.*
(b) *Epist. 124.*
(c) *Epist. 138. & seq.*

Summus Pontifex S. Leo sententiam tulit, qua, nulla habita ratione sententiæ Dioscori in Latrocinali Synodo, declaravit, Theodoretum primo injuste judicatum, deinde nunquam communionis apostolicæ fuisse exortem, denique restituendum in Sedem, ex qua per injuriam expulsus fuerat. THEODOR.

Concilio Chalcedonensi interfuit jussu Imperatoris, ut habetur in Actis Concilii, ubi sic legitur: „ Gloriosissimi Judices, & „ amplissimus Senatus dixerunt: Ingrediatur Reverendissimus Episcopus Theodoretus, ut sit particeps Synodi; quin & restituit ei „ Episcopatum Sanctissimus Archiepiscopus; & sacratissimus, ac „ piissimus Imperator sanxit, eum adesse Sanctæ Synodo (*a*) ". Obstiterunt diu tumultuosi Ægyptii simul, & Illyrici, ac Palæstini Episcopi; sed Orientis, Asiæ, & Thraciæ, ut reciperetur, postularunt. Cessavit tumultus, interloquentibus Principibus; suumque locum, sed jure quidem fiduciario, Theodoretus tenuit, donec actione octava lis dijudicata est. Sedit itaque Theodoretus in medio cum Eusebio Dorylæi ambo ceu accusatores: Et hæc acta sunt in prima sessione. In octava vero hæc acta sunt: *Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus modo anathematizet Nestorium*. Libellum obtulit suæ defensionis Theodoretus petens, ut legeretur. *Sed reverendissimi Episcopi clamaverunt: nihil relegi volumus; modo anathematiza Nestorium*. Tunc Theodoretus: „ Veni satisfacere, me esse Orthodoxum; & omnem hæreticum, qui „ converti noluerit, anathematizo; & Nestorium, & Eutychen, „ & omnem hominem dicentem, vel opinantem duos Filios anathematizo .... Ego autem & fidei definitioni subscripsi, & „ epistolæ Sanctissimi, & Deo amantissimi Archiepiscopi Domini „ Leonis; & sic sapio. Tunc gloriosissimi Judices dixerunt: omnis jam dubitatio de Theodoreto Episcopo ... soluta est ... „ Omnes Reverendissimi Episcopi clamaverunt: Theodoretus dignus est Sede: Ecclesia Pastorem recipiat .... Hoc judicio „ Sanctissima, & Venerandissima Synodus .... reddi ei propriam „ Ecclesiam definivit (*b*) ". In Concilio Chalcedonensi admittitur.

Ita suæ Ecclesiæ restitutus cum plenissima potestate sibi etiam ab Imperatoris Ministris confirmata eam regendi, & gubernandi, sedit in Synodo cum cæteris Episcopis, & suffragium tulit, & præsertim in actione postrema habita Kal. Novembris, in qua Concilio subscripsit tamquam Episcopus Cyrensis (*c*). Inverosimile proinde est, quod postea Synodi Chalcedonensis hostes confinxere (*d*), nimirum ficte, & oretenus, non corde, & veritate Nestorium damnasse, ac statim a Concilio discessisse, ac relicto Episcopatu in Monasterium se recepisse. Nam hoc nullo teste affirmabant, Theodoreto rescribit S. Leo Papa. Moritur Theodoretus circa ann. 457. vel 458.

(a) *Tom.* 4. *Concil. pag.* 102.
(b) *Ibid. pag.* 620.
(c) *Ibid. pag.* 808.
(d) *Ibid. pag.* 1675.

THEODOR. mabant, & in lege a Marciano promulgata pridie nonas Julii anno 451. Episcopus appellatur. Insuper S. Leo Papa in epistola ad eum data 5. Idus Julii anni sequentis illum alloquitur tamquam Episcopum gregi suo excubantem; ac Theodoretus ipse in fronte sui Tractatus hæreticarum fabularum se Cyri Episcopum appellat. Cur S. Leo Theodoreto scriberet, illud in causa fuit, quod ejus Legati e Chalcedonensi Synodo reduces ejus in fide firmitatem celebrarunt. In hac epistola Sanctissimus Pontifex ei gratulatur primum ob victoriam de Nestoriana impietate, Eutychiana vesania, hoste Dioscoro reportatam, tum ob dignitatis restitutionem Concilii sententia firmatam, ac suæ epistolæ adversus contradicentes defensionem, sive expositionem. Deinde vehementi ratione hortatur ad fidem apertius imposterum, libentiusque profitendam, quam fecisset hactenus præ Nestorii amore nondum radicitus evulso. Unde sic scribit: „ Hoc „ præcipue præsenti occasione credimus admonendum, frater carissime, „ ut quotiescumque, divina gratia administrante, illos, qui foris „ sunt, fonte doctrinæ aut submergimus, aut purgamus, in nullo „ ab illis, quas Spiritus Sancti divinitas in Chalcedonensi Conci„ lio protulit, fidei regulis recedentes, inter utrumque hostem no„ vellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni cautela libremus: „ non jam, quod absit, tamquam de dubiis disceptantes, sed au„ ctoritate summa, quæ bene definita sunt, adstruentes“. Et post pauca subdit: „ Hoc quoque contra hostes Ecclesiæ provi„ dere condignum est, ut eis nullam calumniandi occasionem, „ quod ad nos attinet, penitus relinquamus, nec unquam contra „ Nestorianos, aut Eutychianos agentes alteri eorum videamur ter„ ga vertere: sed utrosque Christi hostes æqua lance vitemus, at„ que damnemus, ita ut eos, quoties audientium quantalibet po„ scit utilitas, cum dogmatibus eorum digno anathemate promptis„ sime, atque evidentissime feriamus; ne si hoc a nobis aut obscu„ rius fieri videatur, aut tardius, putetur invitum (a)“. Denique epistolam claudit mandato, quo Theodoretum jubebat identidem ad Sedem Apostolicam referre, quo statu forent res Ecclesiæ, quamque ipse navaret operam extirpandis Nestorianorum, & Eutychianorum reliquiis. Obiit Theodoretus, ut communior fert sententia, anno 458. Gennadius anno non designato defunctum scribit sub Leone Augusto (b), qui regnare cœpit anno 457. Marcellinus Comes indicare videtur, Theodoretum adhuc in vivis fuisse anno 466., quo scribebat adversus Eutychen, & Dioscorum. Sed apertus est de tempore error Marcellini.

Theodoreti elogium. Theodoretus ob eximiam suam in pueritia, & adolescentia pietatem, ob Apostolicos in Episcopatu exantlatos labores, tanta passus ab hæreticis pro fide, solitudinis amans, in pauperes effusus, tot virtutibus insignis, intrepidus in fidei confessione, & ejus veri-

tatis

(a) *S. Leo Pap. epist. 63.*
(b) *Gennad. de Script. Eccles. cap. 89.*

tatis ſtudioſus, cujus eximia humilitas in ejus libris apparet, ſemper in Eccleſia ſumma habitus fuit veneratione. Ex antiquioribus nonnulli eum *Sanctum* (*a*), & *virum cæleſtem* (*b*) appellarunt, & ab omnibus *Beati* titulo decoratur (*c*). Poſt obitum ejus nomen ſemper in Sacris Dptychis lectum fuit in Eccleſia Catholica, & habitus ut Epiſcopus, cujus fides integra fuerit, & pura. Hinc ab aliquibus non immerito appellatur *fidei Orthodoxæ ceu columna immobilis, & inter celebriores, doctioreſque Epiſcopos merito connumerandus* (*d*). THEODOR.

Theodoreti Opera hæc recenſentur: Commentaria in octo priores libros Bibliorum in Dialogi modum: Commentaria in omnes Pſalmos: Explanatio Cantici Canticorum: Commentaria in Jeremiam, Ezechielem, Danielem, & in duodecim Prophetas minores, & in epiſtolas D. Pauli: Hiſtoria Eccleſiaſtica quinque libris diſtributa: Eraniſtes, ſive Polymorphius tribus dialogis: Hæreticarum Fabularum libri quinque: De Providentia libri decem: Sermones decem de curandis affectionibus Græcorum, & de Caritate: Sermo de S. Joanne: Fragmentum tractatus de hæreſibus ad Sporacem: Confutatio duodecim anathematiſmorum S. Cyrilli: Fragmentum libri adverſus eumdem Cyrillum; & denique plures epiſtolæ. Theodoreti Opera.

Omnium Editionum Theodoreti optima eſt illa P. Sirmondi Soc. Jeſ. Græco-Latina 4. Tomis in folio Pariſiis anno 1642. P. Garnerius ejuſdem Societatis quintum edidit volumen anno 1684. nonnulla alia complectens Theodoreti opera cum ejus Vita, & Diſſertationibus quinque. Digna ſunt quæ legantur Theodoreti Opera; excipienda tamen, quæ adverſus S. Cyrillum conſcripſit in favorem Neſtorii, & quæ damnata fuerunt una cum perſona Theodori Mopſueſteni, & epiſtola Ibæ Edeſſeni in quinto generali Concilio habito anno 553., in quo tria præfata Capitula damnata ſunt. In hac tamen Synodo, quæ ſecunda eſt Conſtantinopolitana, nihil pronunciatum adverſus Theodoreti perſonam, quippe qui & ore, & ſcriptis Neſtorii errores deteſtatus eſt, & oppugnavit, & ad Catholicam communionem receptus fuerat & a S. Leone Magno, & a Patribus Concilii Chalcedonenſis. Optima Editio.

Theodoreti Opera italice verſa hæc habentur. I. *De providentia Dei ſermones decem, per Lucium Paulum Roſello Patavinum*. Venetiis ſub ſigno Putei 1551. apud Bartholomæum Ceſano. Iterum Venetiis per Gabrielem Giolito de Ferrari 1552. II. *De affectionum Græcarum curatione ſermones* verſi a Dardio Bembo. Venetiis per Joannem Alberti 1617. Ex Argelato & Paitonio.

(a) *Marcellin. ad an. 466.*
(b) *Photius Cod. 204. pag. 527.*
(c) *Ibid. Cod. 203. pag. 526.*
(d) *Jo. Euch. in T. 5. Op. Theod. pag. 148.*

THEODOR.

ARTICULUS SECUNDUS.

Præcipuorum Theodoreti Operum Analysis.

Commentaria in Octateuchum. Quid complectantur.

INTER opera Theodoreti in Editione Parisiensi primo loco collocantur ejus Commentaria in Octateuchum, sive in octo priores Bibliorum libros, videlicet Pentateuchum Moysis, Josue, Judicum, & Ruth. Hæc Commentaria hunc præferunt titulum, *De selectis Scripturæ Sacræ quæstionibus ambiguis*. Unde apparet, non continuata serie sermonis sacrum textum sibi interpretandum sumpsisse Theodoretum, sed solum difficiliora loca, & potiores quæstiones pertractasse. Propositæ sunt quæstiones ad instar Dialogi per interrogationes, & responsiones. In interrogatione difficultas breviter proponitur, & in responsione solvitur. Opus hoc elucubravit Theodoretus postremis vitæ suæ annis. Et in præfatione animadvertit, „ non omnibus eumdem inquirendi scopum, & „ finem esse. Sunt enim, qui impie sciscitantur, divinam Scri- „ pturam nunc tamquam non recta præcipientem, nunc veluti con- „ traria docentem redarguere studentes: alii vero discendi studio „ quærunt, & invenire cupiunt, quod quæritur ". Ideo subdit, se scribere, ut „ & blasphema illorum ora obstruat, divinæ Scri- „ pturæ ostendens tum consonantem, tum optimam esse doctrinam; „ & istis, quoad consequi licebit, dubiarum quæstionum explana- „ tionem promet (*a*) ".

Quæstiones in Genesim Tom. 1. pag. 1.

Ordinem secutus Sacrorum Librorum a Genesi commentaria sua exorditur Theodoretus, & centum, ac decem quæstionibus potiores illustrat, & solvit difficultates, quæstionesque, licet non omnes paris sint momenti. In prima itaque quæstione inquirit, quam ob causam ante rerum omnium opificium Scriptor narrationem de Deo non instituerit? & respondet: „ Cum conspicuam creaturarum „ Deum constituerent Ægyptii, quibuscum Israel diutissime conver- „ satus impietatem hanc imbiberat, necessario quæ de creatura sci- „ re expediat, illis proponit, ac diserte docet, illam habuisse ini- „ tium, & ab universorum Deo creatam esse ... Jam autem qui „ hæc docebantur, alias didicerant, Deum esse æternum. Divinus „ enim Moyses a Deo omnium missus in Ægyptum jussus est dice- „ re tribulibus suis: *Qui est, misit me ad vos* (*b*). Istud autem „ *qui est* æternitatem significat (*c*) ". In quæstione vero subsequente docet, ideo non meminisse Scripturam creationis Angelorum, ne Judæi, qui „ imaginem vituli Deum designaverunt, & tam „ facile sibi Deos finxerunt e jumentorum simulacris, in Idolola- „ triam

(a) *Præf. pag. 2. Tom. 1. Edit. Parisiensis an. 1642.*
(b) *Exod. 3. 14.*
(c) *Quæst. 1.*

THEODOR.

„ triam facilius laberentur, invisibilis naturæ notitiam assecu-„ ti (*a*)". In sequentibus vero quæstionibus hæc docet, „ in-„ utile esse nosse, quando conditi sint Angeli; an præcedant crea-„ tionem cæli, & terræ, & an una cum eis creati sint; cum suffi-„ ciat scire circumscriptam esse illorum naturam, & loco opus ha-„ bere in universo, & creatos, & positos, ut præsint populis, na-„ tionibus, & etiam singulis hominibus (*b*): & licet verosimile „ sit una cum cælo, & terra creatos esse ... tamen si quis Ange-„ lorum turbas ante cælum, & terram conditas esse dixerit, non „ offendet verbum pietatis (*c*)". Exponens illa verba: *Spiritus Domini ferebatur super aquas*, dicit, „ quibusdam videri fuisse „ Spiritus Sanctus, qui vivificabat, & fœcundabat aquarum natu-„ ram. Verius autem putaverim, quod hic aerem vocet Spiri-„ tum. Nam cum dixisset, Deum creasse cælum, & terram, & „ aquarum meminisset sub nomine abyssi, necessario & aeris men-„ tionem fecit a superficie aquæ ad cælum usque permeantis... Aper-„ tissime autem non dixit *incumbebat*, sed *ferebatur*; quia verbum „ illud *ferebatur* substantiam aeris mobilem indicat... Unde & Da-„ vid dicebat: *Flabit Spiritus ejus, & fluent aquæ*. Quod vero „ ventum ita vocaverit, etiam me tacente manifestum est (*d*)". Duos tantum admittit cælos, nimirum unum ante lucem creatum, quod proprie cælum dicitur; alterum post lucem, „ quod cum ex „ aquarum fluida substantia compositum sit, & natura fluida conden-„ sata, & consolidata fuerit, firmamentum nominatum est... Plura-„ liter autem Divina Scriptura cælos nuncupat dicens *Cæli Cælorum*; „ quoniam Hebraica lingua neque cælum, neque aqua singulari „ numero novit appellare (*e*). Similiter & factum est in luce, „ quam Deus distinguens pro arbitrio suo ex ea luminaria magna, „ & parva condidit (*f*)". Quod autem illa posita dicantur *in signa, & tempora, & in annos, & in dies*, interpretatur, ut illis „ cognoscamus tempus opportunum seminandi, plantandi, purgandi, „ ligna cædendi ad navium, & domuum constructionem idonea", & ut dies, anni, & menses distinguerentur (*g*). Illa verba, *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram*, non Angelis dicta esse observat Theodoretus: „ Substantia enim Angelo-„ rum, & Dei non est una, neque imago est eadem; sed perso-„ narum innuit Trinitatem. Et quoniam Deus animal rationale „ formabat, quod postea renovaturus erat post multas generatio-„ nes, sanctæ Trinitatis invocationibus sacrosanctum baptisma in-„ stituens, cum fabricaturus esset naturam, cui hæc mysteria cre-„ derentur, obscure identitatem substantiæ, & personarum nume-

---

(a) *Quæst.* 2. *pag.* 4.
(b) *Quæst.* 3. *pag.* 5.
(c) *Quæst.* 4. *pag.* 6.
(d) *Quæst.* 8. *pag.* 8.
(e) *Quæst.* 11. *pag.* 10.
(f) *Quæst.* 14. *pag.* 11.
(g) *Quæst.* 15. *ibid.*

THEODOR.

„ rum aperuit. Dum enim inquit: *Dixit Deus*, communionem di-
„ vinæ naturæ indicavit; ſubjungens autem illud *faciamus*, expreſ-
„ ſit numerum perſonarum (*a*)". Ad imaginem vero dicit creatum hominem non ſecundum corpus, ſed ſecundum animam, quæ ſpiritualis eſt, intellectualis, inviſibilis, atque incorporea (*b*). Exponens vero, quæ narrantur de ligno vitæ, & de ligno ſcientiæ boni, & mali, dicit, „ hujuſmodi ligna e terra orta eſſe, ut perhibet
„ Scriptura. Non igitur alterius naturæ, quam reliquæ plantæ...
„ ſed propter divinam ſententiam alterum ex his *lignum vitæ* no-
„ minatum eſt: alterum vero quia per ipſum ſentiri cœpit pecca-
„ tum, appellatum eſt *lignum cognitionis boni*, & *mali* (*c*)". Deinde inquirit: „ quomodo fieri poterat, ut ii, qui ratione or-
„ nati, & ad imaginem divinam creati erant, diſcretionem boni,
„ & mali non haberent (*d*)"? Et reſpondet: „ Habebant ſine
„ dubio notitiam, ſed experimentum poſtea ceperunt. Nam &
„ pueri juniores veſte nudati erubeſcere natura non ſolent, paula-
„ tim autem creſcente corpore, cum mens poſtea propriam natu-
„ ram exerere cœperit, adulti jam non patienter ferunt ſe nudari,
„ ſed erubeſcunt, & conteguntur (*e*)". Verba vero illa: *Aperti ſunt oculi amborum*, interpretatur Theodoretus de conſcientiæ remorſu, & de ſenſu illo, qui peccatum ſecutus eſt (*f*). Creatum dicit a Deo „ Adam mortalem: nam immortalis natura non opus
„ habet fœmineo ſexu... ſed poſt mandati tranſgreſſionem tulit
„ mortis ſententiam, ut humanum genus proſequatur odio pecca-
„ tum, quod fuerat mortis cauſa (*g*)". In Scriptura habetur: *Cum vidiſſet Cham pater Chanaam verenda patris ſui eſſe nudata, nuntiavit duobus fratribus ſuis foras*. Et paulo poſt dicitur: *Evigilans autem Noe ex vino cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor* (*h*). Cham autem non erat ejus filius minor, ſeu junior, ſed ſecundus, unde deſignari videtur non Cham pater, ſed Chanaan filius. Hanc apparentem contradictionem conciliari dicit Theodoretus, quod „ primum Chanaan verenda avi ſui viderit,
„ ſuoque ſolum patri narraverit tamquam ſenem irridens. Cham
„ vero cum ſimiliter, ac fratres, non deberet impie ad patrem ac-
„ cedere, ſed objurgare eum, qui primus viderat, & illudebat,
„ ipſe quoque perſuaſus & acceſſit, & vidit, fratribuſque renuncia-
„ vit (*i*)". Illos, qui bitumen, quo conſtructa eſt turris Babel, eſſe calcem vivam arbitrantur, ſic redarguit: „ Ignorantes
„ fontes in Aſſyria exiſtentes, putaverunt ex calce viva turrim æ-
„ dificatam eſſe. Ego vero diligenter didici ab iis, qui illinc ve-
„ niunt, eſſe fontes, qui hanc materiam cum aqua effundunt; &

„ quod

(a) *Quæſt.* 19. *pag.* 15.
(b) *Quæſt.* 20. *pag.* 16.
(c) *Quæſt.* 26. *pag.* 26.
(d) *Quæſt.* 27. *pag.* 27.
(e) *Quæſt.* 28. *ibid.*
(f) *Quæſt.* 33. *pag.* 30.
(g) *Quæſt.* 37. *pag.* 33.
(h) *Geneſ.* 9. 22. & 24.
(i) *Quæſt.* 51. *pag.* 46.

„ quod ædificiis conſtruendis illam adaptantes coctilem cum ea la- THEODOR.
„ terem componunt . . . aſſerentes alioqui penuriam eſſe lapidum
„ in Aſſyria, & ob eam rem lateribus uti pro lapidibus (*a*) “. Ex nominibus Adam, Cain, Abel, & Noe, quæ Syriaca ſunt, colligit Theodoretus, Syrorum linguam primitivam fuiſſe (*b*): Hebraicam vero linguam non ab Heber dictam, nec exinde Hebræos dictos; ſed „ ex eo, quod Abraham Patriarcha . . . flu-
„ vium Euphratem pertranſiit. Heber enim Syrorum lingua dici-
„ tur transfretator (*c*) “. Illos reprehendit, qui intemperantis laſciviæ accuſant Abrahamum, quod Agar concubinam habuerit.
„ Nam uxor naturæ ſuæ infirmitatem declarans, & a Creatore
„ ſterilem ſibi factum eſſe uterum dicens. . . rogavit ea de cauſa A-
„ braham, ut cum Agar congrederetur, quo ipſa liberos inde ſuſ-
„ ciperet; quid ergo peccavit Abraham? Maxime cum neque na-
„ tura, neque lex ulla tum ſcripta plures ducere uxores tunc pro-
„ hiberet (*d*) “. Inquirenti vero, quare Deus tentavit Abraham, cum omnia prænoſſet, reſpondet: „ Non ut diſceret ipſe,
„ quæ ſciebat, ſed ut ignorantes doceret, quam juſta de cauſa Pa-
„ triarcham diligeret, hac de cauſa tres dies, & totidem noctes
„ amoris divini in eo periculum fecit (*e*) “. Rachelem dicit
„ ſurripuiſſe idola non propter animi ſtudium, quo adhuc ample-
„ cteretur illa . . . . . ſed quia volebat Patrem liberare ab impio
„ Dæmonum cultu (*f*). Pietatem enim ejus ſatis docet Scriptu-
„ ra Divina: *Recordatus eſt enim*, inquit, *Deus Rachel*, *& exau-*
„ *divit eam*, *& aperuit vulvam ejus* (*g*) “. Geneſeos cap. 47. legitur, Joſephum omnes Ægyptiorum agros „ tempore famis ac-
„ cepiſſe, & poſtea reddidiſſe, lege lata, ut annui reditus quinta
„ pars Regi perſolveretur . . . Solam vero terram Sacerdotum ad
„ regis obſequium immunem ab ea præſtatione reliquiſſe “. Ubi animadvertit Theodoretus, „ Sacerdotes ejus, qui vere Deus eſt,
„ non gaudere hac immunitate, licet tantopere venerarentur homi-
„ nes impii eos, qui non erant Dii (*h*) “.

Juſſus eſt Moyſes Exodi cap. 3. ſolvere calceamenta. Cujus præcepti duas reddit rationes Theodoretus; nimirum primo, ut „ cum Quæſtiones in Exodum pag. 77.
„ metu audiret, quæ imperabantur; deinde ut prædoceretur, qua
„ ratione oporteret Sacerdotes in tabernaculo deſervire. Nudis e-
„ nim pedibus illi miniſteria divina peragebant, & ſacrificia (*i*) “. Explicans quid ſignificet Moyſis manus leproſa, ſcribit: „ Legiſ-
„ latoris manum infecit lepra, docens eos, qui plenius inſtructi
„ ſunt, horum nihil eſſe immundum. Nam dextera, quæ admi-
„ randa illa perpetravit, cum prius fuiſſet leproſa, ſignis divinis
„ inſer-

(a) *Quæſt.* 59. *pag.* 47.
(b) *Quæſt.* 60. *ibid.* (c) *Quæſt.* 61. *pag.* 48.
(d) *Quæſt.* 67. *pag.* 52. (e) *Quæſt.* 73. *pag.* 55.
(f) *Quæſt.* 90. *pag.* 64. (g) *Geneſ.* 30. 22.
(h) *Quæſt.* 107. *pag.* 70. (i) *Quæſt.* 7. *pag.* 79.

THEODOR. „ inservivit, elementa mutavit (a) “. Addit tardioris linguæ impedimentum non abstulisse a Moyse Deum; „ quoniam istud potentiam divinam magis illustrabat. Quemadmodum enim piscatores, publicanos, & coriarios veritatis prædicatores, & doctores postea creavit; sic per vocem infirmam, & linguam tardam confudit sapientiam Ægypti (b) “. Pluribus ex Exodo testimoniis probat Theodoretus, non fuisse Angelum, qui apparuit Moysi in flamma ignis rubi; „ sed Deum fuisse, qui apparuit. Vocavit autem „ (subdit) illum Angelum, ut cognoscamus, quod is, qui visus „ est ... fuit unigenitus filius, qui magni consilii est Angelus (c) “. Pluribus ostendit, Pharaonis obdurationem ex libera ejus voluntate prodiisse; & cum legimus, Deum indurasse cor Pharaonis, non ad litteram esse intelligendum, „ sed vel secundum præscientiam; „ quasi diceret: nihil horum Deus omnium ignoravit, sed ab initio prædixit; vel quia aggravatur cor, cum a nequitia pertrahitur, & cor contumaciter se gerens obfirmari dicitur, quasi reluctans Domino Deo, & jactanter volens ejus virtutem superare “; quod confirmat verbis Scripturæ dicentis: *Videns Pharao, quod cessasset pluvia, grando, & tonitrua, addidit quoque Pharao ut peccaret, & aggravavit cor suum, & servorum, & induravit cor Pharao, & non dimisit filios Israel, sicut dixerat Dominus Moysi* (d). „ Hæc autem omnia recensuit Moyses, docere volens, neque Pharaonem fuisse naturæ pravæ, neque Dominum „ Deum animum ejus durum, & reluctantem fecisse. Nam qui „ modo in hanc, modo in illam partem inclinat, demonstrat liberam animi voluntatem. Cæterum ut aliqua adducta similitudine controversiam dissolvamus, sol vi caloris sui ceram quidem „ liquefacit, lutum vero exsiccat: & illam quidem emollit, hoc „ autem indurat. Quemadmodum ergo Sol iste una, & eadem „ virtute contraria operatur; sic ex longanimitate Dei nonnulli capiunt utilitatem, alii vero damnum; & illi emolliuntur, isti „ vero indurantur. Quod & Dominus declaravit in Sanctis Evangeliis: *In judicium*, inquit, *ego in hunc Mundum veni, ut qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant* (e): Non quod „ per hoc declaretur, talem fuisse Domini scopum; neque enim „ hujus rei gratia venit, ut reddat eos, qui vident, cæcos; sed „ quod factum est, indicavit . . . Sed cum humana natura arbitrii „ habeat libertatem, qui crediderunt, salutem sunt consecuti; qui „ vero non crediderunt, gehennæ sibi facti sunt auctores. Sic & „ Judas cum videret, siquidem Apostolus erat; postea excæcatus „ est: Divinus autem Paulus, cum antea cæcus esset, postea visum recepit. Sic per adventum Salvatoris Judæorum plurimi „ excæcati sunt; gentes autem visum receperunt. Non tamen ob „ id,

(a) *Quæst.* 10. *pag.* 80.
(b) *Quæst.* 11. *pag.* 81. (c) *Quæst.* 5. *pag.* 78.
(d) *Exod.* 9. 34. 35. (e) *Joan.* 9. 39.

„ id, quod quidam non erant credituri, oportebat dispensationem „ Salvatoris nostri secundum carnem non fieri: hoc enim privaret „ orbem salute (*a*)". Eos refellit, qui dicere audebant, Moysem admiranda illa fecisse arte magica, scribens: „ Impudentissimum est dicere, Moysem magice miranda illa perpetrasse, cum „ clamarent Magi, signa virtutis esse divinæ. Si enim erat imaginarium, quod per Moysem gerebatur, illos quoque similiter „ effingere oportebat, & artificii socium convincere. Nunc vero „ diserte confitentur, hoc esse digitum Dei . . . Mutarunt quidem „ illi virgas in serpentes; sed virga Moysis illorum virgas devoravit. Mutarunt etiam aquam in sanguinem; sed aquam in pristinam naturam reducere non potuerunt. Ranas quoque produxerunt, non tamen ab illis potuerunt liberare domos Ægyptiorum (*b*)". Hinc data occasione inquirit: „ Si universa aqua „ mutata est in sanguinem, quomodo Ægyptiorum incantatores maleficiis suis eadem fecerunt, quæ Moyses? Et respondet": Erat „ illis mare proximum, aqua vero potui apta conversa erat in sanguinem sola. Licebat ergo illis aquam e mari illatam in domum regiam in colorem sanguineum convertere (*c*)". Præceptum non assumendi nomen Domini in vanum explicat dicens: „ Divinam legem statuere, ne quis nomen Domini pronunciet sine „ aliqua ratione aut docendi, aut orandi, aut necessariæ cujuspiam „ occasionis. Solent enim nonnulli etiam ludentes, & ridentes, „ ut inciderit, nomen Dei lingua proferre. Hoc arbitror divina „ lege prohiberi (*d*)". Rationem autem reddit, cur Deus non steterit promissioni, qua pollicitus erat, se daturum illis terram usque ad fluvium Euphratem, scribens: „ Introduxit illos Deus in „ terram promissam: posteaquam vero noluerunt servare legem divinam, non præstitit illis universam; sed reliquit quosdam, qui „ cum illis assidue pugnarent, ut oppugnati divinum auxilium implorarent (*e*). Jussit etiam construi Tabernaculum, ut inde apparens doceret populum cultum pietatis . . . legemque dedit celebrandorum ibi divinorum officiorum, ne arbitrium suum secuti „ in his peragendis prolaberentur in erroneum cultum Dæmonum „ (*f*)". Dicit quoque, quod in duodecim lapidibus aptatis Rationali Summi Sacerdotis belli tempore cognoscebatur, victoria ne, ac clades immineret (*g*). Ubi autem Scriptura de mensuris, & ponderibus loquitur, dicit, „ Josepho credendum esse in his rebus, ut „ qui gentis illius mensuras probe norat (*h*)". Ex his Theodoreti quæstionibus in Genesim, & Exodum luculenter apparet, ipsum non allegoriis intendisse, sed semper litteralem, & historicum

THEODOR.

(a) *Quæst.* 12. *pag.* 81. (b) *Quæst.* 18. *pag.* 86.
(c) *Quæst.* 21. *pag.* 88. (d) *Quæst.* 41. *pag.* 49.
(e) *Quæst.* 49. *pag.* 104. (f) *Quæst.* 60. *pag.* 105.
(g) *Ibid. pag.* 108. (h) *Quæst.* 64. *p.* 110.

THEODOR.

cum sensum sectari, & exponere, quæstiones omnes juxta obvium, simplicem, & litteraliorem sensum dissolvens.

Quæstiones in Leviticum & Numeros pag. 114.

At in quæstionibus in Leviticum alia prorsus incedit via, & Sacræ textus Scripturæ allegorice explanat, ad novam legem trahens, quæ de cæremoniis, & sacrificiis veteris Fœderis in Levitico habentur. Sic explicans ritum duorum hircorum, qui a Summo Sacerdote ad ostium Tabernaculi deducendi erant, ut alter in holocaustum offerretur, alter vero, qui emissarius dicebatur, in solitudinem mitteretur, dicit: „ Hæc vero typus erant Christi Domini, „ ita ut hæc duo animalia non pro duabus personis accipiantur, „ sed pro duabus naturis. Cum enim per unum hircum adumbrari „ commode non possent mortalitas simul, & immortalitas Christi „ Domini . . . duos afferri jussit, ut ille, qui mactabatur, carnis „ passibilem naturam figuraret: qui vero solvebatur, Divinitatis „ indicaret naturam impassibilem (*a*)". Hic tamen Scripturam explicandi modus non impedit, quin frequenter & litteralem sensum exponat. Addit eadem quæstione, Pontificem semel ingredientem in Sancta Sanctorum singulis annis „ præfigurasse dispensationem „ Salvatoris nostri secundum carnem, qui postquam semel passio- „ nem salutarem pertulit, ascendit in Cælum, æterna redemptione „ inventa (*b*)". Inquirens autem, quam ob causam Deus statuerit, Tribus esse discretas, respondet, „ ut sincerum conservaretur „ semen Juda, per quod Deus benedictionem gentibus pollicitus e- „ rat. Communicabant tamen inter se regia Tribus, ac Sacerdota- „ lis, propterea quod Christus Dominus secundum humanitatem rex „ futurus erat, & Pontifex (*c*)".

Quæstiones in Deuteronomium pag. 166.

Quæstiones in Deuteronomium exorditur ab explicatione nominis, quod interpretatum dicitur *lex secunda* (*d*). Deinde ad interrogationes progrediens dicit, „ præcepto suo, quo jussit: *Diliges Do-* „ *minum Deum tuum ex toto corde tuo*, manifeste nos docuisse, ne- „ minem posse duobus Dominis servire. Et hoc igitur loco (subdit) do- „ cemur, dilectionem non partiri in Deum, & virum, in Deum, „ & uxorem, in Deum, & liberos, in Deum, & amicos; sed totam „ dilectionis vim Creatori Deo consecrare. Deinde secundum Crea- „ torem quæ unicuique conveniunt, compartiri & parentibus, & „ uxori, & liberis, & fratribus, & amicis (*e*)". Exponens vero præceptum illud: *Non tentabis Dominum Deum tuum*, dicit illum Deum tentare, qui sine ratione cum periculo quidpiam agit. Nam cum Diabolus dixisset Christo: *Mitte te deorsum*, ait ipse: *Non tentabis Dominum Deum tuum* (*f*). De benedictionibus loquens, & maledictionibus in Deuteronomio recitatis, quærit, cur

plures

(a) *Quæst.* 22. *pag.* 131. (b) *Ibid. pag.* 132.
(c) *Quæst.* 51. *in Num. pag.* 165.
(d) *Quæst.* 1. *ibid.* (e) *Quæst.* 3. *pag.* 170.
(f) *Quæst.* 5. *pag.* 171.

plures sint maledictiones, quam benedictiones; & respondet, *quia improbi servi non tam moventur promissionibus libertatis, quam plagarum comminationibus* (*a*). THEODOR.

Quamvis in horum librorum commentariis frequentius literalem sensum sectetur, identidem tamen ad allegoricum dilabitur. Statim itaque in initio comparationem instituit inter Josue, & Christum dicens: „Quemadmodum Josue populum introduxit in terram „promissam, ita finita lege Jesus noster apparens populo regnum „cælorum aperuit (*b*)". In Rahab, quæ ante conversionem meretrix erat, figuram agnoscit Ecclesiæ Gentilium, cui Deus per Filium suum salutem attulit, & velut oleastrum in bonam olivam inseruit (*c*). Addit, quod „duodecim viri, & totidem lapides „ex alveo fluminis collecti in transitu Jordanis designabant cho„rum Apostolorum (*d*)" Nonnulli Interpretes arbitrati sunt, Deum fuisse Principem illum exercitus, qui evaginato gladio Josue apparuit; at Theodoretus arbitratur, „fuisse Michaelem Archan„gelum bono animo illum esse jubentem, & certiorem facientem „de suppetiis (*e*)". In subversione Urbis Jericho animadvertit, „hanc urbem primam post trajectum flumen captam esse. „Sicut ergo præcepit ei, ut offerret primitias fructuum, ita man„davit offerri primitias spoliorum. Patefecit autem eis potentiam „suam in urbe prima capiundo sine armis, aut machinis, quæ „dissoluta est solo tubarum sonitu, ut cum in acie vincerentur, „agnoscerent, se succumbendi dedisse occasionem divinas leges con„temnendo (*f*)". Dicit etiam, ideo præcepisse Deum, ut prius struerent insidias contra Hai, „ut doceret eos, utendum esse com„mentis etiam humanis, nimirum credentes auxilio divino. Quia „enim solo tubarum sono primam urbem ceperant, merito sane „discunt certare, & labori incumbere, & suppetias divinas expe„ctare (*g*)". Manue Angelo, quem hominem putabat, hœdum ad comedendum obtulit, qui tamen juxta Theodoreti interpretationem sic respondit: „Si me cogis, non comedam de panibus „tuis. Si autem vis holocaustum facere, offeres illud Domino. E„sca (inquit) non indigeo: sacrificium non suscipio: hoc enim „Dei; illud autem humanæ naturæ proprium. Ego vero ad in„star hominis opus habeo cibo, nec honorem Deo debitum ca„pio (*h*)". Narrationes de Micha, & de Levita minime suo loco positas censet Theodoretus: „Arbitror (scribit) eum, „qui hanc conscripsit historiam, non temere posuisse ultima, quæ „prima facta sunt. Voluit enim nobis prius ostendere successio„nes Judicum, & quis fuerit primus, quis secundus, quis tertius, „dein-

Quæstiones in Josue, Judicum, & Ruth.

(a) *Quæst.* 36. *pag.* 184.
(b) *Præf. in Josue ibidem*.
(c) *Quæst.* 2. *pag.* 196.
(d) *Ibid. pag.* 197.
(e) *Quæst.* 5. *pag.* 200.
(f) *Quæst.* 7. *ibid.*
(g) *Quæst.* 1. *pag.* 201.
(h) *Quæst.* 20. *pag.* 218.

THEODOR. „ deinde has duas ponere narrationes (*a*) “. Scriptam docet historiam Ruth „ propter Christum: ex ea enim ortus est secundum „ carnem. Et ideo divinus quoque Matthæus conscribens genealo- „ giam, virtute quidem insignes, ac celebres prætermisit mulieres „ Saram, Rebeccam, & alias. Thamar autem, & Ruth meminit, „ & uxoris Uriæ, docens, quod propter nos homines unigenitus Dei „ Filius homo factus est, & Judæos, & alias gentes, & peccatores, „ & justos (*b*) “. Utilem etiam dicit Ruth historiam „ propter „ hujus mulieris pietatem, & religionem: parentes enim reliquit, „ & Socrum secuta est . . . Et nos docet etiam Noemi graves ca- „ lamitates, & laudabilem constantiam, & temperantiam, amo- „ remque in Socrum (*c*) “. Booz etiam alterius Ruth mariti texit elogium, ejus sapientiam, puritatem, bonitatem, prudentiam, & in agendo solertiam commendans.

Quæstiones in libros Regum, & Paralipom. pag. 229.

Exposito Octateucho progreditur Theodoretus ad expositionem librorum Regum, & Paralipomenorum, „ ne Hypatii filii sibi „ carissimi petitionem relinqueret imperfectam (*d*) “. Ne longior tamen sit, solum difficiliora, & obscuriora loca sibi sumit exponenda, quæ ineruditus Lector proprio marte deprehendere, ac intelligere non valeret. Obscuritatem autem horum librorum (scribit) „ illud facit, quod studuerint Interpretes ad verbum inter- „ pretari. Quod ipsum iis etiam accidit, qui voces latinas in „ græcam linguam transferunt “. Addit, quod „ plurimi fuere „ Prophetæ, quorum libros quidem non invenimus: nomina autem „ didicimus ex historia Paralipomenorum. Horum unusquisque „ consueverat scribere quæcumque contingebant fieri suo tempore. „ Atque inde est, quod primus Regnorum apud Hebræos, & apud „ Syros nominatur prophetia Samuelis . . . . Qui ergo Regnorum „ libros scripserunt, ex scriptis illis accepta occasione post pluri- „ mum tempus scripserunt . . . Alii vero historiographi eorum, „ quæ ab illis fuerunt prætermissa, qui de his conscripserunt, li- „ brum appellarunt Paralipomenon, ut qui doceret ea, quæ fue- „ runt a prioribus prætermissa (*e*) “.

Literalem, & historicum sensum exponit Theodoretus.

Quæstiones omnes, quas in horum librorum explanatione versat Theodoretus, utillimum conficiunt Commentarium literalem, & historicum, ad textus intelligentiam quam maxime conducens; ut ex aliquibus, quas delibabimus, quæstionibus quisque facile poterit deprehendere. Inquirit itaque: „ cur cum Deus jusserit per legem „ in uno loco adorare, Samuel tamen in Ramatha altare ædifica- „ verit “? & respondet: „ Sacrum Templum nondum erat ædifi- „ catum, & Deum colebant in diversis locis. Cæterum hoc quo- „ que

(a) *Quæst.* 27. *pag.* 223.
(b) *Quæst.* 1. *in Ruth pag.* 224.
(c) *Ibid. pag.* 225.
(d) *Præf. in lib. Reg. ibid.*
(e) *Ibid. pag.* 230.

„ que discimus, quod cum sciret Deus populi propensionem ad im- THEODOR.
„ pietatem, divinum cultum uno loco circumscripsit. Piis enim,
„ & scopum legis scientibus quilibet locus erat consecratus ad Dei
„ cultum. Nam & celeberrimus ille Elias, cum divinum Tem-
„ plum omnes ad se vocaret ex lege, in Carmelo extruxit altare,
„ & obtulit sacrificium (*a*)". Inquirit etiam, cur *Jonathas volens irruere in hostes, dedit quædam signa armigero?* Et respondet: „ Non dedit symbolice, sed ut fidelis voluit nosse Dei vo-
„ luntatem, & signa sibi ipsi dedit divinæ voluntatis; ut si ab
„ ipsis quidem essent vocati, in eos irruerent, tamquam Deo aper-
te opem ferente (*b*)". Quomodo intelligendum, inquirit: *Filius anni erat Saul, cum ipse regnaret.* Et respondet: „ Hoc autem
„ significat animi simplicitatem, qua præditus erat Saul, quando
„ fuit Rex electus. Illa autem non diu est usus. Unde subjunxit
„ historiographus: *Et duos annos regnavit super Israel;* nempe
„ cum ea simplicitate regnavit duos annos (*c*)". In panibus propositionis a Pontifice Achimelecho datis Davidi, & ejus sociis præfiguratum agnoscit Eucharistici panis cibum. Nam „ non ii soli,
„ qui sunt consecrati, sunt participes dominici corporis & sangui-
„ nis; sed omnes, qui sunt sanctum assecuti baptisma (*d*)". Eos refellit, qui putant, „ quemdam dæmonem... ostendisse figuram
„ Samuelis, & dixisse, quæ sæpe audierat dicentem Samuelem,
„ ignorasse autem tempus mortis Saulis". Ipse vero censet, „ quod
„ ipse Deus universorum, efformata, ut voluit, specie Samuelis,
„ protulit sententiam. Impium enim est (inquit) credere & ne-
„ farium mulieres necromantias habere vim tantam, vel quamlibet
„ reducere animam, tantum abest ut prophetæ, & tanti prophe-
„ tæ"; quod confirmat ex dictis in libris Paralipomenorum: *Et mortuus est Saul in suis iniquitatibus, in quibus prævaricatus est Domino secundum eloquium Domini &c.* (*e*). Cum quidam reprehenderent David, quod eum interfecerit, qui mortem Saulis ei significaverat, Theodoretus sic hoc Davidis facinus illustrat dicens:
„ Admirari oportet prophetam, & regem. Malevoli enim viri au-
„ dita cæde luxit ... & qui significaverat nulla affectus injuria
„ morti insultabat .... Verbis quoque addiderat mendacium, se
„ nominans occisorem Saulis. Ad hæc accedit, quod erat etiam
„ Amalecita, in quem universorum Deus jam olim tulerat senten-
„ tiam mortis. Sunt etiam admiratione digna ipsa Prophetæ ver-
„ ba. *Quomodo*, inquit, *non timuisti inferre manum tuam, ut*
„ *interficeres Christum Domini? Sanguis tuus super caput tuum,*
„ *quia os tuum respondet adversum te dicens; ego morte affeci*
„ *Chri-*

(a) *Quæst.* 12. *pag.* 219.
(b) *Quæst.* 30. *pag.* 243.
(c) *Quæst.* 26. *pag.* 242.
(d) *Quæst.* 53. *pag.* 253.
(e) *Paralip.* 10. 13.

THEODOR. „ *Christum Domini* (*a*) ". Putat, Ozam non ideo mortis luisse pœnam „ propter temeritatem : inclinato enim plaustro manum „ applicare oportebat. Sed alterius delicti luit pœnam. Nam, „ cum Deus jussisset, ut Sacerdotes Arcam suis ferrent humeris, „ præter legem eam tulerunt in plaustro (*b*) ". Explicat, quomodo intelligendum sit, quod Salomon locutus est de lignis a Cedro, quæ est in Libano, usque ad hyssopum, qui exit e pariete, dicens, „ eum philosophando disseruisse de naturis, & potestatibus „ herbarum, & brutorum etiam animantium: adeo ut hinc plurima sint, ut arbitror, mutuati, qui libros scripserunt medicinæ „ calidorum, & frigidorum, siccorumque, & humidorum ordinem „ composuerint (*c*) ". Si Salomon Templum ædificavit lapidibus non cæsis securibus, ubinam opus fuerit tot latomis? Respondet Theodoretus: „ Ipsum Templum ædificavit ex lapidibus minime „ cæsis, cum divina voluisset providentia, ut invenirentur ejusmodi „ sua sponte nati lapides, ut ad eos compingendos nullo ferro esset opus, sed supra omnem artem ædificandi apte inter se conjungerentur. Sectis autem lapidibus extructus fuit Templi ambitus, & regia, & murus Metropolis, & aliæ urbes, quas effecit munitiores (*d*) . . . . Hos autem sectos lapides, quibus „ construxit ambitum Templi, jussit in monte poliri, & inter se „ concinnari, ut nulla de cætero egerent operatione (*e*) "; & sic intelligendum, quod dicitur: *Malleus, & securis, & omne ferramentum non sunt audita in domo, cum ædificaretur* (*f*). Sacer Scriptor bis eadem dicit, & sæpe prius ea, quæ sunt posteriora, hac de causa, ut videtur Theodoreto, „ quia scribit de duobus „ Regnis divisis; fitque nonnunquam, ut de altero magnam interponens narrationem, deinde transiens ad alterum, necesse habeat „ repetere ea, quæ jam prius dicta sunt, ut servet ordinem (*g*) ". Rationem reddit, cur Elias cibum a corvis allatum comedebat, cum esset sanctus, & ex lege vitam ageret dicens: „ Ipse Legislator hunc ei per corvos afferebat. Ipse enim & eum jussit latere in torrente Chorran promittens, per corvos se illi alimenta „ missurum, & promissum præstitit . . . . Per hoc nos docet Legislator, quod propter Judæorum imbecillitatem eas leges tulerit, quas aliquando quidem ipse jussit transgredi. Sabbato enim „ septies Jericho circumdare jussit Jesum prophetam, & Eleazarum Pontificem, & qui cum eo erant Sacerdotes, & universum „ populum . . . Et Sampson . . . cum comedisset favum mellis, „ quem

(a) *Quæst.* 1. *in lib.* 2. *Reg. pag.* 263.
(b) *Quæst.* 19. *pag.* 270.
(c) *Quæst.* 18. *in lib.* 3. *Reg. pag.* 303.
(d) *Quæst.* 23. *pag.* 304.
(e) *Quæst.* 24. *pag.* 306.
(f) 3. *Reg.* 6. *v.* 7.
(g) *Quæst.* 41. *pag.* 315.

„ quem in mortuo leone contexuerant apes, nullam subiit repre-
„ hensionem (*a*)". De vidua vero alienigena, ad quam missus fuit Elias, loquens Thedoretus animadvertit, quod Deus „ si Judæorum firmam cognovisset mentem, & fidem stabilem, non „ eos jussisset fugere consuetudinem cum alienigenis, sed contra „ jussisset eos simul degere, pietatemque, & veram Religionem „ eis prædicare (*b*)".

THEODOR.

Commentaria in Psalmos, & Canticum Canticorum pag. 393.

Suas in Psalmos Interpretationes citat ipse Theodoretus in quæstionibus in 2. Regnor. librum (*c*), & in sua ad Eusebium Ancyranum epistola (*d*). Cum Psalmi sint, quibus Christiani omnes, sed præcipue religionis alumni tum qui agros incolunt, tum qui urbes, præcipuam navant operam; „ optabile sibi fuisse, dicit „ Theodoretus, magni Davidis prophetiam interpretari. Sed (subdit) hoc nostrum desiderium non siverunt ad finem pervenire ii, „ qui a nobis aliorum sacrorum voluminum explanationes efflagitarunt. Namque imposuerunt mihi nonnulli, ut Canticum Canticorum exponeremus... Alii divini Ezechielis, alii duodecim Prophetarum prædictiones obscuritate involutas enucleari sibi, & declarari efflagitarunt. Postquam igitur dedit nobis universorum „ Deus . . . ut commentarios in hæc ipsius divina eloquia ad finem perduceremus . . . . hujus etiam Prophetiæ expositionem „ fidenter aggredimur. Nemo autem hunc nostrum laborem supervacuum existimet ex eo, quod & alii ante nos hanc eamdem „ provinciam susceperunt. Cum enim in varios incidissem Commentarios, qui partim in allegoriam cum multa satietate abibant, partim vero prophetiam quibusdam historiis sic adaptabant, ut Judæis potius interpretatio suffragaretur, quam Fidei „ alumnis; solertis esse putavi, & horum, & illorum immodicitatem fugere; quæcumque quidem priscis historiis cohærebant, „ his hæc accommodare etiam nunc; prædictiones autem de Domino Christo, & de Ecclesia e gentibus conflanda, nec non de „ Evangelica Republica, deque Apostolicis prædicationibus non „ aliis quibusdam adscribere; quod Judæi facere solent . . . . „ Studebimus autem, quoad in nobis erit, orationis prolixitatem vitare, compendiosamque volentibus utilitatem proponere (*e*)".

Nonnullæ in Psalmos Theodoreti observationes.

Sed priusquam ad Psalmorum accedat interpretationem, sic illorum scopum declarat: „ Prophetiæ proprium est non solum futura prædicere, verum etiam & præsentia, & præterita narrare. „ Quandoquidem divinus Moyses, quæcumque a prima origine a „ Deo condita sunt . . . nobis aperuit . . . Prædixit etiam præ-

 „ sentia,

(a) *Quæst.* 52. *pag.* 325.
(b) *Quæst.* 53. *ibidem.*
(c) *Quæst.* 43. *pag.* 291.
(d) *Epist.* 82.
(e) *Præf. in Psal. ibidem.*

THEODOR. „ ſentia, ſicut Pharaoni caſtigationes inflictas . . . Vaticinatus eſt
„ etiam ventura, Domini Chriſti adventum, Judæorum diſperſio-
„ nem, & gentium ſalutem. Sic etiam divinus David . . . . &
„ beneficiorum a Deo univerſorum jam olim collatorum meminit,
„ & longis poſt ſæculis futura præmonſtrat . . . . Non ſolum
„ autem verbis utitur hominis vaticinantis, ſed etiam admonentis,
„ & legislatoris: & modo moralem doctrinam affert, modo dog-
„ maticam; & Judæorum interdum calamitates deplorat; interdum
„ gentium ſalutem præcinit . . . Pſalmos autem non omnes ipſius
„ David quidam eſſe dixerunt . . . . ſed alios Idithum adſcripſe-
„ runt, alios Ethan, nonnullos filiis Core, & aliquos Aſaph ...
„ Ego autem de his ſane nihil affirmo. Quid enim mea refert,
„ ſive hujus omnes, ſive illorum aliqui ſint, cum conſtet, divini
„ Spiritus afflatu univerſos eſſe conſcriptos? Etenim non ignora-
„ mus, & divinum Davidem prophetam fuiſſe, & illos itidem
„ Prophetas in Paralipomenon hiſtoria nuncupari. Prophetæ au-
„ tem eſt linguam præbere miniſtram gratiæ Sancti Spiritus, ut
„ legitur in Pſalmis: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcriben-*
„ *tis* (*a*)".

De inſcriptionibus Pſalmorum. De Pſalmorum vero inſcriptionibus hæc habet: „ Mihi quidem
„ temeritas videtur invertere inſcriptiones, quæ jam olim Ptole-
„ mæi . . . temporibus circumferebantur, quaſque ſeptuaginta o-
„ mnes ſeniores in græcam linguam tranſtulere, ſicut reliquam o-
„ mnem Sacram Scripturam. Annis autem ante interpretationem
„ iſtam centum, & quinquaginta mirabilis Eſdras cæleſtis gratiæ
„ plenus ſacros libros deſcripſit, qui partim per Judæorum incu-
„ riam, partim vero per impietatem Babyloniorum dudum fuerant
„ depravati (*b*)".

Commentaria in Cantica Canticorum p. 983. Ante Pſalmorum explanationem in Cantica Canticorum Commentaria elucubravit; imo iſta prima ejus fuiſſe in Sacram Scripturam opera videntur. Precibus Joannis, ut creditur, Germaniciæ Epiſcopi ſibi arcta conjuncti neceſſitudine laborem hunc ſuſcepit. In Præfatione poſtquam dixit, „ ſanæ mentis aciem negotiorum, quæ
„ ſibi commiſſa ſunt, curis ita perſtringi, ut humi affixa ſacras
„ litteras accurate nequeat contemplari, & linguam mente etiam
„ eſſe inferiorem, & tardiorem " . . . . Dei gratiam, quæ ſibi hujuſce libri ſenſum, atque intelligentiam aperiat, implorat, cujus præſidio potiſſimum egent, qui ad Sacroſanctæ Scripturæ cognitionem cupiunt pervenire. Refellit deinde illorum opinionem, qui Canticum Canticorum ſpiritualem eſſe librum negantes, a Salomone de ſeipſo, deque Pharaonis filia conſcriptum arbitrantur, aut pro Salomonis filia Abiſai Sunamitidem ſubſtituunt; illiſque opponit Sanctorum Patrum ſapientia, & ſpiritu præſtantiorum ſententiam, qui librum hunc inter divinas Scripturas collocarunt, eumque

---

(a) *Ibid. pag.* 395. *& ſeq.*
(b) *Ibid. pag.* 396.

eumque ut ſpiritu refertum comprobantes Eccleſia dignum cenſuerunt. Dein ſubdit: „ Conſideremus igitur, an æquum ſit, ut tot, „ tantiſque viris deſpectis, contemptoque ipſo Spiritu Sancto, proprias opiniones conſectemur. . . . Verum ne nobis tantum conſulere, adverſarios autem negligere videamur, age, unde morbi „ occaſionem arripuerint, veſtigemus, & curationem ipſis, quoad „ fieri poteſt, ex Sacris Scripturis depromamus. Legentes, ut arbitror, hoc volumen, animadvertenteſque, in eo unguenta, & oſcula, & fæmora, & ventrem, & umbilicum, & genas, & oculos, „ & lilia, & mala, & nardum, & ſtactem, & myrrham, & his „ ſimilia commemorari, cum propriam divinæ Scripturæ conſuetudinem ignorarent, noluerunt ingredi, & literæ vultum tranſilire, atque intus ſpiritum intueri, ac revelata facie Domini gloriam contemplari; ſed quæ dicta ſunt, carnaliter intelligentes, in hanc „ blaſphemiam prolapſi ſunt. Oportebat autem eos conſiderare, hunc „ eſſe etiam in veteri Teſtamento divinæ Scripturæ morem, ut „ multa figurate dicat, & ſub aliis vocabulis alia ſignificet. Nam „ cum de Babylonis Rege loqueretur, nec proprium illius, nec „ commune naturæ nomen poſuit: neque enim Nabuchodonoſor, „ neque hominem appellavit; ſed *Aquila*, inquit, *grandis magnarum alarum, longa extenſione, unguium plena*; ubi per aquilam Regem, per unguium multitudinem copiam militum deſignat: per Libanum Hieruſalem, & per mollia cedri homines deliciis, ac voluptatibus deditos ſignificavit . . . Similiter Zacharias dum dixit: *Aperi, Libane, portas tuas, & comedet ignis* „ *cedros tuos. Ulula pinus, quia cecidit cedrus.* Ubi per *ignem* „ rurſum Regem Babylonis deſignat, per *Libanum* Hieruſalem, „ per *cedros* homines ſuperbos, atque inſignes, per *pinus* vero his „ abjectiores . . . . Videbimus etiam omnium Deum in veteri „ Teſtamento cum Judæorum gente tamquam cum muliere colloquentem, atque iiſdem utentem membrorum vocabulis, quibus „ de hac ſponſa ſcribens uſus eſt Salomon. Legatur Ezechielis caput 16. ubi ubera, umbilicum, & crura, & manus, & nares, „ & aures, & formam, & dilectionem, & complexum, & conjunctionem inveniemus; eaque omnia dicta a Deo univerſorum. „ Neque tamen, ut legimus, ſic intelligimus, nec occidenti adhæremus litteræ, ſed interius penetrantes ſpiritus ſenſum inveſtigamus". Plura alia etiam affert exempla non ex Prophetis ſolum, ſed & ex Evangelio deſumpta. „ Sic B. Joannes, exeuntibus ad ſe dicebat, *Genimina viperarum, quis oſtendet vobis fugere a ventura ira* (*a*)? . . Quin etiam ipſe Dominus dicentibus, habere ſe Patrem Abraham, reſpondit: *Vos ex patre Diabolo eſtis* (*b*)". Ex quibus omnibus colligit Theodoretus, in

D 2 ſenſu

Theodor.

(a) *Luc.* 3. 7.
(b) *Joann.* 8. 44.

THEODOR.

ſenſu myſtico, & ſpiritali exponenda eſſe, & intelligenda Cantica Canticorum; & ea, quæ de Sponſo, & Sponſa dicuntur, Chriſto, & Eccleſiæ ſuæ eſſe accommodanda. ,, Sponſam enim divina Scri-
,, ptura Eccleſiam intelligit, Sponſum autem Chriſtum appellat:
,, Sponſam autem ex multis conflatam, hoc eſt animas pias, & in
,, virtute perfectas: adoleſcentulas vero, quæ Sponſam ſequuntur,
,, animas rudiores, quæ Sponſæ virtutem nondum ſunt imitatæ,
,, nec perfectionem conſecutæ ". Animadvertit etiam, ,, tria Sa-
,, lomonis volumina, Proverbia, Eccleſiaſten, & Canticum Can-
,, ticorum eſſe veluti ſcalam quamdam, quæ tribus gradibus con-
,, ſtat, morali, naturali, & myſtico. Nam Proverbia utilem de
,, moribus doctrinam complectuntur: Eccleſiaſtes vero eorum, quæ
,, ſenſibus percipiuntur, doctrinam indicat, & vitæ præſentis docet
,, vanitatem, ut ea fluxa, & fragilia cognoſcentes, tamquam fu-
,, gacia, & prætereuntia ſpernamus, & firma, atque æterna, &
,, permanentia concupiſcamus. Canticum vero Canticorum myſti-
,, cam Sponſi, & Sponſæ neceſſitudinem, & conjunctionem conti-
,, nere . . . Idcirco tertio loco hic conſtitutus eſt liber, ut ratio-
,, ne, & via ad perfectionem contendamus, & anima ſublimius e-
,, volet ad Sponſum perpetua bona pollicentem amandum, & com-
,, plectendum. Arbitror autem (ſubdit Theodoretus), ſapientem
,, Salomonem a Patre utpote Propheta, & magno quidem Pro-
,, pheta edoctum hæc conſcripſiſſe. Audierat enim illum canentem;
,, *Adſtitit Regina a dextris tuis in veſtitu deaurato, circumamicta,*
,, *variegata*. Et: *Audi, filia, & vide, & inclina aurem tuam,*
,, *& obliviſcere . . . domum patris tui, & concupiſcet Rex deco-*
,, *rem tuum* (*a*) ". Addit, conſueviſſe Synagogam ,, hujus libri
,, lectionem adoleſcentibus, atque ætate adhuc imperfectis prorſus
,, interdicere; ſolis autem perfectis, qui recondita, & arcana per-
,, cipere valeant, concedere ". Orat etiam lectores ſuos, ne furti
eum inſimulent, ſi quid, quod a Patribus dictum ſit, in his Commentariis offenderint. ,, Fatemur enim (ſcribit) & nos ab illis
,, explanationis occaſionem accepiſſe. Hoc autem non furtum appellari
,, debet, ſed paterna hæreditas: quamquam ad illa, quæ ab eis
,, accepimus, adjunximus, quæ noſtra ſunt; & quod latius a
,, quibuſdam explicatum eſt, nos contraximus: quod autem diligen-
,, tiam requirebat, dilatavimus (*b*) ". In quatuor libros diviſum eſt hocce Commentarium, in quibus textum in ſenſu ſpiritali, & myſtico interpretatur, per Sponſum Chriſtum intelligens, & per Sponſam Eccleſiam.

Commentaria in Prophetas.

Theodoretus tum epiſtolis 82. & 113. tum in præfatione in Pſalmos ſe, Deo adjuvante, omnes Prophetas explicaſſe gloriatur, verum non eo ordine, quo in ſacris Libris diſponuntur. A Daniele inci-

(a) *Pſalm.* 44. 10.
(b) *Præf. per totum.*

incipit, deinde Ezechielem explicat, postea duodecim Prophetas Minores, quos subsequuntur Isajas, & Jeremias, & Lamentationum expositione totam seriem claudit. THEODOR.

In præfatione hisce Commentariis præfixa animadvertit Theodoretus, quod „ divini Prophetæ non ea solum prænuntiarunt, quæ „ Israeli eventura erant, sed de gentium etiam salute vaticinati „ sunt, & Domini adventum præmonstrarunt . . . Isajas hæc omnia aperte prædicat, & propagatam ex Abraham, & David „ benedictionem, & Salvatoris nativitatem ex Virgine, & patrata „ omnium generum miracula . . . . Judæorum invidiam atque rabiem, & passionem, & mortem, & resurrectionem ex mortuis, „ & ascensionem in Cælos, & Apostolorum delectum, & salutem „ omnium gentium. Prædicat insuper... Judæorum dispersionem, „ templique totius desolationem, & Assyriorum, Romanorumque „ adversus illos expeditiones . . . Quædam præterea Ægypto prædicit, & Tyro, & Damasco, itemque Ammonitis, & Moabitis, & alia cum his multa; tum præcipue ultimum Judæorum „ excidium, quod suæ adversus Dominum vesaniæ pœnas luentes „ pertulerunt (*a*) ". Cum autem plura sint in Isaja, quæ clara, & aperta sunt; nonnulla vero obscuriora, & sub figuris involuta: in prioribus non diu immoratur; at morosius in posterioribus explicandis se extendit. Commentaria in Isajam Tom. 2. pag. 1.

Licet arbitraretur Theodoretus, Jeremiæ vaticinia adeo esse clara, ut nulla egerent interpretatione; nihilominus, ut ipse scribit, „ cum studiosi non pauci me hortati sint, ut hunc etiam librum „ interpretarer, eoquod plerosque prophetiæ sensum ignorare dicerent; implorato divinæ gratiæ auxilio enitar, ut impleam, quod „ suaserunt (*b*) ". Hoc duodecim præstitit libris, qui adhuc supersunt; quorum decem Jeremianæ Prophetiæ declaratio continetur, undecimo autem prophetia Baruchi, & postremo Jeremiæ lamentationes illustrantur. Explicationi præmittit argumentum, quo breve exhibet compendium prophetiæ, & sub quibus Regibus vaticinatus sit Jeremias, exponit. In hac commentatione a consueta sua explicandi Scripturas methodo non recedit. Commentaria in Jeremiam ib. p. 145.

In argumento hisce Commentariis in Ezechielem præfixo animadvertit Theodoretus, „ quod divinarum Scripturarum oracula non „ omnibus obscura sunt, sed voluntaria cæcitate laborantibus .... „ Obscura quidem olim hæc Judæis fuere, quippe quæ accusationem Judæorum iniquitatis continebant, & bona gentibus promittebant, ac proinde oportebat, veluti obumbratam esse prophetiam, ne usitato invidiæ more laborantes Judæi, & alienis toris „ insidias ausi moliri, libros hæc significantes delerent ... At ubi „ prædicta eventa comprobata, & scriptæ res conservatæ sunt, „ tunc in reliquum aperta, & perspicua facta sunt oracula Pro- Commentaria in Ezechielem ib. p. 300.

 „ pheta-

(a) *In Præf.*
(b) *In Præf.*

THEODOR.

„ phetarum: quicumque enim propheticos legunt libros, ab ipsis
„ rebus interpretationem percipiunt". Observat etiam, quod
„ Ezechiel postremus fuit Prophetarum, qui captivitatis tempore
„ sunt vaticinati: nam duodecim annis prior Daniel prophetiam
„ exorsus est . . . . Aggæus autem, & Zacharias, & Malachias
„ post reditum prophetandi munus obierunt". Prophetiam autem
suam exorsum dicit Ezechielem, *Captivitatis Joachim*, *qui etiam Jechonias dictus est*, *anno quinto* (*a*).

Commentaria in Danielem pag. 541.

Decem complectuntur tomos, sive libros Theodoreti in Danielem Commentaria, in quibus „ doctrinam a parentibus acceptam
„ velut æs alienum, natu minoribus posteris nostris debitum grato
„ animo, ut par est, persolvit". Amentiam etiam, atque impudentiam exprobrat Judæis, qui Danielem a Prophetarum choro deturbare ausi sunt. „ Impudens quidem (scribit) certe hoc ipsorum
„ rum est commentum, non tamen ab eorum fine abhorrens. Cum
„ enim multo apertius, quam alii omnes, magni Dei, & Salvato-
„ ris nostri Jesu Christi prædixerit adventum; neque solum ea,
„ quæ facturus esset, ante commemorarit, sed etiam tempus præsi-
„ gnificarit, numerumque adscripserit annorum, qui usque ad illius
„ adventum intercesserunt, aperte percensitis omnibus calamitati-
„ bus, quæ post admissum perfidiæ scelus in eos essent invasuræ,
„ merito ut Deo infesti, & veritatis hostes audent impudenter as-
„ serere, non esse prophetam (*b*)".

Commentaria in 12. Minores Prophetas pag. 699.

Plures jam editæ erant in duodecim Minores Prophetas explicationes, antequam sua in idem argumentum Theodoretus Commentaria elucubraret quorumdam hortatu, quorum nomina reticet. Eamdem tamen provinciam sibi adornandam suscepit, ea potissimum ductus ratione, ut ipse scribit, „ quod magnus Moyses
„ Propheta solus non extitit, sed Jesus quoque filius Nave, &
„ Samuel, David, Nathan, Gad, Achias, Elias, Eliseus;
„ & Evangelii præcones non soli fuere Petrus, Jacobus, Joannes,
„ Andreas . . . . sed etiam Titus, Silas, Timotheus, Apollo,
„ illorumque Discipuli . . . . Atque usque in hanc ætatem in di-
„ vinis Ecclesiis Spiritus Sancti fons permanet, divinitusque dona-
„ ta hominibus munera distribuit . . . . neque divinæ munificentiæ
„ gratia restincta est, sed tamquam fons perennis influit in homi-
„ nes, & maxima dona non dignis modo suppeditat, sed etiam
„ iis, quibus absolutio, perfectioque abest . . . . sed eorum, qui
„ ad se suscipere student, mentem illustrat. Hac spe sustentati...
„ vestras, qui hortatu ad hunc laborem me excitastis, preces in
„ subsidium implorantes, Prophetarum explanationem attentamus".
In argumento vero explanationi præmisso scribit: „ Duodecim
„ Prophetæ non quia simul floruerunt, aut uno tempore vixerint,
„ sub unum volumen subjiciuntur: diversis enim temporibus futuro-
„ rum

(a) *In arg. ibid.*
(b) *Ibid. in argum.*

„ rum præsignificationes ostenderunt. Osee suam prophetiam edi- THEODOR.
„ dit temporibus Oziæ, Joathan, Achaz .... Amos similiter
„ temporibus Oziæ ... Joel horum coævus, & æqualis fuit ...
„ Michæas prophetiam incepit diebus Joathan, Achaz, & Eze-
„ chiæ .... Non itaque quod uno, eodemque tempore fuerint,
„ in unum volumen conjunguntur; sed quia paucis prædictiones
„ complexi sunt, nec satis ob brevitatem fuisset unusquisque ad
„ unius libri confectionem (a)". Finem autem suæ explicationi imponit his verbis: „ Ego vero illud monitos velim lectores li-
„ brorum nostrorum, ut de his, quæ bene, & recte diximus, in-
„ creatam Trinitatem laudibus prosequantur .... Si quid vero ex
„ propheticis oraculis nostrum captum fugerit, naturæ infirmitati
„ ignoscant, & defectum suppleant, propositumque laudent, & la-
„ bores precationibus computent (b)".

Commentaria in Epistolas D. Pauli To. 3.

Sic suam in Pauli Apostoli Epistolas explanationem exorditur Theodoretus: „ Scio quidem fore, ut, dum divini Pauli doctri-
„ nam interpretari conor, maledicorum linguas non effugiam, qui
„ me forte arrogantiæ, & temeritatis accusabunt, quod post hunc,
„ & illum, qui totius Orbis sunt lumina, audeam Apostolicam
„ interpretationem aggredi. Aggredior autem non meis viribus
„ fretus, sed divinam orans gratiam. Dominus enim pauperes di-
„ vites facit, & de terra inopem excitat, & de stercore mendicum
„ erigit." Addit: „ Ex beatis Patribus ea, quæ ad id confe-
„ runt, colligam. Brevitatis autem imprimis curam geram. Scio
„ enim, brevitatem eos etiam, qui segniores sunt ad legendum,
„ adhortari (c)." Præcipue vero S. Chrysostomum sequitur, adeo ut sæpe sæpius ejus breviator sit; quod tamen summa præstat claritate, & in delectu sapientia. Identidem tamen nonnulla de suo penu addit, præsertim cum cæteri ea omiserunt, quæ sibi ad textus intelligentiam necessaria videbantur, vel opportuna. Quatuordecim ab Apostolo scriptas epistolas minime dubitat. Hinc & illam ad Hebræos illi confidenter attribuit testimonio fretus Eusebii, „ qui divinissimi Pauli hanc esse epistolam confessus est, &
„ veteres omnes eam sententiam habuisse asseruit": eo vel maxime (subdit), quod hujus epistolæ *Decreta, & alia sententiæ magnam habent cognationem cum aliis epistolis*. Et quia illi, qui hanc epistolam Doctori gentium abjudicabant, *hunc prætextum afferebant, quod Apostolicum nomen non sit similiter positum in proœmio*; illos refellit Theodoretus, considerandum proponens, „ eo-
„ rum, qui ex gentibus, non eorum, qui ex Judæis crediderunt,
„ constitutum fuisse Apostolum ... Idcirco cum scriberet ad eos,
„ qui crediderunt ex gentibus, & nomen adjecit, & Apostolicam
„ dignitatem. Ad Hebræos autem scribens, quorum non erat

(a) *Præf.*
(b) *In Malach. pag. 936.*
(c) *Præf.*

„ sibi cura credita, merito nudam honoribus doctrinam eis tradidit (a)". Observat etiam: „ Quemadmodum sacros quidem „ Psalmos divinus David, suscepta Sancti Spiritus operatione, conscripsit: eos autem quidam alii, ut voluerunt, inter se concinnarunt . . . . & temporis ordinem non habent: ita etiam has „ epistolas apostolicas " non suo ordine collocarunt. Sic itaque eas ordinat; primo conscriptas putat binas ad Thessalonicenses, quas immediate consequuntur binæ ad Corinthios; postea primam ad Timotheum, & ad Titum, ac post has epistolas ad Romanos, Galatas, Philippenses, ad Philemonem, ad Ephesios, ad Colossenses, ad Hebræos, & postremo loco collocat secundam ad Timotheum. Merito tamen dicit in Bibliis primo loco positam ad Romanos epistolam, „ ut quæ in se omnis generis doctrinam, & accuratam, copiosamque dogmatum pertractationem contineat". Alii addunt, & ut Urbem, quæ universo Orbi præerat, & imperii sceptra tenebat, honorarent: sed mihi, quod prius dictum est, videtur esse verius. Commentarios suos in totidem libros divisit, quot sunt epistolæ, quas explicandas aggreditur: singulis vero Procemium præmittit, quo cujusque epistolæ argumentum, tempus, locum, & conscribendæ occasionem exponit. Elucubratum creditur hoc opus a Theodoreto post Ephesinum Concilium, & post initam cum Joanne Antiocheno, & S. Cyrillo concordiam, hoc est circa annum 438., aut 439.

THEODOR.

Historia Ecclesiastica Theodoreti pag. 520. Cur scripta.

Historiam suam elucubrasse videtur Theodoretus, ut a Socrate, & Sozomeno, qui ante ipsum conscripserant, omissa suppleret; & *ne* (ut ipse scribit) *præclarissimorum facinorum, perutiliumque narrationum gloriam oblivionis injuriis expositam sineret perire*. Præ illis accuratius Arianorum facta, & Sancti Athanasii labores, & præclara opera exponit, pluraque ad Orientales spectantia facinora ab illis historicis omissa addit, ac monumenta profert quamplura ab illis minime relata.

Errata Theodoreti in historia.

Non adeo tamen accurate ab illo censenda est conscripta hæc Ecclesiæ historia, ut in nulla re aberraverit; imo plures ipsi tribuuntur errores, præcipue in Chronologiis, quibus non ea, quæ par erat, cura, & studio incubuit.

Historiæ divisio.

Quinque continet libros hæc historia, & annos 150. complectitur: incipit enim ab exordio Arianæ hæresis usque ad mortem Theodori Mopsuesteni, & cognominis Antiocheni; videlicet ab anno 324., in quo Constantinus universi Orbis Dominus in Arianæ sectæ abolitione sedulam navavit operam, ad annum 458., quo ipse Theodoretus obiit.

Conscriptæ historiæ tempus.

Circa annum 449. conscripta creditur a Theodoreto historia; quando nimirum a Theodosio jussus est, ut in sua Diœcesi moraretur: tunc enim ea fruebatur quiete ad hujuscemodi elucubrationes nedum opportuna, sed & necessaria. Complevit vero anno 450. an-

(a) *Præf. in epist. ad Hebr. pag.* 392.

450. ante mensem Junii, Theodosio adhuc vivente. Capite enim 36. libri quinti de translatione corporis S. Joannis Chrysostomi loquens scribit: Hunc autem thesaurum in urbem intulit is, qui imperio „ nunc potitur, qui avi nomen sortitus, ejus quoque pietatem ser- „ vat incorruptam. Hic oculos, & frontem in loculo defigens pro „ parentibus preces fudit, & iis, qui per ignorantiam peccarant, „ ut ignosceret, supplicavit".

THEODOR.

Primi libri analysis.

„ Eusebius (verba sunt Theodoreti) Palæstinus a Sanctis Apo- „ stolis exorsus res in Ecclesiis gestas usque ad Deo dilectum Con- „ stantini imperium conscripsit. Ego inde, ubi ille scribendi fi- „ nem fecit, historiæ meæ ducam initium (*a*). Sublatis de me- „ dio nefariis illis, & impiis Tyrannis Maxentio videlicet, Ma- „ ximino, & Licinio, sedata est Ecclesiæ procella . . . & firma „ denique tranquillitate fruebatur. Hujus vero ille auctor fuit „ Constantinus omnium laude prædicandus Imperator, qui non ab „ hominibus, neque per hominem, sed cælitus, sicut divinus Apo- „ stolus, ad hoc munus vocatus est. Etenim leges scripsit, quibus „ & hostias idolis immolari vetuit, & Ecclesias extrui jussit. Quin „ etiam Præsides Provinciis Christiana fide imbutos præficiebat, „ eis, ut Sacerdotes honore prosequerentur, præcipiens, exitiumque „ intentans, si quis in eos contumeliosus existeret. Tunc itaque „ alii dirutas Ecclesias de integro erigebant, alii alias ampliores, & „ splendidiores ædificabant. Quæ cum ita se haberent, nostræ qui- „ dem tripudio, & lætitia, adversariorum vero tristitia, & mœrore „ plenæ res erant. Nam idolorum clausa erant delubra; in Eccle- „ siis autem dies festi, & conventus frequentes agebantur. Verum „ pessimus, atque invidus Dæmon... pestifera consilia excogitavit... „ Nam homines nactus nomine quidem Christianos, re autem ipsa „ ambitionis, & inanis gloriæ servos... horum opera complures „ in errorem induxit; non id quidem agens, ut creaturam denuo „ colerent, sed efficiens, ut creator, & opifex mundi eodem, quo „ creaturæ, ordine censeretur. Hæc zizania disseminavit Alexan- „ driæ Arii opera, qui Presbyterorum in numerum fuerat adscri- „ ptus, sacrarumque literarum interpretationi præpositus (*b*)". Sic historiæ suæ librum primum exorditur Theodoretus, in quo & Ariani erroris sectatores, & hæresis propagationem, validioresque ejus impugnatores, turbas inde in Ecclesia ortas accurate describit, & denique Concilium ea de causa in Nicæna urbe coactum, in quo vesanus error damnatus est. Arii mortem eodem modo narrat, quo legitur in epistola S. Athanasii ad Appionem. Narratis vero Constantini præclare gestis ad Idololatriæ profligationem, & Ecclesiæ Christianæ incrementum; inventionem Ligni Crucis per S. Helenam Hierosolymis, quo se contulerat, *itineris labores perferens, senectutis incommoda non reputans* (*paulo namque ante mortem iter* hoc

(a) *In Proœm. pag.* 521.
(b) *Lib.* 1. *ep.* 1. *pag.* 522.

hoc ſuſcepit; obiit autem octogenaria) ſic deſcribit: „ Poſtquam
THEODOR. „ locum illum conſpexit, qui communis ſalutis cruciatus excepit, „ continuo execrandum illud fanum deturbari, humumque exportari „ juſſit. Ubi vero emerſit ſepulchrum, quod latebat, tres circa „ Dominicum monumentum defoſſæ Cruces apparuerunt. Et ha- „ rum quidem unam Domini Noſtri Jeſu Chriſti fuiſſe, reliquas „ latronum, qui cum eo ſuffixi ſunt, ſine controverſia credebant „ omnes. Cæterum quænam illarum Domini corpus tetigiſſet, & „ pretioſi Sanguinis guttis aſperſa fuiſſet, penitus ignorabant. Sed „ ſapientiſſimus, planeque divinus Macarius dubitationem ad hunc „ modum exemit. Fœmina erat illuſtris, quæ diuturno morbo „ tenebatur. Huic cum ſingulas Cruces cum precibus attente ap- „ plicuiſſet, ſalutaris Crucis virtutem deprehendit. Simul enim „ ut fœminæ hæc admota eſt, gravem illius morbum depulit, ſa- „ nitatemque reſtituit. Re comperta, voti compos facta Impera- „ toris Mater clavorum partem galea regia incluſit, filii capiti „ conſulens, ut hoſtium tela repelleret, partem equi fræno indidit „ & Imperatoris ſaluti proſpiciens, & vetus explens oraculum, „ quod olim Zacharias Propheta ediderat: *Et quod in fræno equi* „ *ſanctum Domino omnipotenti* (*a*). Salutaris vero Crucis partem „ Palatio deſtinavit; reliquum argentea theca fabricata conditum „ Epiſcopo dedit, ut ad poſteritatem ſalutis noſtræ monumenta ſer- „ varentur (*b*) “.

Secundi libri analyſis. In ſecundo libro ea narrat, quæ circa Arianos contigere, impe- rante Conſtantio. Colloquium deſcribit habitum inter Conſtan- tium, & Liberium Pontificem, prout pii ejus ætatis viri literis prodiderunt. In hoc colloquio dignam Summo Pontifice liberta- tem, & conſtantiam oſtendit Liberius, & a Principe diſceſſit, ini- quis ejus poſtulatis minime aſſenſus. In hoc colloquio cum Impe- rator Liberio dixiſſet: „ Quota pars orbis es, Liberi, ut ſolus „ impium hominem vindices, & pacem orbis, ac Mundi totius „ diſſolvas? Reſpondit Pontifex: Non eo quod ſolus ſim, fidei „ cauſa minuitur. Nam & tres ſoli olim ſunt reperti, qui man- „ dato Regis reſiſterent (*c*) “. Poſtea narrat, quæ Arimini con- tigere; & fidei profeſſionem Nicææ in Thracia concinnatam reci- tat, in qua Ariani, ſublatis vocibus *ſimilis in ſubſtantia*, & *con- ſubſtantialis*, jejune *ſimilem* Patri Filium poſuerant. Plures Epi- ſcopi in Concilio Ariminenſi coacti imprudenter illi ſubſcripſere, partim dolo capti, partim minis perterrefacti. Verum ab Ortho- doxis veritatis defenſoribus, & præſertim Occidentalibus Epiſcopis rejecta fuit, ut videre eſt in eorum ad Illyricos epiſtolis. S. vero Athanaſius, quæ Arimini geſta fuerant, contempſit, ubi vi, & fraude omnia peracta fuerant.

In

(a) *Zach.* 14. 20.
(b) *Cap.* 12. *pag.* 564.
(c) *Cap.* 13. *pag.* 608.

Theodor.

Libri tertii analysis.

In tertio libro persecutionem narrat, quam Ecclesia passa est sub Juliano Imperatore, cujus educationem, & apostasiam exponit. Et primo quidem dicit: „ Julianus statim in initio Imperii sui „ impietatem non prodidit; sed omnium benevolentiam appetens „ Episcopos Ecclesiis ejectos a Constantio ultimis in oris habitan- „ tes ad Ecclesiam suam regredi jussit (a)". At paulo post Julianus suam detexit impietatem, „ & tunc reassumptis animis Ido- „ lorum errore mancipati in Christianos sævire cœperunt . . . Et- „ enim Ascalonæ, & Gazæ, quæ urbes sunt Palæstinæ, virorum „ Sacerdotali dignitate præditorum, mulierumque perpetuam vir- „ ginitatem professarum ventres dissecuerunt, & hordeo postea re- „ pleverunt, ac porcis etiam objecerunt. Sebaste vero, quæ & i- „ psa ejusdem est gentis, Joannis Baptistæ arcam aperuerunt, & „ ossibus combustis cinerem dissiparunt. Erat Hierapoli, quæ ad „ Libanum sita est, Diaconus quidam, Cyrillus nomine. Is Con- „ stantino regnante divino zelo incensus de simulacris, quæ ibi co- „ lebantur, multa confregerat. Hoc ejus factum memoria tenen- „ tes execrandi non solum eum interfecerunt, sed dissecto ejus ven- „ tre illius jecur degustarunt. Verum pœnas dederunt tanto di- „ gnas facinore. Nam quotquot sceleris illius participes fuerunt, „ primum dentes, qui omnes simul exciderunt, deinde linguas a- „ misere, quæ & ipsæ tabo defluebant; postremo etiam oculis or- „ bati sunt, & quas aures pietas habeat, calamitatibus suis testati „ sunt . . . . . Æmilianus invictus athleta a Capitolino Præside „ Thraciæ in rogum conjectus est Dorostoli, quæ est urbs Thra- „ ciæ. Marci vero Arethusiorum Episcopi tragœdia Æschyli, & „ Sophoclis grandiloquentiam desiderat, ut ejus ærumnas pro meri- „ tis deplorent. Hic . . . destructo quodam Fano Idolorum, Ec- „ clesiam ejus loco ædificaverat. Arethusii captum nec miserati „ sunt ut senem, nec ut virtutis amantem reveriti; sed virum . . . „ primo nudantes verberibus cædunt, & membris omnibus plagas „ infligunt: deinde vero in fœtidas cloacas conjectum, atque inde „ post eductum adolescentulorum gregi tradunt, jubentque, ut eum „ stylis non parcendo confodiant. Post hæc in corbem impositum, „ garoque, ac melle delibutum sub dio æstu ardentissimo suspende- „ runt, vespas, & apes ad escam invitantes (b)". Leges deinde narrat a Juliano latas adversus Christianos, quibus „ vetuit . . . „ ne poeticis, rhetoricis, theatricis, & philosophicis studiis operam „ darent . . . & a militia expelli jussit (c)": Similiter quartum exilium S. Athanasii (d), Babylæ Martyris translationem, qui Daphnæi oraculi vaticinationes impediebat, ab eo imperatam (e), Theodori Martyris constantiam (f), & Templi Dapnis exustionem narrat. In quo incendio „ dæmon & Martyris gloriam „ adau-

(a) *Cap. 2. pag. 639.* (b) *Cap. 3. pag. 641.*
(c) *Cap. 4. pag. 643.* (d) *Cap. 5. ibid.*
(e) *Cap. 6. pag. 649.* (f) *Cap. 7. ibid.*

THEODOR. „ adauxit, & mendacium suum patefecit. Fulmen enim de cælo „ emissum totum fanum exussit, atque ipsum Pythii simulacrum „ minutissimum in pulverem redegit: ligneum siquidem erat, sed „ auro illitum extrinsecus (*a*)". In reliquis vero hujus libri capitibus Juliani tyrannidem enarrare prosequitur, & victorias de illo a pluribus Sanctis reportatas, irritos conatus in Hierosolymitani Templi reædificatione adhibitos, & ejus denique adversus Persas, in qua infeliciter obiit, expeditionem.

Quarti libri analysis. Quartus liber gesta Ecclesiæ complectitur sub Imperatoribus Joviniano, & Valentiniano Catholicis, & Valente Ariano. Postquam Joviniani ad imperium electionem narravit (*b*), reditum S. Athanasii, & aliorum Episcoporum ab exilio recenset (*c*). Epistolam Episcoporum Thebaidis, Ægypti, & Lybiæ ad eumdem Imperatorem datam, qua illum de Fide Catholica, ut petierat, edocebant, recitat (*d*); sicut & legem latam de restituenda Ecclesiis annona, quam Constantinus Magnus assignaverat, & Julianus abstulerat (*e*). Repentina morte Joviniani, quam omnes gubernii ejus dulcedinem experti luxerunt, narrata, electionem Valentiniani subjungit, „ viri non fortitudine tantum, sed & prudentia, tempe„ rantia, justitia, & corporis proceritate præstantissimi . . . . Au„ xentio vita functo, qui Ariana labe infectus Mediolanensi Eccle„ siæ præpositus fuerat . . . Episcopos advocans Imperator, his eos „ verbis allocutus est: Ignorare non potestis, quippe divinis litte„ ris innutriti, qualem esse conveniat eum, qui Pontificatu ornan„ dus sit; quodque oporteat, illum non solum doctrina, verum „ etiam vita subditos informare, ac sese illis virtutum omnium „ exemplar proponere, testemque doctrinæ conversationem habere. „ Proinde talem nunc in Episcopali Cathedra collocate, ut nos „ ipsi, qui regimus imperium, sincera voluntate illi capita nostra „ inclinemus, & reprehensiones ejus... tamquam medici curationem „ libenter admittamus (*f*). Hæc Imperator cum dixisset, rogabat „ Synodus, ut ipsemet sapientia, & pietate insignis Episcopum de„ ligeret. At ille: Majus est, inquit, viribus meis hoc nego„ tium . . . Egressi ergo Episcopi secum ipsi deliberant, & Am„ brosius eligitur . . . quem laudatissimum virum Imperator con„ festim baptizari, & ordinari jussit. Sciebat enim mentem illi „ esse omni perpendiculo rectiorem, sententiasque omni norma exa„ ctiores (*g*)". Narrat deinde, quomodo Valens, qui suscepto imperio apostolicis dogmatibus enituit, a conjuge illectus Arianico errore irretita, in idem secum blasphemiæ barathrum corruerit (*h*); mala proinde, quæ in Ecclesiam invexit, præstantiores Epi-

(a) *Ibidem.*
(b) *Ibid. cap. 1. pag. 660.*
(c) *Cap. 2. pag. 661.* (d) *Cap. 3. ibid.*
(e) *Cap. 4. pag. 664.* (f) *Cap. 6. pag. 665.*
(g) *Cap. 6. pag. 666.* (h) *Cap. 11. pag. 671.*

THEODOR.

Episcopos in exilium pellendo (*a*), & Arianos Episcopos substituendo. Ipsi suam impietatem exprobrare non omiserunt Trajanus, Arinthæus, & Victor Magistri militum (*b*). „ Britanioque vir „ omnium virtutum insignibus illustris, totiusque Scythiæ urbes pon- „ tificia regens potestate, animum divino zelo accensus, & dogmatum „ corruptionem, iniquasque Sanctorum vexationes in Valente redar- „ guit (*c*) “. Hos tamen omnes contempsit impius Imperator; nec minis Isaaci Monachi, qui illi indixerat: „ Redde gregibus „ optimos pastores, & victoriam sine labore consequeris. Quod si „ his neglectis, ad pugnam processeris, reipsa experiere, quod du- „ rum sit contra stimulos calcitrare. Nam nec ipse reverteris, & „ exercitum insuper amittes (*d*) “; minime perterrefactus pugnam commisit, in qua victus fuit . . . „ & cum pervenissent barbari ad „ vicum illum, in quo Valens . . . latere conatus est, igne ad- „ moto pietatis hostem una cum vico invaderunt (*e*) “. Dignum etiam posterorum memoria existimavit colloquium paulo ante habitum a Valente cum Aphraate Monacho, quod sic narrat: „ Per „ viam publicam transiens Aphraates ad bellicum gymnasium ibat, „ ut convenientem curam sanctis ovibus exhiberet . . . . Quem ab „ alto ex regia porticu prospectans Imperator cum vidisset vili pal- „ lio amictum, & concito gradu summa in senectute incedentem, „ accersivit, & ad illum: Dic, inquit, quo vadis? Ille autem sa- „ pienter, & apposite: Pro tuo, inquit, imperio precaturus. Tum „ Imperator, qui probe noverat totius Urbis multitudinem ab eo „ pendere, subjungit: Atqui domi te manere, ibique ex monasti- „ ca lege orare par erat. Divinus vero ille vir: Recte ais, in- „ quit, Imperator . . . Hoc me facere conveniebat, idque hacte- „ nus feci, dum oves Servatoris pace fruerentur. Nunc quoniam „ vehementer conturbatæ sunt, & in discrimen adductæ, ne a fe- „ ris diripiantur, omnia tentanda sunt, & oves conservandæ. Dic „ enim, quæso te, Imperator. Si puella essem intus in conclavi „ residens, & domus curam gerens, & paternas ædes viderem re- „ pentina flamma conflagrare, quid me tandem facere conveniret? „ intusne desidere, domusque incendium negligere, & opperiri, dum „ flamma invalesceret; an relicto conclavi sursum, ac deorsum dis- „ currere, & aquam afferre, flammamque restinguere? Hoc te „ profecto responsurum liquet: hoc enim prudentis, & cordatæ „ puellæ foret. Hoc est, quod nunc ago, Imperator. Nam, „ cum flammam in paternam domum nostram injeceris, circumcur- „ samus, eamque extinguere nitimur. Cum hæc dixisset, Impe- „ rator minitans obticuit. Unus autem de cubiculariis ejus, quod „ viro sancto impudentius insultasset, hoc modo pœnas luit. Is „ balnei curam cum gereret, eo statim post hunc sermonem descen- „ dit ...

(a) *Cap.* 12. *ibid.* (b) *Cap.* 30. *pag.* 702.
(c) *Cap.* 31. *pag.* 703. (d) *Cap.* 31. *pag.* 703.
(e) *Cap.* 32. *pag.* 704.

THEODOR. „ dit . . . & subito mente captus in ferventem aquam minime tem-
„ peratam desiliit, & extinctus est (*a*) “.

Quinti libri analysis. In quinto libro historiam texit Theodoretus damnationis hæresis Arianæ, nec non Apollinaristarum, & Pneumatomachorum, seu Macedonianorum ex illa prodeuntium. Laudes celebrat Theodosii Imperatoris, S. Ambrosii, S. Joannis Chrysostomi, Episcoporum Alexandriæ, & Theodori Mopsuesteni. Postquam itaque pietatem Gratiani Imperatoris Valentis patrui sui successoris commendavit, observat, piissimum hunc Principem „ regni sui primitias omnium „ Regi obtulisse lege lata, qua jubebat, tum ejectos in exilium „ pastores redire, gregibusque suis restitui, tum sacras ædes iis tra- „ di, qui Damasi communionem amplecterentur . . . præcepitque, „ Arianæ blasphemiæ præcones tamquam agrestes feras sacris septis „ expelli; optimos vero Pastores divinis eorum gregibus resti- „ tui (*b*) “. Theodosius quoque contra Arianos legem tulit, vetuitque, ne Synodos, & Conventus haberent. Hisce Theodosii præclare gestis immiscet Theodoretus narrationem cædis Thessalonicensis, in qua „ septem hominum millia interfecta perhibentur, „ non præeunte judicio, & condemnatis iis, qui dira illa ausi fue- „ rant, sed sicut in messe omnium simul spicarum more dese- „ ctis (*c*) “. Addit tamen pœnitentiam ab ipso actam pro facinore in iræ impetu perpetrato. Extollit iterum Theodosium ob leges latas, quibus Idolorum delubra destrui jubebat (*d*); & pro studio, ac cura adhibita ad pacem, & concordiam inter Flavianum, & Episcopos Occidentis ineundam (*e*), nec non ob victoriam de Eugenio Tyranno feliciter reportatam (*f*). Progreditur deinde ad Arcadium Theodosii non minus imperii, quam pietatis hæredem. Joannis Chrysostomi ad Episcopatum Constantinopolitanum electionem, ejusque in eo munere præclarissima facinora narrat (*g*). Historiæ suæ cap. 39. Catalogum addit Episcoporum, qui a persecutionis fine ad usque sua tempora insigniores Sedes occupaverant. Romanorum Pontificum hanc seriem exhibet: Miltiades, Silvester, Julius, Liberius, Damasus, Siricius, Anastasius, Innocentius, Bonifacius, Zosimus, Cælestinus (*h*).

Historia Religiosa. Nullus est, qui ambigat, Religiosam hanc historiam idem omnino esse opus, ac illud, quod Theodoretus in epistola ad Eusebium Ancyranum *Sanctorum vitas appellat* (*i*): alibi etiam hoc titulo donat, *Monastica conversatio*, seu *Historia Religiosa* (*k*); & alibi *Historiam Philotheam*, idest Dei amicorum inscribit (*l*).

Theo-

(a) *Cap.* 23. *pag.* 697. (b) *Cap.* 2. *pag.* 705.
(c) *Cap.* 17. *pag.* 726. (d) *Cap.* 20. *pag.* 732.
(e) *Cap.* 23. *pag.* 736. (f) *Cap.* 24. *pag.* 738.
(g) *Cap.* 27. 28. *pag.* 741. *& sequent.*
(h) *Cap.* 39. *pag.* 755. (i) *Epist.* 82. *Tom.* 4.
(k) *Prol. Relig. hist. pag.* 757.
(l) *Hist. Eccl. lib.* 3. *cap.* 19. *pag.* 657. *& lib.* 4. *cap.* 22. *pag.* 69.

THEODOR.

Theodoretus, qui virtutes Anachoretarum perſpectas habebat, eorumque eximia opera vel ipſe viderat, vel a fide dignis teſtibus audierat, ad poſterorum utilitatem memoriæ conſecrandas operæ pretium exiſtimavit. Si enim, ut ipſe ait, „ abſurdum non eſt, ut „ poetæ quidem, & hiſtorici ea conſcribant, quæ in bello forti- „ ter geſta ſunt, & tragici recte celatas calamitates in publicum „ proferant, earumque ſcriptis mandatam relinquant memoriam; „ cur nos oblivioni tradi ſinemus viros, qui in corpore mortali, „ & patibili impatibilitatem oſtenderunt, & incorpoream æmulati „ ſunt naturam (a) “? Et hunc revera ſibi præfixit ſcopum Theodoretus in hoc opere, eo majori dignus commendatione, quod non ſolum præclara tantorum virorum facinora nobis exponit, verum etiam nobiliſſima exemplaria diverſarum virtutum, quæ quilibet juxta conditionem, ſtatumque ſuum imitari poſſit, ac in ſe exprimere. Hac de cauſa illorum Anachoretarum, & Monachorum vitas conſcribendas aſſumpſit, in quibus diverſa virtutum genera emicuere, quibus & nonnullarum quoque fœminarum virtutes inſeruit ad ſequioris ſexus utilitatem. „ Neque vero (ut ipſe ſcribit) Sanctorum „ omnium, qui ubique gentium claruerunt, vitæ hiſtoriam ſcribere „ conabimur: nec enim omnes, qui ubique clari fuerunt, novimus; „ nec fieri poteſt, ut ab uno omnes deſcribantur. Eorum ergo ſo- „ lum vitam conſcribam, qui luminum inſtar in Oriente fulſe- „ runt . . . nec quæcumque ab eis geſta ſunt, perſequentes . . . „ Sed ubi pauca de uniuſcujuſque vita, rebuſque geſtis narraverimus, & ex paucis totius vitæ formam indicaverimus, ad alium „ progrediemur . . . Narrando autem procedet oratio, non enco- „ miorum legibus utens, ſed pauca tantum quædam ſimpliciter ex- „ ponens . . . Rogo autem, qui in hanc religioſam hiſtoriam in- „ ciderint, . . . ne in quæ dicuntur, minus credant, ſi quid au- „ diant, quod eorum vires excedat: neque illorum virtutem ex ſe „ ipſis metiantur, ſed exploratum habeant, ſolere Deum cælitus „ ex piorum animis Sancti Spiritus dona metiri, & majora largi- „ ri perfectioribus. Adytorum enim myſtæ ſpiritus magnificentiam „ norunt, & quanta per homines in hominibus miracula faciat, „ ut incredulos ad Dei cognitionem adducat. Qui autem iis, quæ „ a me dicenda ſunt, crediturus non eſt, liquet eum ne illa qui- „ dem vera crediturum, quæ per Moyſem, & Jeſum, & Eliam, „ & Eliſeum geſta ſunt, & pro fabulis habere miracula, quæ a „ Sanctis Apoſtolis patrata ſunt. Quod ſi vera illa eſſe teſtatur, „ hæc quoque a falſo aliena eſſe credat. Quæ enim in illos ope- „ rata eſt gratia, eadem per hos quoque, ut fierent, effecit . . . „ Ex iis porro, quæ dicenda ſunt, aliqua ipſe vidi; quæ autem „ non vidi, ab iis audivi, qui viderunt, viris virtutis amantibus, „ dignisque habitis, qui illos viderent, & eorum doctrina frueren-

„ tur

(a) *Prol. Hiſt. Relig. pag.* 758.

THEODOR. „ tur (*a*) “. Notat autem, ab Acacio Beræx Episcopo accepisse, quæ narrat de S. Juliano Saba (*b*), & de S. Eusebio (*c*); & vitam S. Simeonis Stylitæ senioris a suæmet matris ore accepisse. Ipse autem Theodoretus Simeonem Stylitam viderat. In secunda Nicæna Synodo, quæ est VII. generalis, ex hac historia testimonium recitatur, imaginum cultum respiciens; nullumque reperire est, qui ejus veritatem, vel auctoritatem infringere tentaverit: immo licet Theodoretus plures nactus sit adversarios, nemo tamen aut de nimia credulitate, aut de falsitate in hac historia illum unquam arguit.

S. Jacobus Nisibensis. In hac itaque sua narratione triginta Anachoretarum vitas complectitur Theodoretus (1). Horum agmen ducit S. Jacobus Nisibensis, cujus duo tantum miracula hic delibabimus. „ Venerat „ ille in Persidem visurus plantas veræ religionis, & congruentem „ eis curam exhibiturus; cumque fontem quemdam forte transmit- „ teret, puellæ, quæ in eo pannos lavabant, & vestes pedibus e- „ mundabant . . . ejus habitum nihil reveritæ, exuto pudore, & „ perfricta fronte, impudentibusque oculis divinum hominem con- „ spiciebant, nec capita operientes, nec vestes, quas succinxerant, „ demittentes. Quod ægre ferens homo Dei . . . fontem est execra- „ tus, & fluentum confestim evanuit: puellas quoque execratus est, „ & impudentem earum juventam immatura canitie castigavit, ac „ verba confestim factum consecutum; mutatusque est niger color „ pilorum, & similes evaserunt novellis arboribus, quæ vere oper- „ tæ sunt foliis autumnalibus. Ita sensu tactæ supplicii . . . ver- „ sim ad urbem contenderunt renuntiaturæ, quod acciderat. Qui „ mox accurrentes ut ad magnum Jacobum venerunt, rogaverunt, „ ut iram compesceret, & pœnam remitteret. Ille nihil cunctatus „ Deo preces obtulit, & fluenta rursus scatere jussit; tum illa de- „ nuo e suis penetralibus Justi nutibus derivata eruperunt. Hoc im- „ petrato petebant, ut etiam filiarum crinibus pristinus color red- „ deretur. Ferunt autem, illum hoc quoque concessisse, & puellas „ requisiisse, quæ plexæ hac pœna fuerant, & quoniam non vene- „ runt, supplicium reliquisse, quod documentum foret temperan- „ tiæ, & argumentum honestatis (*d*) “. Aliud quoque miraculum patravit. Nam „ cum vidisset aliquando, iniquam a Judice „ Persa prolatam fuisse sententiam, maximum quemdam lapidem, „ qui proximus erat, execratus, conteri ac dissipari jussit, illius- „ que iniquam sententiam arguere: lapide autem in particulas in- „ numerabiles statim comminuto, conterriti sunt, qui aderant; & „ hor-

(a) *Ibid. pag.* 762. & *seq.*
(b) *Hist. Relig. pag.* 784.
(c) *Ibid. pag.* 798.
(1) Ex his triginta celebriores, utilioresque seligemus.
(d) *Ibid. pag.* 765. & *seq.*

„ horrore plenus judex priorem revocavit, & alteram protulit sen-
„ tentiam (*a*)“. THEODOR.

„ Julianus, quem indigenæ Sabam, quod nomen Senem græca lin- S. Julianus Sabas p. 772.
„ gua significat, honoris causa cognominabant, in regione, quæ
„ olim Parthyenorum, nunc Osroenorum dicitur, monasticum tu-
„ gurium defixit . . . In hoc degens semel in hebdomada cibum
„ capiebat; cibus autem erat panis miliaceus, isque furfuraceus,
„ & obsonium salis. Potus vero suavissimus nativum aquæ fluen-
„ tum: nec potum hunc satietate metiebatur, sed sumpti ante ci-
„ bi necessitate definiebat . . . Congregavit centum discipulos; &
„ quamvis tam multi essent, antro tamen exiguo continebantur;
„ a Sene quippe didicerant curam corporis negligere . . . Docebat
„ autem illos intus quidem communem Deo hymnodiam offerre:
„ post auroram vero binos in solitudinem exire, & unum quidem
„ genua flectentem debitam exhibere adorationem; alterum vero
„ stantem Psalmos quindecim canere Davidicos: tum deinde ope-
„ ris facta commutatione illum surgentem canere; hunc vero humi
„ procumbentem adorare. Atque hæc illi crepusculo matutino
„ exorsi ad vespertinum usque assidue faciebant. Ante occasum Solis
„ paululum quiescentes hinc illi, illinc alii omnes undique in an-
„ trum conveniebant, & hymnos vespertinos Domino simul offere-
„ bant. Solebat autem ipse quoque Senex unum aliquem ex insi-
„ gnioribus officii socium assumere (*b*)“.

„ Marcianus . . . contempta claritate generis, quod a Patritiis S. Marcianus pag. 784.
„ ducebat, & splendore Palatii, in quo forma donatus. . . animi-
„ que prudentia pollens florebat . . . medias solitudines adiit, par-
„ vaque extructa domuncula, quæ corpus ejus vix æquaret . . . .
„ ibi clausus hærebat assidue, & orationem quidem psalmodia,
„ psalmodiam autem excipiebat oratio, & utrumque lectio divi-
„ norum eloquiorum . . . . Cibus autem erat solus panis, cujus
„ libram quatuor in partes divisam quatuor diebus distribuebat, &
„ singulis diebus partem unam assignabat. Statuerat enim vespere
„ comedere quotidie . . . præstare enim ajebat vesci quidem quo-
„ tidie, sed nunquam expetere satietatem. Verum enim jejunium
„ est perpetua esuries (*c*) . . . Venerunt ad illum aliquando una
„ congregati primi Pontificum . . . Flavianus Ecclesiæ Pastor An-
„ tiochenæ, & divinus Acacius, . . . & Eusebius Chalcidensis E-
„ piscopus, & Isidorus, qui Cyri gubernacula tunc gerebat . . . .
„ Cum illis erat etiam Theodorus Hierapolitanorum Antistes . . .
„ aderant quoque nonnulli ex Optimatibus, & honoratis, quos fi-
„ dei ardor incenderat. Omnibus ergo cum silentio sedentibus . . .
„ ipse quoque diu tacens sedebat . . . Tunc adsistentium unus . . .
„ omnes, inquit, o pater . . . doctrinæ tuæ sitientes suavissima

(a) *Ibid. pag.* 766.
(b) *Ibid. pag.* 774. *& seq.*
(c) *Ibid. pag.* 785.

THEODOR.

„ fluenta tua expectant . . . Ille autem cum vehementius ſuſpiraſ-
„ ſet: Deus, inquit, univerſorum quotidie & per creaturas loqui-
„ tur, & per divinas Scripturas verba facit, & quæ conſentanea
„ ſunt, admonet, & quæ utilia, docet, & minis deterret, & pro-
„ miſſis hortatur, nec utilitatem ullam capimus. Quomodo ergo
„ loquens prodeſſe queat Marcianus? ... Cum autem ſurrexiſſent, &
„ oraſſent, eum Sacerdotem ordinare volebant; manus tamen admovere
„ non audebant; atque hoc illum, illo vero hunc adhortante, cum
„ recuſaſſent omnes, re infecta, diſceſſerunt ... Avitus quidam pa-
„ riter ſolitarius . . . accurrit, ut eum videret . . . Poſtquam vero
„ mutuis inter ſe colloquiis ſatiati, alter alterius virtutem cogno-
„ vere, Nonæ ſimul officium peregerunt . . . venit diſcipulus Eu-
„ ſebius menſam ferens, & panem. Tunc magnus Marcianus di-
„ vino Avito: Adeſdum, ait, omnium mihi jucundiſſime, & hu-
„ jus menſæ ſimus una participes. Ille vero: Non memini, in-
„ quit, cibum me unquam ſumpſiſſe ante veſperam: ſæpe autem
„ binos, ac ternos ſimul dies jejunus permaneo. At magnus Mar-
„ cianus: Mea ergo, inquit, cauſa mittetur hodie conſuetudo . . .
„ At cum admirabili Avito non perſuaſiſſet, ingemuiſſe fertur, &
„ dixiſſe: At ego animo angor, & diſcrucior, quod tantum labo-
„ rem ceperis, ut laboris amantem hominem videres, & philoſo-
„ phum; ſpe autem fruſtratus cauponem quemdam, & intemperan-
„ tem vidiſti pro philoſopho. Et cum triſtior, his auditis, factus
„ diviniſſimus Avitus gratius ſibi futurum diceret carnibus veſci,
„ quam talia audire, magnus iterum Marcianus: Et nos, inquit,
„ o amice, eamdem, quam tu, vitam ducimus . . . . & quieti
„ labores anteponimus, & jejunium pluris facimus, quam cibum,
„ quem ſub noctem capere ſolemus: ſed ſcimus, caritatem jejunio
„ eſſe præſtantiorem. Hæc enim divinæ legis eſt opus; jejunium
„ vero poteſtatis noſtræ, & arbitrii: divinas autem leges pluris,
„ quam labores noſtros facere convenit. Hæc illi cum inter ſe
„ mutuo diſſeruiſſent, exiguoque ſumpto cibo, Deum laudaſſent,
„ ac tres dies una tranſegiſſent, disjuncti ſunt ſpiritu, ſe rurſus
„ mutuo conſpecturi (*a*)".

S. Euſebius Pag. 794.

In monte præcelſo, „ Antiochiæ quidem ſito ad Orientem,
„ Bereæ vero ad Occidentem philoſophiæ ſcholam Amianus qui-
„ dam extruxerat . . . qui cum doctrina polleret, quæ non ſolum
„ ejus diſcipulis, ſed totidem aliis ſufficere poſſet, ſæpe tamen ad
„ magnum ibat Euſebium, rogans eum, atque obſecrans, ut ad-
„ jutor, & pædotriba, & magiſter eſſe vellet palæſtræ, quam fun-
„ daverat . . . . Conſederant ambo in ſaxo quodam ipſe, & A-
„ mianus, divinorumque Evangeliorum hiſtoriam alter legebat, al-
„ ter obſcuriorum ejus locorum explanabat ſententiam. Terram
„ in ſubjecta planitie arantibus agricolis, ad eorum contemplatio-
„ nem

(a) *Ibid. pag.* 790.

„ nem abreptus eſt magnus Euſebius. Cum ergo locum Evangelicum legiſſet Amianus, ab eoque interpretationem ſciſcitaretur, „ & repeti lectionem jubente magno Euſebio, ſubjeciſſet ille: fortaſſe agricolis delectatus, ut apparet, non exaudiſti; oculis ſuis „ deinceps legem impoſuit, ut neque campum illum ſpectaret unquam, neque cæli, aſtrorumque aſpectu oblectaretur; ſed anguſtiſſima ad Oratorium pergens ſemita, cujus menſuram palmi „ unius fuiſſe ajunt, extra eam deinceps egredi non eſt paſſus . . . „ atque ut cum ſpontanea voluntate ad hæc illum ſimul adigeret „ aliqua neceſſitas, lumbis zona ferrea præcinctis, & cervici graviſſimo collari impoſito, zonam collari alio ferreo conjunxit, ut „ hoc modo inclinatus in terram aſſidue deſpicere cogeretur, has „ de ſe pœnas exigens, quod agricolas illos eſſet contemplatus . . . „ Vixiſſe porro illum poſt hanc legem tradunt annos amplius quadraginta (a)".

THEODOR.

S. Simeon Priſcus pag. 806.

Teſtem eorum, quæ de S. Simeone Priſco narraturus erat Theodoretus, citat Jacobum quemdam Anachoretam, quem virum *mirabilem* appellat. „ Ibant Judæi quidam negotii cujuſpiam cauſa „ in oppidum quoddam extra regionis noſtræ fines poſitum: ſed „ imbre cum venti procella effluente aberrarunt a via, & per ſolitudinem errabant . . . . cum ad divinam Simeonis ſpeluncam „ deveniunt . . . a quo cum viam, quæ ad oppidum duceret, oſtendi rogarent: Expectate, inquit; & ego duces vobis dabo, „ qui optatam viam commonſtrent . . . Dum reſident, advenere „ duo Leones non torvo intuentes aſpectu, ſed veluti domino cuiquam blandientes, ac ſervitutem ſignificantes. His annuens juſſit, ut viros illos ducant, unde digreſſi aberrarant. Fabuloſam „ narrationem hanc nemo putet, cum veritatis ejus teſtes habeat „ communes hoſtes veritatis. Iidem enim ipſi, qui beneficium accepere, id prædicare non ceſſabant (b)... Quidam meſſis tempore „ manipulos vicino ſurripuit, illiſque proprium cumulum auxit. „ At furtum Deus punivit. Cecidit enim fulmen, & area flammam concepit. Miſer ille ad hominem Dei accurrens calamitatem ſuam explicavit. Cui vir Dei, Simul ac, inquit, manipulos reſtitueris, divinitus immiſſus ignis extinguetur. Videre tunc „ erat illum ſpicas reſtituentem . . . & inde pyram ſine aqua divini Senis precibus, & interceſſione reſtinctam (c) . . . Ad Sinam vero montem pergebat Sanctus Senex, cum hominem offendit in caverna latentem agreſti aſpectu, coma ſquallida, facie „ corrugata, lacero, ac vili amictu, ex palmarum foliis contexto. „ Dum autem cum illo colloqueretur, leo procul apparuit, cujus „ aſpectu exterriti Senis comites cum eſſent, Anachoreta, qui in „ caverna illa latebat, leoni innuit, ut in alteram partem tranſiret . . .

(a) *Ibid. pag.* 797.
(b) *Ibid. pag.* 807.
(c) *Ibid. pag.* 807.

THEODOR.

„ ret . . . Paruit e vestigio, botrumque attulit dactylorum, deinde pedem referre jussus abiit . . . Cum ergo dactylos singulis divisisset, precesque, & psalmos cum illis communicasset, & post Liturgiæ finem salutasset, stupefactos dimisit (*a*) . . . Postquam vero Simeon ad optatum montem pervenit . . . in quo Deum videre Moyses meruit (vidit autem, quantum mortali naturæ fas est) genua fixit . . . & cum integram hebdomadam pronus hoc modo peregisset, nec quidquam cibi gustasset, vox illapsa jussit, ut quæ apposita erant, sumeret . . . Quare manum extendens cum tria poma invenisset, his juxta dantis imperium pastus est, viresque integras recepit . . . Hujus benedictione, dum superstes esset, potita est beatissima Mater mea, quam horum pleraque narrantem sæpius audivi. Ego vero, ut potentiæ, qua nunc valet, intercessionisque ejus fructum capiam, oro, & impetraturum me scio (*b*) “.

S. Aphraates Persa.

„ Aphraates natus, educatusque apud Persas . . . spreto genere, quod illi erat clarum, & illustre . . . & popularium suorum impietatem execratus, Edessam petiit, & domunculam extra mœnia nactus, in eam se inclusit, in animæ suæ curam incumbens. Mulier stirpe illustri viro intemperanti juncta matrimonio ad beatum virum venit, & ajebat, maritum suum pellici addictum magicis incantationibus odio habere se legitimo conjugio ipsi copulatam . . . Mulierem miseratus vir Dei, præstigiarum vim repressit precibus, & illatum ab ea vasculum olei divina invocatione sanctificans eo virum inungi jussit. Quod illa cum fecisset, viri amorem in se transtulit, eique persuasit, ut illegitimo toro legitimum anteponeret . . . Cum in regione repente irruissent locustæ, . . . quidam rectæ fidei homo ad illum venit orans, ut sibi opem ferret agrum unum habenti, ex quo se ipsum, uxorem, & liberos aleret . . . Vir Dei vas aquæ afferri ad se jussit . . . . manum aquæ imposuit, Deumque orans, ut divina virtute fluentum impleret. Finita autem oratione præcepit, ut aquam per agri fines aspergeret. Paruit homo imperatis, & agris illis fuit aqua pro vallo inexpugnabili. Ad terminos enim illos usque circumvolantes ad instar exercitus locustæ retrocedebant, hinc rursus inditam benedictionem pertimescentes (*c*). Oculis illum ipse conspexi, sanctæque illius dexteræ benedictionem percepi, cum adolescentulus adhuc matrem ad eum profectam essem comitatus. Atque illam quidem de more, aperta janua, colloquio, & benedictione dignatus est; me vero intromissum precum suarum opibus impertiit (*d*) “.

S. Petrus ib.

Beatus Petrus ex illis ortus est Gallis, qui ad Pontum Euxinum sedes

(a) *Ibid. pag.* 809.
(b) *Ibid. pag.* 810.
(c) *Ibid. pag.* 818.
(d) *Ibid. pag.* 819.

THEODOR.

ſedes fixerunt. Hic „ ſeptem, ut ferunt, annis apud parentem edu-
„ catus reliquam totam vitam in philoſophiæ certaminibus conſum-
„ pſit: obiiſſe autem dicitur, cum vixiſſet annos novem, & no-
„ naginta . . . . Primis annis in Galatia certavit. Inde viſendi
„ ſtudio abiit in Palæſtinam, ut conſpectis locis, in quibus ſaluta-
„ ris Paſſio ſuſcepta eſt, ſervatorem Deum in illis adoraret, non
„ quaſi loco circumſcriptum (incircumſcriptam enim ejus naturam
„ non ignorabat) ſed ut oculos etiam ipſos rei adamatæ contem-
„ platione paſceret . . . . Optatis itaque potitus Antiochiam ſe
„ contulit . . . & ibi in alieno ſepulchro totum tempus tranſegit,
„ cujus pars ſuperior prominens habebat tabulatum, cui connexæ
„ ſcalæ aditum iis dabant, qui aſcendere volebant. Hoc loco con-
„ cluſus longiſſimo tempore perſtitit, frigidam bibens aquam, & ſolo
„ pane veſcens; neque id quotidie, ſed die uno jejunus manens po-
„ ſtridie hæc ſumebat (a). A Diabolo obſeſſos liberavit. . . Ma-
„ tri meæ laborabat alter oculorum morbo ejuſmodi, cui cedere
„ ars medica videbatur: alterius piæ mulieris hortatu ad divinum
„ hominem ſe contulit. Habebat autem illa circa ſe & inaures,
„ & monilia, & alia ex auro, & veſtem variam ex ſericis filis
„ contextam. Nondum enim perfectiorem virtutem deguſtarat, &
„ flos erat ætatis, juventutiſque ornatu delectabatur. Divinum ergo
„ caput hæc intuens, nimiæ elegantiæ primum ægritudinem ſana-
„ vit in hunc illam modum alloquens: Dic mihi, inquit, filia...
„ ſi quis pictor artis ſuæ peritiſſimus imaginem aliquam accurate
„ depingat, & hanc videre volentibus ſpectandam proponat, ve-
„ niatque alius quiſpiam in arte rudis ad libidinem ea fingens,
„ quæ pingere voluerit, deinde artificioſam illam picturam repre-
„ hendens ſuperciliis, & ciliis lineas addat longiores, & candidio-
„ rem vultum reddat, & rubrum genis colorem inducat, an prio-
„ rem pictorem putas non ſuccenſurum, tanquam arti ſuæ gravi
„ facta injuria? . . . Ergo, inquit, conditorem quoque omnium,
„ naturæque noſtræ figulum, & pictorem merito indignari credite,
„ quod immenſam illam ſapientiam imperitiæ arguitis. Neque
„ enim rubeum, & album, ac nigrum colorem infunderetis, niſi
„ hoc additamento egere vos putaretis. Egere autem his corpus,
„ imbecillitatis damnatis auctorem. Atqui ſecundum eſt volunta-
„ ti, parem illum habere poteſtatem. *Omnia* enim, inquit Da-
„ vid, *quæcumque voluit, fecit;* ſed omnium utilitati conſulens
„ ea non dat, quæ damnum afferunt. Quare imaginem Dei
„ ne corrumpatis, neque adjicere conemini, quæ ſapienter non de-
„ dit, neque adulterinam recogiteris pulchritudinem, quæ & pu-
„ dicos labefacit videntibus tendens inſidias. Audiit hæc fœmi-
„ na . . . pedibuſque ejus advoluta, & obteſtans ſanitatem oculo
„ reſtitui rogabat . . . Ille vero Deum horum curatorem eſſe di-

E 3 „ xit,

(a) *Ibid. pag.* 821.

THEODOR.

„ xit, ſemperque credentibus, quæ poſtulant, concedere. Proinde „ dabit tibi . . . fidem tuam conſiderans. Quare ſi hanc integram „ habes . . . . vale dicere & medicis, & pharmacis, divinitus „ datum accipe hoc remedium. His dictis oculo manum impoſuit, „ & ſalutari ſigno Crucis expreſſo morbum depulit. Inde domum „ reverſa, eluto pharmaco, aſcititioque omni ornatu abjecto vitam „ ex præſcriptis a medico legibus inſtituit, nec variam induens ve- „ ſtem, nec auro ſe convenuſtans (*a*). Fœminam quoque cancro „ afflictam ſanavit (*b*)“. Et poſt ejus obitum zona, qua præcingebatur, potita mater Theodoreti, „ ſibi ægrotanti ſæpe im- „ ponens ſæpe etiam patri morbum depulit, eodemque ad ſa- „ nitatem ipſa etiam perſæpe uſa eſt remedio. Sed & amico- „ rum permulti hoc ſcientes zonam ad ægros ſublevandos iden- „ tidem accipiebant, & gratiæ illius vim ubique declarabant „ (*c*) (1)“.

S. Theodoſius.

S. Abbas Theodoſius non contentus humicubatione, ac veſte cilicina omnibus Monachis communi, „ ferri quoque pondus collo, „ ac lumbis, & ambabus manibus adjecit. Comam præterea ge- „ ſtabat ſquallidam, & ad ipſos uſque pedes pertingentem, atque „ ulterius etiam tendentem, ideoque lumbis alligatam. Orationi, „ & hymnodiæ operam navabat aſſiduam . . . labores laboribus „ ſemper augens; manuum quoque opificia tractabat, nunc flabel- „ la, quæ vocant, ſportellaſque texens, nunc agellos in ſaltu pa- „ rans, & ſemina ſpargens, unde neceſſaria vitæ alimenta collige- „ ret“. Diſcipulos quoque ſuos in labore manuum exercebat: „ alii vela . . . . texentes, hi flabella, alii ſportellas texentes, alii „ agriculturæ operam dantes . . . alii cymbam conſtruxere ad one- „ ra convehenda exportantes contubernalium opera, & invehentes „ quæ erant neceſſaria (*d*)“.

S. Romanus pag. 820.

Romanus „ Antiochiæ extra urbis mœnia, imo in monte ſe- „ dem figens aliena in cella, eaque anguſta perpetuo vixit ad „ ſenectam uſque, nec igne utens, nec lucernæ lumen admit- „ tens. Cibus illi panis erat cum ſale; potus vero aqua e fon- „ te; cæſaries magno par Theodoſio, veſtiſque, & ferrum ſimi- „ le . . . Iis, qui ipſum conveniebant, leni, dulcique voce mul- „ tas de fraterno amore, multas de concordia, multas de pace ad- „ monitiones ſuggerebat: multos etiam ſolo aſpectu divinarum re- „ rum amatores effecit. Quis enim non eſt admiratus Senem con- „ templantem, membris confectum, ferro plurimo ſua ſponte onu- „ ſtum, & cilicina veſte amictum, ciboque, qui mortem tan-

„ tum-

(a) *Ibid. pag.* 823.
(b) *Ibid. pag.* 825.
(c) *Ibid. pag.* 826.
(1) Nonnulla omiſſa ſunt a Gallo Auctore recitata, quia minime in Theodoreto leguntur.
(*d*) *Ibidem*.

„ tummodo arceret, vicitantem? . . . . Multorum etiam graves morbos depulit, multis sterilibus fœminis liberos impetravit (*a*)". THEODOR.

„ Zeno, amplissimis opibus relictis, & militiæ cingulo deposito, ex Palatio in sepulchrum quoddam se contulit, cujusmodi in vicino Antiochiæ monte sunt plurima. Solus ibi degebat lectum non habens, non lucernam, non focum, non ollam, non lecytheum, non arculam, non librum, non aliud quidquam, solis vetustis amiciebatur amiculis, & calceamentis similiter, quæ ob detritas soleas vinculis indigerent. Ab uno tantum ex amicis victum necessarium accipiebat. Is autem erat panis unus duos in dies attributus. Aquam procul haustam ipsemet adferebat . . . Ego ipse, cum primum ejus videndi desiderio in montem ascendi, urnas manibus tenentem vidi: deinde cum sciscitarer, ubinam esset amirandi Zenonis habitaculum, nullum se nosse Monachum dixit, qui hoc nomine vocaretur. Unde illum ipsum esse verborum ex modestia conjiciens, secutus sum, januamque introgressus lectum vidi ex fœno constructum, & aliam quamdam stoream lapidibus instratam, ut minime læderentur, qui in his considerent. Post multos vero de philosophia inter nos habitos sermones . . . cum redire jam oporteret, orabam, ut benedictionis viaticum daret. Ille vero repugnabat . . . . Lector enim tunc eram, & populo divinas Scripturas recitabam . . . . sed meis precibus victus, ægre tandem precibus inflexus Deo quidem intercessionem obtulit . . . Veniebat cum populo ad divinam Ecclesiam die Dominico, & divinos audiebat sermones, & mysticæ mensæ particeps factus redibat. . . ad habitaculum . . . Unum librum a sodalibus accipiens totum perlegebat, & hoc prius reddito, alium accipiebat (*b*)". S. Zeno ib.

„ Macedonius, qui Critophagus, idest hordeum edens appellatus est (hoc enim illi cognomen esca dedit, qua vescebatur) non minus virtutibus, quam miraculis fulsit. Annos quinque, & quadraginta duxit nullo utens tabernaculo, nec tugurio, sed in profunda caverna manens . . . Cibus illi non panis, nec legumina, sed hordeum contusum aqua sola madefactum: atque hunc illi cibum mater mea, postquam familiaris ei facta est, longissimo tempore suppeditavit. Et cum ad ægrotantem illam aliquando venisset, didicissetque adduci non posse, ut congruentem morbo cibum sumeret (monasticam enim & ipsa quoque vitam erat amplexa) hortatus est, ut medicis cederet, ac pharmacum esse hunc cibum putaret, ut quem non deliciarum, sed necessitatis gratia usurparet. Nam & ego, inquit, qui per annos quadraginta hordeo solo vixi, ut nosti, cum hesterna die infirmitas quædam me invasisset, conturbernali meo parvum mihi S. Macedonius p. 834.

(a) *Ibid. pag.* 381.
(b) *Ibid. pag.* 832.

THEODOR. „ panem quærere, & adferre jussi. Sic enim mecum reputabam, „ apud æquum judicem me, si morerer, rationem mortis redditu-„ rum . . . Quare hoc metu perculsus . . . & peti panem jussi, „ & allatum comedi; tibique præcipio, ne mihi amplius hor-„ deum, sed panem præbeas (*a*)“. Plura etiam narrat Theodoretus a Sancto Viro patrata miracula. Nec silet, se ejus precibus matri sterili concessum, sæpius illum invisisse, & sibi repetentem „ audivisse: „ Multis cum laboribus, fili, natus es, multas & „ ipse noctes duxi, hoc unum poscens a Deo, ut parentes tui hoc „ fierent, quod te nato appellati sunt. Dignam igitur laboribus „ vitam age. Ante partum promissionibus consecratus es. Deo au-„ tem quæ oblata sunt, veneranda sunt omnibus, nec a vulgo con-„ trectanda. Quare oportet, te pravos animi motus non admit-„ tere, sed illa tantum facere, loqui, & cogitare, quæ virtutis „ Legislatori Deo placent (*b*)“. Post ejus obitum „ omnes tum „ cives, tum peregrini, & qui præcipuos gerebant magistratus, sa-„ crum illud feretrum humeris suis gestantes in triumphantium „ Martyrum Templum deportarunt, & cum divinis illis viris A-„ phraate, ac Theodosio sanctum, Deoque charum ejus corpus de-„ posuerunt (*c*)“.

S. Abrahames p. 841. „ Abrahames Monachus Lybanum vicum maximum petens, quem „ impietatis caligine detineri acceperat, monachum sub mercatoris „ persona tegens, domo conducta, pecuniaque modica possessoribus „ prærogata . . . sensim divinum officium moderata voce aggressus „ est. Ubi vero psalmorum auditus est cantus, continuo . . . o-„ mnes . . . confluxere viri, ac mulieres, foribus obstructis desu-„ per e tecto magnam vim pulveris congestam immiserunt. Sed „ cum suffocari, & obrui eos viderent, neque aliud in animo ha-„ bere, vel agere, vel loqui, sed Deo tantum preces offerre . . . „ ab insania destiterunt, reseratisque januis e pulvere obstructos „ abire mox jusserunt. At eodem tempore exactores adfuerunt, „ qui tributa pendere compellebant, & alios vinculis, alios verbe-„ ribus afficiebant. Divinus vero ille vir . . . exactores illos ora-„ bat, ut illationem humanius exigerent. Et cum illi fidei josso-„ res flagitassent, advocationem ultro suscepit, & aureos centum „ intra paucos dies daturum se promisit. Admirantes autem supra „ modum qui dira illa perpetrarant viri humanitatem, veniam „ de admissis petunt, orantque, ut illis dominari, ac præesse ve-„ lit. Dominum enim vicus nullum habebat . . . Et cum factu-„ rum se recepisset, si Ecclesiam ædificaturos se sponderent, roga-„ runt, ut statim inciperet . . . & fundamenta jacens brevi tem-„ poris spatio tectum imposuit. Perfecto ædificio admonuit, ut „ Sacerdotem crearent. Et cum alium se creaturos negarent, ipsum-

„ que

(a) *Ibid. pag.* 835.
(b) *Ibid. pag.* 841.
(c) *Ibidem*.

„ que & patrem, & pastorem habere optarent, Sacerdotis gratiam
„ percepit. Tres cum illis annos cum egisset, eosque in rebus di-
„ vinis præclare instituisset, atque alterum ex sociis suo loco desi-
„ gnandum curasset, ad monasticum diversorium iterum se contu-
„ lit.... His gestis illustris Carrarum fit Pontifex. Erat au-
„ tem civitas illa impietatis ebria erroribus, ac Dæmonum data
„ furori. Sed postquam hujus agriculturam promeruit, doctrinæ-
„ que illius flammam concepit, & pristinis sentibus libera mansit,
„ & spiritus segetibus nunc abundat, maturos spicarum Deo refe-
„ rens manipulos... Episcopatus tempore nec legumina, nec o-
„ lera igni cocta gustavit,... sed lactucas, intyba, & apia,
„ & alia hujusmodi cibi, potusque loco habuit... Et cum cor-
„ pus tantis laboribus conficeret, aliorum tamen curam inexple-
„ bilem gerebat. Adventantibus enim peregrinis & lectus erat pa-
„ ratus, & panes mundi, selectique afferebantur, & vinum odo-
„ riferum, & pisces, & olera, & quæcunque his adjungi solent;
„ quin assidebat ipse meridie convivantibus appositarum dapum par-
„ tes singulis præbens, & calicem dans omnibus, & bibere ju-
„ bens.... sed cum illis non epulabatur.... In litigantium
„ autem controversiis diem totum ponens, ut inter se reconcilia-
„ rentur persuadebat... injuria oppresso justi partem semper ad-
„ dens, inexpugnabilem eum reddebat, & eo, qui injuriam facere
„ volebat, superiorem (*a*)". THEODOR.

Anachoretæ, quorum hactenus vitas ex Theodoreto delibavi- S. Jacobus pag. 814.
mus, jam in cælis victores renuntiati erant, cum ipse eorum præ-
clare gesta recitabat. Qui sequuntur, suæ scriptionis tempore su-
perstites erant, & magnifice decertabant, atque anteriores sudori-
bus vincere studebant. Inter hos primum recenset S. Jacobum
„ S. Maronis discipulum, qui magistrum ipsum laborum magnitu-
„ dine obscuravit... Nam & tabernaculo, & tugurio, & muro
„ vale dictis, cælum habebat pro tecto... proinde nunc largo
„ imbre diffluens, nunc gelu, ac nive concretus, interdum radiis
„ Solis tostus, & exustus... ferri grande pondus gestabat, quod
„ lumbos, collumque vinciebat; catenæque aliæ a circulo, qui
„ circa collum erat, binæ ante, binæ pone ad inferiorem circu-
„ lum oblique descendentes, & X. litteræ figuram ante, ac retro
„ exprimentes duos inter se circulos connectebant, & manus quo-
„ que circa cubitos alia intus habebant vincula ejusmodi". Quæ
ut persensit Theodoretus „ manu sub vestibus ejus immissa, ut
„ infirmitatis, qua gravabatur, dolorem leniret, rogavit, ut ægro-
„ tanti corpori opem ferret, quod simul ferre non posset onera vo-
„ luntaria, & ægritudinem non voluntariam... cessit... hu-
„ jusmodi carminibus delinitus (*b*)"... Similiter in altera gra-
vissima infirmitate nonnisi magnis precibus impetravit, ut ptisanæ
succum

(a) *Ibid. p.* 847. *& seq.*
(b) *Ibid. pag.* 857.

[redacted] THEODOR. succum ad salutem sumeret (*a*) . . . ' Pedes quoque, qui propter debilitatem incedendi usum amiserant, ut aqua lavaret persuasit (*b*) . . . „ Tres sæpe dies, totidemque noctes nive delapsa sic „ obrutus est pronus jacens, Deumque orans, ut nec minima pars „ pannorum ejus cerneretur. Sæpe etiam sarculis, ligonibusque „ impositam nivem amolientes vicini hoc modo jacentem eripiunt, „ & excitant (*c*) . . . Ex laboribus istis divinæ gratiæ dona decerpsit . . . per ejus benedictionem febrium æstus multi extincti „ sunt, & extinguuntur . . . multi quoque Dæmones fugere omnino coacti, atque dextera ejus benedicta salutare fit medicamentum. Quis nescit, mortuum puerulum ad vitam fuisse revocatum (*d*) "? Se ejus quoque precibus adjutum e sua Diœcesi Marcionistarum hæresim profligasse narrat Theodoretus.

SS. Thalassius, & Limnæus. „ Thalassius (scribit Theodoretus) vir dotibus multis ornatus, „ sed morum simplicitate, mansuetudine, animique modestia omnibus ætatis suæ hominibus antecelluit. Discipulum habuit inter „ cæteros Limnæum, cui adolescentulo, lubricam sciens esse linguam, silentii legem imposuit, mansitque longissimo tempore, „ nihil ulli quidpiam loquens . . . Cum aliquando morbi colici „ doloribus torqueretur . . . non medicorum ope est usus, non lecti perfugio, non ullo pharmacorum, ciborumve levamento, „ sed super tabulam humi sedens, oratione sibi, crucisque signo „ medicinam fecit, & divini nominis cantione dolores consopivit (*e*) ".

S. Simeon Stylita pag. 876. „ Ortus est S. Simeon in vico sito in confinio regionis Cyrensis, & Cilicum, quem Susan nominant. Oves primum a parentibus pascere didicit; postea, cum in Ecclesia Evangelicam illam vocem audiisset, quæ beatos pronunciat, qui flent, & lugent, & miseros eos, qui rident, quemdam ex præsentibus interrogavit, qua ratione hoc consequi aliquis posset: ille monasticam vitam ipsi suggessit; in qua vocatione Martyrum apparitione confirmatus, ad vicinorum quorumdam Monachorum habitaculum venit, duobusque annis cum illis versatus (*f*), & perfectioris „ virtutis amore captus, Taledan vicum petiit, & in Monasterio, „ cui præerat Heliodorus, decem annorum spatio decertavit; & „ cum certaminis socios haberet octoginta, longe omnes superavit, adeo ut, cum cæteri alternis diebus cibum sumerent, totam ipse hebdomadam jejunus expleret, ægre ferentibus præpositis . . . nec persuadere verbis, alacritatemque refrænare valentibus (*g*) . . . Præterea fune ex palmis contexto, quod genus „ asperrimum est, etiam manibus cum tangitur, lumbos cinxit, „ non

(a) *Ibid. pag.* 888.
(b) ~~*Ibid. pag.* 859.~~
(c) *Ibidem.* (d) *Ibid. p.* 862.
(e) *Pag.* 869. *& seq.* (f) *Ibid. pag.* 877.
(g) *Ibid. pag.* 878.

THEODOR.

„ non extrinsecus circumdato, sed ad cutem adposito, & tam ar-
„ cte compresso, ut tota illa pars in orbem exulceraretur. Et
„ cum dies amplius decem hoc modo perdurasset, sanguinisque gut-
„ tis exasperatum ulcus stillaret . . . præpositus admonitus illum
„ increpans, & obsecrans, reique atrocitatem damnans vinculum
„ illud vix exemit; sed ne sic quidem adduxit, ut ulceri medici-
„ nam aliquam adhiberet. Alia porro hujusmodi certantes exce-
„ dere illum e palæstra jusserunt, ne corpore imbecillioribus, &
„ supra vires æmulari conantibus damno esset. Egressus ergo, &
„ desertiora montis loca petens, cisternam aquis vacuam, nec val-
„ de profundam nactus, in eam seipsum dimisit, ibique Deo lau-
„ des offerebat. Post dies quinque pœnitentia ducti præpositi duos
„ miserunt cum mandato, ut illum quærant, & reducant. Inven-
„ tum itaque reduxerunt . . . & brevi tempore apud illos com-
„ moratus, in Tilanissum vicum profectus est . . . . In hoc par-
„ vam offendens domunculam, tres annos inclusus mansit; virtutis-
„ que opes in dies augere contendens, quadraginta dies, sicut di-
„ vini viri Moyses, & Elias, jejunus transire concupivit. Suadet
„ itaque admirando Basso . . . ut intus nihil relinquat, & luto ja-
„ nuam obstruat. Illo autem rei difficultatem suggerente, & mo-
„ nente, ne virtutem esse putaret mortem violentam (*a*): at tu,
„ o Pater, inquit, decem hic mihi panes appone, & urnam aquæ;
„ & ego, si videro, corpus cibo indigere, hunc sumam. Factum
„ est, ut imperavit; & reposita sunt ista, & obstructa luto janua.
„ Finitis autem diebus, venit Bassus; & luto amoto, januam in-
„ gressus, panum quidem numerum invenit, & urnam aquæ ple-
„ nam; at ipsum exanimem prostratum, nec loqui, nec movere se
„ valentem. Quare accepta spongia cum os ejus humectasset, &
„ eluisset, divinorum mysteriorum symbola imposuit; quibus corro-
„ boratus erexit se, & cibi aliquantulum sumpsit, lactucas, & in-
„ tyba paulatim exsugens, & in stomachum demittens. Ille igitur
„ ex illo tempore ad hunc usque diem per annos viginti octo qua-
„ dragenos dies sine cibo transegit . . . Solebat autem primis diebus
„ stare, Deumque laudare; deinde, ubi corpus stationem propter
„ inediam ferre amplius non poterat, sedere deinceps, & ita divi-
„ nam liturgiam exsolvere; postremis vero diebus etiam decumbere.
„ Consumptis enim paulatim, extinctisque viribus jacere semimor-
„ tuus cogebatur . . . Sed majore cælitus accepta gratia, cibis o-
„ mnibus abstinens, quadraginta dies stetit alacritate animi, divina-
„ que gratia confirmatus (*b*). Tribus ergo in illa domuncula transa-
„ ctis annis, ad celeberrimum hunc montis verticem venit, mace-
„ riam circumduci præcipiens, catenaque ferrea viginti cubitorum
„ fabricata, ejusque capite uno ad saxum ingens adfixo, altero ad
„ dexterum pedem alligato, ut extra limites illos, nec si vellet,
„ egre-

(a) *Ibid. pag.* 879.
(b) *Ibid. pag.* 880.

THEODOR. „ egredi posset, intus mansit, cælum assidue animo cogitans . . . „ Sed cum admirandus Meletius Antiochenus Episcopus . . . superfluum diceret ferrum esse, cum ad rationis vincula corpori injicienda voluntas sufficeret; cessit, & admonitioni ejus paruit, „ accitoque fabro vinculum solvi jussit. Sed quia cruri applicata „ pellis fuerat, ne corpus a ferro læderetur, hanc quoque diffringi „ oportuit, cimices maximos supra viginti in ea latitantes sutos di- „ xerunt; & hoc se conspexisse affirmabat admirandus Meletius ... „ At cum pellem manu comprimere, & omnes enecare facile „ posset, molestos morsus toleranter passus est, in parvo se li- „ benter ad majora certamina exercens. Fama ergo per omnes „ oras volitante, concurrebant omnes non vicini modo, sed & „ Ismaelitæ, & Persæ, & Armeni his subditi, & Iberes, & Ho- „ meritæ . . . Venere etiam Hispani, Britanni, & Galli. De „ Italia supervacaneum est dicere. Ferunt enim maxima in Ro- „ ma celebrem adeo virum esse, ut in omnibus officinarum vesti- „ bulis parvas ejus imagines statuant, tutelam ex his quamdam si- „ bi, & præsidium comparantes (*a*). Qui vero veniebant, alii „ paralyticos offerebant, alii sanitatem ægris postulabant, alii patres „ fieri rogantes, quod a natura non acceperant, per illum obtinere „ deprecabantur. Qui accipiebant, & petitis potiebantur, cum gau- „ dio redibant prædicantes beneficia, quæ acceperant, multo plures „ ad ea petenda concitabant . . . . Quoniam autem innumerabiles „ erant, qui adventabant, & tangere omnes conabantur, atque ex „ pelliceis illis vestibus benedictionem aliquam haurire, nimiam „ honoris magnitudinem absurdam existimans, & ægre ferens, sta- „ tionem in columna excogitavit, ac principio quidem sex cubito- „ rum cardi jussit, postea duodecim, tum deinde duorum, & vi- „ ginti, nunc vero sex & triginta (*b*) . . . Itaque super cande- „ labrum posita lucidissima hæc lucerna radios Solis instar omnes „ in partes emisit . . . . Ismaelitæ turmatim venientes ducenti si- „ mul & trecenti, ac interdum mille patrium errorem magna vo- „ ce abnegant, simulacra, quæ coluerant, coram magno illo lu- „ mine conterentes . . . divinis mysteriis initiantur . . . . Atque „ hos ipse vidi, & audivi . . . cum & periculum semel adii ma- „ ximum. Nam cum jussisset ille, ut ad me accederent, & Sa- „ cerdotalem benedictionem acciperent, maximum illos dicens ex „ ea fructum percepturos, hi barbarico impetu irruentes alii a „ fronte, alii a tergo, alii a lateribus trahebant, & qui remotio- „ res erant, super alios conscendentes, manusque protendentes aut „ barbam vellebant, aut vestes proscindebant, ac me profecto isti „ vehementiori incursu enecassent, nisi sublato clamore omnes dis- „ sipasset (*c*) " Plura deinde narrat ab eo patrata miracula scri- „ bens:

(a) *Ibid. pag.* 881.
(b) *Ibid. pag.* 882.
(c) *Ibid. pag.* 884.

THEODOR.

bens: „ Ingressus quidam Phylarchus Saracenorum orabat, ut o-
„ pem ferret homini, cui paralysi soluta in via fuerant membra
„ corporis . . . Illi jussit vir Dei, ut majorum impietatem abne-
„ garet. Quod ille cum libenter admisisset . . . rogavit, an cre-
„ deret Patri, & Unigenito Filio, & Spiritui Sancto; & cum
„ credere se professus esset: His, inquit, nominibus credens surge.
„ Ubi autem surrexit, jussit, ut Phylarchum humeris suis ad i-
„ psum usque lectum ferret. Erat autem is corpore prægrandi.
„ Quo ille sublato, confestim abiit. Qui vero præsentes aderant,
„ in Dei laudem linguam excitarunt . . . . Ismaelita quidam ex
„ iis, qui in salutare Christi nomen crediderat, votum fecerat ...
„ ut deinceps abstineret ab esu cujusque animalis. Hanc ille pro-
„ missionem nescio quo pacto transgressus, aliquando mactatam
„ gallinam ausus est comedere. Quem Deus ad conversionem cer-
„ to indicio ducere cum vellet . . . in lapidis naturam gallinæ ca-
„ ro conversa est, adeo ut nec si vellet, edere amplius posset ...
„ Obstupefactus inusitato miraculo barbarus ad Sanctum celerrime
„ profectus est . . . delicti veniam a Deo petens, & Sancti auxi-
„ lium invocans, ut precibus suis omnipotentibus peccati vinculis
„ ipsum solveret. Miraculum hoc multi conspexere, qui gallinæ
„ partem pectori adhærentem ex osse, & lapide conflatam attrecta-
„ runt. Ego vero non solum miraculi spectator, sed rerum et-
„ iam futurarum prædictionis auditor fui. Nam & siccitatem il-
„ lam, quæ extitit, magnamque anni sterilitatem, & secutam ex
„ ea famem simul, atque pestem biennio ante prædixit . . . Mali
„ etiam, cum a quodam oppugnarer, inimici exitium quindecim
„ ante diebus prædixit, prædictionisque veritatem experientia com-
„ peri (*a*) . . . Hujus apud Regem Persarum ingens gloria fuit,
„ qui ad eum legatos misit, sed & conjugem ejus & oleum ab eo
„ benedictum petiisse, & tamquam donum maximum accepisse ...
„ Ismaelitarum autem Regina sterilis cum esset, liberosque opta-
„ ret, primo quidem missis quibusdam ex primoribus, ut mater
„ fieret, obsecravit; postquam vero voti compos facta est . . . na-
„ tum regem accipiens ad divinum Senem contendit; & quia mu-
„ lieribus aditus non patebat, misso ad illum infante, rogavit, ut
„ benedictionem impetraret (*b*) ... In publicis solemnitatibus ...
„ post Solis occasum, quoad idem rursus ad horizontem veniat o-
„ rientalem, manibus in cælum extensis stat tota nocte, nec som-
„ no capi se sinens, nec labore vinci . . . Aditu facilis est, & af-
„ fabilis, & suavis, unicuique eorum respondens, qui alloquun-
„ tur, sive opifex is sit, sive mendicus, sive rusticanus . . . . Bis
„ quotidie exhortationem habebat, audientium aures irrigans, scite
„ admodum differens, & divini spiritus documenta exhibens. To-
„ tam noctem, & diem ad nonam usque orando consumit. Post
„ nonam

(a) *Pag.* 885. *& seq.*
(b) *Ibid. pag.* 886.

THEODOR. „ nonam vero primum quidem divinam doctrinam præsentibus „ tradit; deinde admissa uniuscujusque petitione, litigantium con- „ troversias dirimit . . . Cæterum in his dum versatur . . . . Ec- „ clesiarum providentiam non negligit, nunc pugnans contra Gen- „ tilium impietatem, nunc Judæorum frangens contumeliam, nunc „ hæreticorum turmas profligans; atque interdum ad Imperatorem „ de his literas mittens, interdum Præsides ad divinum zelum ex- „ citans, ipsos etiam interdum Ecclesiarum Pastores admonens, ut „ gregum suorum majorem curam gerant (*a*)".

De Sanctis Marana, Cyra, & Domnina. Pag. 892. Præstantiorum virorum conversatione descripta, operæ pretium putavit Theodoretus, fœminas etiam commemorare, „ quarum ni- „ hil minora, sed majora potius certamina fuerunt. Hæ namque „ majori laude digniores sunt, quæ infirmiorem naturam cum for- „ titæ sint, eamdem cum viris animi alacritatem ostenderunt, ge- „ nusque suum ab avito dedecore vendicarunt". Inter celebriores primo loco Maranam recenset, & Cyram. „ His patria fuit Be- „ rea: genus autem in patria illustre, & educatio generi conve- „ niens. Sed his omnibus contemptis, cum exiguum quemdam „ locum ante urbem circumsepissent, in eumque intrassent, luto, „ ac lapidibus januam obstruxere . . . at januæ loco quædam par- „ va fenestra est, per quam & victum necessarium accipiebant, & „ cum fœminis, quæ ad eas veniebant, colloquebantur. Ad con- „ gressum autem hujusmodi designatum est tempus Pentecostes: a- „ liis autem temporibus silentium observant. Marana porro cum „ adventantibus sola loquitur: Cyram vero loquentem nemo un- „ quam audivit. Ferrum gestant, tantumque onus gerunt, ut Cy- „ ra, quæ imbecilliore est corpore, usque ad terram incurvetur, „ & corpus erigere nullatenus possit. Amictus habent oblongos, „ ita ut pedes tegant, anterius vero usque ad zonam descendentes „ faciem, & collum, & pectora, & manus penitus occultent. „ Has autem sæpius conspexi per januam intromissus: referari e- „ nim mihi jusserunt Sacerdotii dignitatem honorantes. Vidi ergo „ nec strenuo viro perferendum illius ferri pondus, & post multas „ preces tunc quidem auferre potui; sed post discessum nostrum i- „ dem iterum membris suis imposuerunt, cervici collare, lumbis „ cingulum, manibus, & pedibus, quæ his erant destinata . . . . „ Pluviæ, nivis, & solis vim sustinentes non tristantur . . . ac di- „ vini quidem Moysis jejunium æmulantes ter tantumdem tempo- „ ris impastæ transegerunt; quadraginta enim post dies exiguo cibo „ refectæ sunt. Ter etiam divini Danielis inediam æmulantes, „ tres dierum hebdomadas peragentes, atque escam tunc corpori „ exhibentes. Cum autem cepisset eas aliquando desiderium salu- „ tarium Christi cruciatuum sacra loca contuendi, Æliam profectæ „ sunt, nullum toto itinere cibum gustantes; sed ad urbem illam „ cum pervenissent, adoratione completa, cibum sumpsere, iterque „ rursus

(a) *Ibid. pag.* 887. *& seq.*

„ rursus in reditu jejunæ confecerunt: mansiones autem intercedunt „ non pauciores, quam viginti. Et cum victricis Theclæ templum, „ quod in Isauria est, visere libuisset, ut caritatis in Deum flam- „ mas undique accenderent, jejunæ simul ierunt, redieruntque ... „ Hæ igitur talis vitæ forma muliebre genus ornarunt, & veluti „ exemplum cæteris factæ victricibus coronis a Deo coronabantur „ (*a*). Domnina vero in maternæ domus horto parvum tugurium „ defixit ... In eo dies totos continuis lacrymis ducens non solas „ rigat genas, sed amictus quoque cilicinos ..... Sub gallorum „ autem cantu ad divinum templum se conferens cum aliis tum „ fœminis, tum viris Domino universorum laudes offert. Nec „ incipiente tantum die, verum etiam desinente hoc facit, locum „ Deo consecratum quovis alio loco venerabiliorem esse & cen- „ sens ipsa, & alios docens. Quo nomine magnam illius curam „ gessit, Matri, & fratribus persuadens, ut facultates suas in il- „ lud impenderent. Cibus porro illi est lens aqua madefacta. La- „ borem hunc totum sustinet, cum corpore sit exhausto, ac semi- „ mortuo. Tenuissima enim cutis, & membranæ similis tenuia „ ossa circumtegit adipe, carneque per labores consumpta ... cum „ lacrymis semper loquitur. Sæpe enim dexteram meam prehen- „ dens, & oculis suis admovens sic madefactam dimisit, ut lacry- „ mas manus ipsa stillaret ... Curam gerit pro viribus præstan- „ tissimorum athletarum ... & eorum, qui adveniunt, apud vici „ pastorem diversari eos jubens, & omnia illis necessaria submit- „ tens ... Quia & mihi etiam, cum ad eam partem venio, quæ „ regioni nostræ ad Austrum sita est, & panes, & fructus, & „ lentem madefactam mittit .... Multæ aliæ partim solitariam „ vitam sunt amplexæ, partim versari cum pluribus maluerunt, „ ita ut ducentæ & quinquaginta, aut eo plures, paucioresque una „ degant uno cibo vescentes, super storeis solis dormire solitæ, & „ manus quidem lanificio adjicientes, linguam vero hymnis conse- „ crantes. Extant autem infinita, numerumque excedentia hujus- „ modi philosophiæ gymnasia, non in regione nostra tantum, sed „ per totum etiam Orientem. Plena istis est Palæstina, & Æ- „ gyptus, & Asia, & Pontus, & Europa universa .... In „ Ægypto vero ferunt quædam esse Monasteria, quæ virorum ha- „ beant ad quinque millia opus facientium, Deumque inter- „ ea laudantium; qui opificio suo non solum victum sibi pa- „ rant necessarium, sed peregrinis etiam, egentibusque subve- „ niunt (*b*)".

THEODOR.

Proposuerat Theodoreto Irenæus hoc factum: „ Impius Judex duo- „ bus pietatis athletis optionem dederat, ut duorum alterum faciant; „ aut sacrificent Dæmoniis, aut sese in mare dent præcipites. At- „ que

Epistola Theodoreti pag. 898. Epistola ad Irenæum.

(a) *Ibid. pag.* 893. *& seq.*
(b) *Ibid. pag.* 895. *& seq.*

THEODOR.

„ que horum unus quidem posterius arripuit, alacriterque in pro„ fundum desiliit; alter vero neutrum elegit: sed idolorum quidem „ cultum prioris exemplo respuit, seipsum tamen fluctibus non „ objecit, sed expectavit, ut per vim ab alio mergeretur. Roga„ bat autem, utrum illorum rectius fecisse videretur "? Respondet autem Theodoretus: „ Ego secundum laude digniorem videri „ arbitror. Neque enim injustum quemquam oportet de vita se „ ipsum educere, sed mortem vel spontaneam, vel violentam præ„ stolari (*a*) ". Hoc autem confirmat præcepto Christi jubentis, eos, qui persecutionem patiuntur in una civitate, in alteram fugere, atque iterum ex hac etiam migrare, & in aliam abire; & exemplo Apostolorum Petri, & Pauli, qui de manibus persequentium elapsi ab eis fugerunt.

Epistola 7. ad Theonillam pag. 902. & 8. ad Eugraphiam ibid.

Amisso conjuge a Theonilla clarissima, & pientissima fœmina, illi hanc consolatoriam scribit epistolam Theodoretus, „ non ut „ tristitiæ acerbitatem (scribit) verbis consolatoriis deliniam . . . „ sed hortans tantum, ut philosophia opportune utatur, & defun„ cti mortem longam esse poregrinationem statuat, Deique, ac „ Salvatoris nostri promissa expectet ". Ejusdem argumenti est epistola ad Eugraphiam data, in qua, ut eam consoletur, scribit: „ Sufficit vel ad summam tristitiam profligandam salutarium crucia„ tuum sola recordatio. Pro natura quippe humana hi suscepti „ sunt. Mortem enim obiit Dominus non ut corpus unum de morte „ triumphasse ostenderet, sed ut communem per illud resurrectio„ nem præstaret, atque hanc nobis spem firmam præberet (*b*) ".

Epistola ad Eusebium Scholasticum pag. 911.

Cum rumor disseminaretur de Theodoreto vel deponendo, vel in exilium deportando, ipse Scholastico Eusebio scripsit, „ se per di„ vinam gratiam rumorem hunc & libenter excipere, & eventum „ læto animo expectare . . . Nam etsi pro pietate certantibus nul„ lum propositum esset præmium, poterat ipsa per se veritas ama„ toribus suis persuadere, ut in subeundis pro illa periculis sum„ mam lætitiam præ se ferrent (*c*) ". Postea vero enarratis nonnullis a Philosophis strenue dictis, & fortiter gestis apud Homerum recitatis, subdit; „ turpe admodum esse a naturæ discipu„ lis vinci eos, qui propheticæ, & Apostolicæ doctrinæ partici„ pes fuerunt, qui salutarem passionem crediderunt, corporumque „ resurrectionem expectant, & corruptionis depulsionem, & im„ mortalitatis donum, & regnum Cælorum. Quocirca eos, qui „ sparsi rumoris causa sunt, in mœrore, stude, amice, consolari; „ gaudentes autem si qui sunt, doce nos lætari, & exultare, tri„ pudiare, ac tamquam ipsum regnum Cælorum istud, quod sup„ plicium putant, præstolari ". Fidei deinde professionem scribit dicens: „ Credimus, sicut edocti sumus, in Patrem, & Filium, & „ Spiri-

(a) *Ibid. pag.* 960.
(b) *Ibid. pag.* 903.
(c) *Ibid. p.* 914.

„ Spiritum Sanctum. Non enim in duos Filios, ficut quidam ca- THEODOR.
„ lumniantur, vel didicimus, vel baptizati fumus, vel credimus,
„ vel credere docemus: fed in unum Filium Dominum noftrum
„ Jefum Chriftum, unigenitum Dei Filium, incarnatum Dei Ver-
„ bum. Naturarum fane proprietates non negamus; fed ficut im-
„ pie illos agere cenfemus, qui in duos filios dividunt unum D.
„ N. J. C., fic veritatis hoftes vocamus eos, qui naturas confun-
„ dere conantur. Inconfufam enim unionem factam credimus; &
„ quædam fcimus humanitatis effe propria, quædam divinitatis...
„ Scimus enim & principio carere Divinitatem, & noviffime cœpiffe
„ humanitatem. Hæc enim ex femine Abraham, & David (ex
„ his quippe S. Virgo); divina vero natura ex Deo, & Patre
„ ante fæcula fine tempore, fine paffione, fine divifione genita
„ eft (a)".

Theodoreti hoftes non folum Imperatori, fed & pluribus aliis ipfius Religionem fufpectam reddidere, adeo ut publice contra ipfum conclamaretur. Inter hos etiam Diofcorus Alexandrinus, licet Theodoreto amicitiæ fœdere junctus, decipi paffus eft, & Confratrem fuum inauditum licet, & indefenfum reum impietatis exiftimavit. Ad hunc itaque hanc epiftolam dedit, in qua proteftatur, „ fe Sanctorum Patrum veftigia fequi . . . & Evangelicam „ doctrinam, quam compendio nobis tradiderunt qui apud Ni- „ cæam convenere Sanctiffimi Patres, illibatam confervare (b)". Recitat deinde Nicænum Symbolum, & ejus verbis ad fidem fuam de Incarnatione explicandam utitur, quæ plane orthodoxa eft, & Catholica, & Sanctiffimæ Virgini *Deiparæ* titulum convenire apertiffime confitetur, & eos, qui nomen hoc repudiant, alienos a divina pietate pronunciat. Poftea fubdit: „ Hæc a Divina Scriptura „ didicimus, & a Patribus, qui hanc interpretati funt, Alexan- „ dro, & Athanafio clariffimis præconibus veritatis . . . . Bafilio „ item, & Gregorio, aliifque orbis terrarum luminibus. Quod „ vero beatorum quoque Theophili, & Cyrilli fcriptis utamur, „ atque his etiam adverfantium audaciam retundamus, libri ipfi „ teftantur . . . Beatæ porro memoriæ Cyrillum fæpe ad nos lit- „ teras dediffe perfpectum eft, opinor, Sanctitati tuæ. Sed & „ quando fuos adverfus Julianum libros mifit Antiochiam, fimili- „ terque librum de Emiffario, beatum Joannem rogavit Epifco- „ pum Antiochenum, ut illos fpectatis per Orientem Magiftris „ oftenderet, literifque obfequens beatus Joannes nobis libros mifit, „ quos legentes fufpeximus, & beatæ memoriæ Cyrillo fcripfimus; „ & ille ad nos refcripfit, diligentiamque, ac benevolentiam no- „ ftram commendavit: quæ literæ apud nos fervantur. Quare a- „ verfetur Sanctitas tua loquentes mendacium, & ecclefiafticæ „ tranquillitatis curam fufcipiat, eofque, qui veritatis dogma cor- „ rum-

Epiftola 83. pag. 957. Epift. 86. pag. 963.

(a) *Ibid. pag.* 916.
(b) *Ibid. pag.* 958.

„ rumpere non verentur, aut ſalutaribus curet medicamentis, aut
THEODOR. „ curationem recuſantes tamquam inſanabiles a caulis ejiciat “.
Denique epiſtolam ſequenti anathematiſmo concludit: „ Si quis
„ Sanctam Virginem Deiparam non dicit, aut purum hominem
„ vocat D. N. J. C., vel in duos filios dividit unum unigenitum,
„ ac primogenitum omnis creaturæ, a ſpe in Chriſtum excidat, &
„ dicat omnis populus: Fiat, Fiat (*a*) “.

Epiſt. 86. pag. 962. Interim Dioſcorus non ſolum adverſarios Theodoreti patiebatur anathema pronunciare adverſus ipſum in Eccleſia Alexandrina; verum & ipſe a ſua Sede ſurgens anathema in ipſum conclamavit. Præterea Epiſcopos ad Imperatorem miſit, ut in Aula turbas adverſus Theodoretum, & Orientales excitarent, & a ſua Sede deturbatus in exilium pelleretur. Scripſit itaque Flaviano de impactis ſibi calumniis acerbe conqueſtus in hæc verba: „ Miſimus unum ex religioſiſſimis presbyteris prudentia inſignem cum literis
„ Synodicis, pietati Dioſcori ſuggerentes, nos in eo fœdere, quod
„ ſub beatæ memoriæ Cyrillo initum eſt, permanere, ſcriptamque
„ ab eo epiſtolam amplecti, & beatiſſimi quoque Athanaſii Epi-
„ ſtolam . . . . libenter recipere, atque ante hæc fidem Nicææ
„ Bythiniæ a ſanctis, beatiſque Patribus expoſitam, & hortati
„ ſumus eos, qui permanere nolunt, ſuadentes permanere; nullum
„ vero Deo cariſſimorum Orientis Epiſcoporum ab Apoſtolicis
„ Dogmatibus diſſentire religioſiſſimis Clericis, qui ab eo vene-
„ rant, ipſa rerum experientia perſuaſum eſt (*b*) “. Deinde Flavianum obteſtatur, ut oppugnatam fidem tueatur, & pro conculcatis canonibus decertet. „ In illa quippe regia urbe congregati
„ beati Patres, cum iis, qui apud Nicæam convenerant, conſpi-
„ rantes diœceſes diſtinxerunt, & ſua unicuique diœceſi adſigna-
„ runt, aperte interdicentes ex altera quoſquam diœceſi alteram
„ invadere. Sed Alexandriæ Epiſcopum Ægypti tantummodo res
„ adminiſtrare, & ſuas ſingulas diœceſes. Hic vero legibus iſtis
„ acquieſcere non vult, ſed ſurſum, ac deorſum Beati Marci Se-
„ dem obtendit; idque cum liquido intelligat, Megalopolim An-
„ tiochiam magni Petri Sedem habere, qui beati Marci magi-
„ ſter erat, chorique Apoſtolorum Princeps, & Coryphæus. Ve-
„ rum nos Sedis ſublimitatem novimus: nos ipſos vero & cogno-
„ ſcimus, & metimur. Humilitatem enim Apoſtolicam a princi-
„ pio didicimus (*c*) “.

Epiſt. 87. 88. 89. pag. 964. & ſeq. In hac epiſtola, quæ ad Domnum Apameæ Epiſcopum data eſt, ſcribit: „ Nec ſi ora nobis tot eſſent, quot capilli, laudare Deum
„ pro dignitate non poſſumus, iſta ob ejus confeſſionem, quæ igno-
„ minia videtur, affecti, quam omni honore auguſtiorem ducimus.
„ Quod ſi vel ad ultimas terræ oras relegati fuerimus, tanto illum
„ impen-

(a) *Ibid. pag.* 960.
(b) *Ibid. pag.* 963.
(c) *Ibid. pag.* 964.

„ impensius laudabimus, quanto majoribus bonis honestamur (*a*). THEODOR.
„ Scribo (subdit) non arrogantia ductus, sed impulsus necessita-
„ te; neque quod injuste mihi tristia quædam impendere intelli-
„ gam . . . . sed ut fidem faciam, falsa in nos ab illis jactari,
„ qui dogmata nostra reprehendunt (*b*). Nos in aliis plurimis de-
„ liquisse non negamus. Cæterum dogmatum Apostolorum doctri-
„ nam ad hanc usque diem retinemus intactam . . . Pro hac enim
„ adversus hæreses omnes decertare non desinimus, hanc pieta-
„ tis alumnis assidue suggerimus". S. Ignatium inter orbis lumina
enumerat cum S. Athanasio, Gregorio, Basilio, & Joanne Chry-
sostomo (*c*). Hinc fidenter postulat, „ ut si quispiam ab his
„ diversa illum sentire contendat, præsentem accuset, non absentem
„ calumnietur . . . Sed etsi (subdit) nos cuipiam indicta causa
„ damnare visum sit, ferimus vel injustam æquo animo sententiam;
„ quia Domini tribunal expectamus, ubi nec testibus, nec advoca-
„ tis indigemus, cum oculis ejus, ut ait Apostolus, *nuda*, *& a-*
„ *perta sint omnia* (*d*)".

Per idem tempus ex literis a Domno Antiocheno nepote, & suc- Epist. 111. 112.
cessore Joannis Antiocheni sibi datis audierat de congreganda Syno-
do rumores increbrescere; quod permolestum erat Theodoreto, quip-
pe quia nihil boni ex jactata Synodo expectare liceret, nisi mise-
ricors Dominus solita utens providentia turbulentorum Dæmonum
machinas destrueret. Hoc autem verebatur Theodoretus, præsciens,
Dioscorum Præsidem Concilio statuendum, & S. Flavianum pri-
mæ inter Orientales Sedis Antistitem tamquam reum in hoc Con-
cilio judicandum. Timebat insuper, ne in Concilio S. Cyrilli ana-
thematismi probarentur, quos ipse cane pejus, & angue oderat,
quippe qui arbitrabatur in illis insitum Apollinaristarum venenum.
Hinc scribit: „ Jam siquidem, etiamsi plures ista sanxissent, resti-
„ timus apud Ephesum, nec prius illi, qui hæc scripserat, com-
„ municavimus, quam iis, quæ exposuerat, assentiens consonam
„ his doctrinam accommodavit". Ideo etiam subdit, se illi mitte-
re „ exemplum tum epistolæ beati Acacii, tum illius, quam bea-
„ tus Joannes ad beatum Cyrillum scripsit, ut cognoscat, illos
„ tum etiam, cum de pacificatione ad eum scriberent, capita ista
„ insimulasse . . . & ideo oportet, illos, qui ad Synodum profici-
„ scuntur, ea, quæ pacificationis tempore scripta sunt, proferre,
„ & aperte dicere, quænam dissidia fecerint, & quo pacto divulsa
„ coaluerint. Eos enim, qui ad tuendam pietatem vocantur, la-
„ borem omnem suscipere oportet, divinumque auxilium invocare,
„ ut relictam nobis a majoribus hæreditatem intactam conserve-
„ mus". Monet etiam Domnum, „ ut ex reverentissimis Cle-

(a) *Epist. 87. pag. 965.*
(b) *Epist. 88. ibidem.*
(c) *Epist. 89. pag. 966.*
(d) *Epist. 91. pag. 967.*

THEODOR. „ ricis eos seligat, qui tuendæ pietatis zelo præditi sunt, ut ne „ a domesticis ipsi proditi vel facere aliquid cogamur, quod Deo „ displiceat, vel soli relicti ab hostibus capi facile possimus". Et denique concludit: „ Fides est, obsecro, in qua salutis positas spes habemus; omnemque oportet lapidem movere, ut nihil in eam spurium inferamus, sive apostolicam doctrinam corrumpamus (*a*)".

Epistola 113. Quod præviderat Theodoretus, & prædixerat, evenit. Dioscorus siquidem Alexandrinus tantam in Ephesina Synodo tyrannidem exercuit, ut inde latrocinalis, & prædatoriæ nomen retulerit. In ea damnatur Theodoretus, ejus doctrina proscribitur, Sacerdotio spoliatur, & civitate pellitur, & ne ab ullo homine hospitio exciperetur, vetitum. Ter quidem citatus fuit absens, licet sciretur, ipsum triginta mansionibus distantem interesse non posse, ut ex contumacia saltem juste damnatus videretur. Damnationis vero causæ hæ afferebantur, quod contra Cyrilli anathematismos scripserit, & epistolam ad suos Diœcesanos dederit adversus I. Ephesinum Concilium, cum adhuc ferverent contentiones inter S. Cyrillum, & Joannem Antiochenum. Ad examen etiam vocata sunt nonnulla Theodoreti scripta; & licet in illis nihil repertum fuerit, quod hæresim, vel errorem redoleret, immo ab omnibus commendarentur, nihilo tamen secius eorum auctor proscribitur, & adversus ejus doctrinam anathema pronunciatur, ita volente Dioscoro omnis veritatis, & justitiæ hoste. Contra hæc omnia totis viribus reclamarunt Pontificii Legati, & præsertim Hilarius, sed frustra. Innotuerunt hæc omnia Theodoreto ex Actorum exemplari ad eum misso, qui Summi Pontificis S. Leonis fidei studium probe noscens ad eum confugit, missis Hypatio, & Abramio Chorepiscopis, & Alypio Monacho simul cum literis suis, in quibus primo fatetur, Romanum Pontificem in omnibus primas tenere, & ad ipsum omnes accurrere, ut Ecclesiarum ulceribus remedium ab illo accipiant. Romanam etiam urbem laudat præcipue ob fidem, qua ornatur, cujus idoneum testem citat Apostolum clamantem: *Fides vestra annunciatur in universo mundo*, & quod habeat communium Patrum, Magistrorumque veritatis Petri, & Pauli sepulchra fidelium animas illuminantium. Deinde ad ipsius S. Leonis laudes transilit, cujus extollit zelum *adversus infames Manichæos*, *quos* (ut scribit) *Sanctitas vestra nuper exeruit*, *&* *quo rerum divinarum studio vester in Deum sit amor*, *patefecit*; nec non epistolam ad Flavianum datam, in qua de Dei Servatoris nostri Incarnatione scripsit; *& admirati sumus*, inquit, *exactam operis diligentiam*, *&* *Spiritus Sancti gratiam*, *quæ per vos loquuta est*. Conqueritur postea de Dioscori vi, & tyrannide, qui ipsum absentem, nec in jus vocatum, nec præsentem accusatum, nec interrogatum calamo jugulavit, & anathemate confi-

(a) *Ibid. pag.* 984.

confixit. Dein propriam agens causam scribit: „ Sex & viginti an- „ nis commissam mihi . . . Ecclesiam . . . cum rexerim ; neque „ sub beatissimo Theodoto Antistite Orientis, neque sub iis, qui „ illi in Antiochenorum Sede successerunt, vel minimam reprehen- „ sionem sustinui: sed divina mihi cooperante gratia supra mille „ animos Marcionis morbo liberavi, multosque alios ex Arii, & „ Eunomii partibus ad Christum Dominum perduxi. Et octingen- „ tarum Ecclesiarum pastoralem curam gerens, lolium nullum re- „ lictum est, sed omnibus hæreticis erroribus grex noster ereptus „ est. Novit qui omnia conspicit, quot lapides ab infandis hære- „ ticis in me conjectos exceperim, quot mihi multis in urbibus „ Orientis certamina fuerint adversus Gentiles, adversus Judæos, „ & adversus errorem omnem hæreticum. Et post tantos sudores, „ ac labores indicta causa condemnatus sum. At ego Apostolicæ „ vestræ Sedis expecto sententiam; & oro, obtestorque Sanctitatem „ vestram, ut mihi rectum, ac justum tribunal vestrum invocanti „ opem ferat, jubeatque ad vos venire, & doctrinam meam apo- „ stolicis vestigiis insistentem ostendere ". Enumerat deinde pluri- ma quæ elucubravit de Theologicis doctrinis volumina. Deinde subdit: „ Facile est ex his cognoscere, an stabilem fidei regulam „ servaverim, an ab ejus rectitudine deflexerim. Sed nolite, obse- „ cro, supplices meas preces respuere, nec miseram meam canitiem „ post multos labores contumeliose tractatam despicere. Ante o- „ mnia ut a vobis docear, oro, an me oporteat in hac injusta de- „ positione acquiescere, an non: vestram enim sententiam expecto. „ Quod si in judicatis me manere jusseritis, manebo; neque ulli „ hominum deinceps molestus ero, sed rectum Dei judicium expe- „ ctabo. Me quidem, testis est Dominus, honoris, & gloriæ cu- „ ra non tangit, sed scandali, quod injectum est, quia multi e „ simplicioribus . . . . hæreticos nos fortasse existimabunt, sedem „ illorum, qui condemnarunt, attendentes, cum dogmatis perfe- „ ctionem perspicere non possint; quodque Episcopatu tot annis „ gesto non agrum, non obulum, non sepulchrum, sed spontaneam „ paupertatem amplexus sim, & ea, quæ a parentibus ad nos per- „ venerunt post illorum mortem, statim distribuerim, ut sciunt „ omnes, qui habitant in Oriente. Hæc per reverentissimos, Deo- „ que carissimos Presbyteros Hypatium, & Abramium Chorepisco- „ pos, & Alypium Monachorum, qui apud nos sunt, Exarchum „ Sanctitati vestræ suggessi: quandoquidem, ne ad vos contende- „ rem, regalium litterarum vincula retinuerunt (a) ". Scripsit quoque Renato Romanæ Ecclesiæ Presbytero ad Ephesinum Con- cilium Legato, & cui interfuisse creditur, ipsum obsecrans, „ ut „ sanctissimo, & beatissimo Archiepiscopo (Romano scilicet Pon- „ tifici) persuadeat, ut Apostolica potestate utatur, & Concilium

Theodor.

(a) *Ibid. pag.* 986. & *seq.*

THEODOR. „ Romæ advocare præcipiat. Habet enim (subdit) Sanctissima „ illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt Orbe, principatum „ multis nominibus, atque hoc ante omnia, quod ab hæretica ta- „ be immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, „ sed apostolicam gratiam integram conservavit ". Protestatur, se semper „ per apostolica vestigia incessisse unum prædicando Filium, „ sicut unum Patrem, & unum Spiritum Sanctum, unam Trini- „ tatis divinitatem .... perfectam D. N. J. C. divinitatem, „ perfectam humanitatem, quæ propter nostram salutem assum- „ pta est, & propter nos morti tradita. Non alium novi fi- „ lium hominis, & alium filium Dei; sed eumdem Filium qui- „ dem Dei, & Deum ex Deo genitum; filium vero homi- „ nis propter sumptam ex semine Abrahæ, & David servi for- „ mam (*a*) ".

Epistola 121. & 123. p.994.& seq. Concesserat Imperator Theodoreto, ut in Monasterium Apameæ proximum concederet, &, ne inde exiret, vetuerat. Nullus loco ejus substitutus est Cyri Episcopus, sed sui Episcopatus reditibus spoliatus fuit. Hæc contigere anno 450. Circa idem tempus, vel anni insequentis initio Uranius Emessenus Episcopus, qui illi consilium dederat, ut dispensatione uteretur, ne persecutores irritaret, Theodoreto scripsit conquestus, quod consiliis suis non quievisset. Huic itaque respondet: „ Non modo non dolemus, quod libertate „ usi sumus, sed gaudemus, & lætamur, & illum laudamus, qui „ his ærumnis dignatus est, atque adeo familiares ad eosdem ago- „ nes adhortatnur ". Uranius iterum scripsit, ut quædam prioris suæ epistolæ dicta explicaret, quæ a Theodoreto non recte intellecta arbitrabatur; cui reposuit Theodoretus in hæc verba: „ Tanta me replevit lætitia epistola tua, ut minime pœniteat, „ me sententiam in priori exordio conjectasse. Ignoratio enim sen- „ sus literarum fraterni amoris thesaurum aperuit, & fidei since- „ ritatem ostendit, & pietatis zelum patefecit ". Ut autem suum erga illum amorem ostenderet, scribit, se Eulogias, quas ab aliis „ non acceperat, non quod eos, qui miserant, contemneret, sed „ quod necessarium victum ab eo interea sumeret, qui hunc etiam „ corvis abundantem suppeditat "; erga tamen Uranium ita agere noluerit, sed acceptaverit: nam vicerat caritatis ardor id, quod sibi tamdiu fuerat propositum, non acceptandi videlicet cujuscumque donaria (*b*).

Epistola 124. ibid. In epistola ad Maranum Scholasticum prædicit Theodoretus, eos, qui Ecclesiæ infesti erant, propediem „ eorum, quæ inique agunt, „ pœnas luituros. Omnia enim pondere, & mensura gubernat „ Deus, & cum ad immodicam iniquitatem prolapsi quipiam fue- „ rint, non amplius sustinet, sed judicem deinceps agens vindictæ „ pœnam irrogat ". Quod revera contigit; mortuo siquidem eodem

(a) *Epist. 116. pag. 989. & seq.*
(b) *Epist. 123. pag. 995.*

eodem anno 450. mense Junio, vel Julio Theodosio, Chrysaphius Eunuchus, qui Dioscori Schismati favebat, aula ejectus, & in insulam relegatus, paulo post jussu Pulcheriæ obtruncatus est. [redacted] THEODOR.

Inter studiosiores fidei defensores eminebat Timotheus Episcopus, qui propterea Theodoretum per litteras rogaverat, ut sibi scriberet, quæ *de salutari Passione prædicare, vel sentire oporteret*. Petitioni ejus libenter obsequutus ea, quæ a Sacra Scriptura, & a Patribus, qui hanc exposuerunt, condidicerat, exposuit: „ non „ (ut inquit) doceam, sed ut caro Dei capiti revocem in memo„ riam. Scito igitur, Deo dilectissime, oportere ante alia omnia „ nominum differentiam cognoscere, tum præterea causam divinæ „ Incarnationis. His enim distinctis, atque perceptis, nulla de „ passione ambiguitas relinquetur. Eos ergo, qui contradicere stu„ dent, interrogemus prius, quænam Incarnatione antiquiora uni„ geniti Filii Dei sint nomina, quænam recentiora, vel cum ipso „ dispensationis opere conjuncta. Dicent illi prorsus, quod Deus „ Verbum, & unigenitus Filius, & Dominus universæ creaturæ „ antiquiora sint: Jesus vero Christus Incarnationis propria . . . „ ante enim Incarnationem neque Christus, neque Jesus vocaba„ tur... appellatur tamen etiam post Incarnationem Deus Verbum, „ & Dominus, & omnipotens, & unigenitus Filius, & Factor, & „ Creator. Neque enim mutatus homo factus est, sed manens, „ quod erat, assumpsit, quod sumus... Passionem quidem enarrans „ divina Scriptura Dei nomen nusquam apposuit . . . . nec Mat„ thæum quispiam cum genealogiam exponentem audierit, David, „ & Abraham Dei secundum naturam progenitores existimet: ab „ illis enim assumpta natura deducitur . . . . Explorata ergo sunt „ ista, & extra controversiam vel apud acriores hæreticos; scimus„ que naturam alteram sæculis anteriorem, alteram recentem, & „ novam. Ita nosse oportet, carnem quidem passibilem, divini„ tatem vero impassibilem; non unionem dividentes, neque in duas „ personas unigenitum partientes, sed in uno Filio, quæ sunt na„ turarum propria, contemplantes. Etenim si in anima, & in cor„ pore, quæ naturæ sunt æquales tempore, naturaliterque conjun„ ctæ, hoc facere solemus, & animam quidem dicimus simpli„ cem, & rationalem, & immortalem, & invisibilem; corpus „ vero appellamus compositum, & passibile, & mortale, & unio„ nem non solvimus, nec hominem unum bifariam dividimus . . . „ Sic licet in Christo naturarum differentiam perspexerimus, unum „ tamen adorare oportet Filium, eumdemque ipsum & Filium Dei „ nosse, & Filium hominis . . . . Unio enim communia reddit „ nomina, sed naturas nominum communio non confundit. Ma„ nifestum est enim iis, qui recte sentiunt, alia ut Deo, alia „ ut homini convenire. Sic & passibile, & impassibile com„ petit Christo Domino. Passus namque est secundum humanita„ tem; impassibilis vero mansit ut Deus. Quod si, ut impii di-

Epistola 110. p. 1000.

 „ cunt,

THEODOR. „ cunt, ſecundum divinitatem paſſus eſt, ſupervacanea utique fuit „ carnis aſſumptio (*a*)“.

Epiſtola 137. p. 1010. & 138. p. 1011. Statim ac Imperii habenas ſuſcepit Marcianus, Eccleſiæ, & Epiſcopis, inter quos Theodoreto, libertatem reſtituit. Ut hoc reſcivit iſte, amicis ſuis lætum hoc nuncium miſit, ac præſertim Joanni Archimandritæ, rogans, „ ut ſecum lætetur, & gaudeat, „ & laudando impenſe oret, ut eos, qui nunc hæc, nunc illa di- „ cunt, & ſecundum tempora mutantur Chamæleonum more, qui „ foliorum colorem induunt, clemens Dominus confirmet, ſtabiliat- „ que in petra, & tribuat, ut omnibus rebus unitatem antepo- „ nant“. Scribit & Anatolio (*b*), „ ut pro tenuitate ſua gra- „ tias ſingularibus verbis agat Chriſti amanti Imperatori, ac piiſ- „ ſimæ, Deoque dilectiſſimæ Auguſtæ bonorum Magiſtræ . . . & „ hortetur, ut Synodum convocent . . . cui ipſe Imperator interſit, „ ut adverſarios præſentia ſua terreat, & veritas contrarium nihil „ habeat“.

Epiſtola 134. p. 1018. Docuerat Theodoretus, „ Deum univerſorum omnia quidem poſ- „ ſe, ſed *omnium* vocabulo ſola honeſta, & bona comprehendi“. Hanc veritatem oppugnabant Eutychiani, putantes, nihil eſſe Deo impoſſibile; eapropter & in ſua divina natura pati potuiſſe, & cum Deus ſit impaſſibilis, fieri tamen poſſe paſſibilem. Nonnulla de hac quæſtione Theodoreto ſcripſere, ut clarius mentem ſuam explicaret. Inſcribitur hæc epiſtola militibus: at rarum eſt, hujuſmodi homines theologicis quæſtionibus incumbere. Quidquid tamen ſit, oſtendit, „ eos, qui dictum ſuum reprehendunt, in ſtudioſo- „ rum, diviniſque in rebus eruditorum numero non eſſe, ſed eo- „ rum, qui Apoſtolica dogmata accurate non norunt . . . . Qui „ enim natura eſt ſapiens, & bonus, contrariorum nullum admit- „ tit, ſed ea tantum, quæ ſuæ naturæ conveniunt. Quod ſi erunt, „ qui contradicant, interrogate illos, an mentiri poſſit univerſo- „ rum Deus, qui veritatis eſt Legiſlator? . . . ſi fieri poſſit, ut „ injuſtus ſit, qui eſt fons juſtitiæ? . . . ut inſipiens ſit abyſſus „ ſapientiæ? . . . ſi fieri poſſit, ut Deus non ſit & Dominus, „ & Creator? . . . Quod ſi hæc omnia . . . præſtare Deum non „ poſſe annuerint, dicendum ergo: multa impoſſibilia ſunt Deo. „ Cæterum impoſſibilia hæc imbecillitatem non arguunt, ſed po- „ tentiam maximam demonſtrant. Neque enim, cum de anima „ noſtra dicimus, impoſſibile eſſe illam mori, imbecillitatem ejus „ enuntiamus, ſed immortalitatis potentiam prædicamus . . . . . „ Quod ſi dixerint: quæcunque vult, poteſt Deus, dicendum illis „ eſt, nihil velle facere, quod naturæ non congruat. Natura au- „ tem eſt bonus; nihil ergo vult mali: natura eſt juſtus; nihil „ ergo vult injuſti“. Dein pluribus Scripturæ teſtimoniis evincit, quod

(a) *Ibid. pag.* 1002. *& ſeq.*
(b) *Epiſt.* 138. *pag.* 1011.

quod cum Deus mutationem non recipiat, fieri non poterat in ſua natura ex immortali mortalis, neque ex impaſſibili paſſibilis. THEODOR.
„ Hoc enim (ſubdit) ſi fieri potuiſſet, haudquaquam naturam „ noſtram aſſumpſiſſet. Quoniam autem immortalem habet natu- „ ram, corpus aſſumpſit, quod pati poterat, & cum corpore ani- „ mam humanam, atque horum utrumque a peccati maculis ſer- „ vans intactum . . . Quod vero non divina natura, ſed corpus „ affixum ſit Cruci, teſtes ſunt quatuor Evangeliſtæ, qui una vo- „ ce hoc docent . . . Quod ſi objiciant . . . Angelum dixiſſe: *Ve-* „ *nite, & videte locum, ubi poſitus erat Dominus* (a); diſcant „ imperiti, etiam de triumphante Stephano dicere divinam Scriptu- „ ram: *Sepelierunt autem Stephanum viri timorati* (b), tametſi „ ſolum corpus tumulo mandatum ſit . . . Eodem modo beatus „ Jacobus filiis ſuis dixit: *Sepelite me cum patribus meis* (c); „ & non dixit corpus meum . . . Et nomina communia ſunt cor- „ porum, & animarum; attamen ſola corpora communibus nomi- „ nibus appellarunt (d)".

Tametſi Theodoretus in omnibus fere epiſtolis ſuam de fide In- Epiſtola 145. p. 1021.
carnationis ſinceritatem teſtaretur, ejus tamen adverſarii ipſum quaſi duos in Chriſto Filios admittentem de impietate accuſare non ceſ- ſabant. Scribit itaque ad Monachos Conſtantinopolitanos inter Theodoreti accuſatores præcipuos non alia de cauſa, niſi quia eo- rum errores infracte oppugnabat. Primo itaque ſcribit: „ Multæ „ auditorum myriades teſtes ſunt, nos Evangelicorum Dogmatum „ veritatem tradidiſſe: præſto ſunt conſcripta opera, ut explorent, „ qui velint. Non enim pro Filiis duobus, ſed pro Unigenito „ Dei Filio & contra Græcos, & contra Judæos, & contra Arii, „ atque Eunomii morbo laborantes, & contra eos, qui Apolli- „ narii amentiam ſectantur, vel qui Marcionis tabo correpti ſunt, „ certare nunquam deſtitimus". Deinde in confirmationem ſub- dit: „ Eos, qui ad ſacroſanctum Baptiſma ſingulis annis accedunt, „ fidem Nicææ a Sanctis Patribus expoſitam addiſcere jubemus; & „ inſtituentes eos, ſicut juſſi ſumus, baptizamus in nomine Patris, „ & Filii, & Spiritus Sancti, ſingulariter unumquodque nomen „ proferentes. Quin & ſacras Liturgias in Eccleſiis obeuntes tum „ ineunte die, tum deficiente . . . . glorificamus Patrem, & Fi- „ lium, & Sanctum Spiritum. Quod ſi duos Filios, ut iſti calu- „ mniantur, prædicamus, quemnam glorificamus? aut quemnam „ ſine adoratione relinquimus? Extremæ namque eſt dementiæ, „ duos quidem credere Filios eſſe, & uni dumtaxat gloriam exhi- „ bere . . . Ne ipſi quidem adverſarii mei licet aſſueti mendacio „ dicere audent, iſta ſe unquam ex ore noſtro audiviſſe: ſed quia „ Chri-

(a) *Matth.* 28. 6.
(b) *Actor.* 8. 2.
(c) *Geneſ.* 49. 29.
(d) *Epiſt.* 144. *pag.* 1109. *& ſeq.*

THEODOR. „ Christi Domini duas naturas confitemur, ideo filios duos nos affirmare ajunt (*a*) “.

Epistola 146. p. 1030. Epistola isthæc, jam sedatis turbis, & Ecclesiæ serenitate restituta, conscripta est, dum tamen Theodoretus adhuc in Monasterio degebat optata quiete fruens, & tranquillitate, quæ tamen turbata est scandali cujusdam gratia in urbe, quæ Cyrensis creditur, exorti; eo quod, „ Presbyteris quibusdam orantibus, & orationi solitum finem apponentibus, dicentibusque: *Quia te decet gloria*, „ *& Christum tuum*, *& Sanctum tuum Spiritum*; vel: *Gratia*, *&* „ *benignitate Christi tui*, *cum quo te decet gloria cum Sancto tuo* „ *Spiritu*; Archidiaconus mandarit, non oportere *Christum* dicere, „ sed *Unigenitum* glorificare: quasi vellet duos in Filios dividere „ unum Dominum nostrum Jesum Christum; & Unigenitum putet „ esse Filium, & naturalem, Christum vero adoptivum, & no„ thum, ac proinde indignum glorificatione “, ut faciebant Nestoriani; vel solam in ipso divinam agnoscere naturam, & veram carnis nostræ assumptionem negare, ut Eutychiani. Ad hoc autem removendum scandalum, quod non leves in urbe illa turbas excitaverat, & ad Christi gloriam vendicandam, fusiorem epistolam scripsit Theodoretus Joanni ejusdem Ecclesiæ Œconomo, in qua clarissime ostendit, alium non esse Christum, quam Unigenitum Dei Filium, qui in Scripturis modo Christus, modo Filius appellatur, ut ex epistolis Pauli Apostoli patet scribentis: *Unus Deus Pater*, *ex quo omnia*, *& unus Dominus Jesus Christus* (*b*). Et rursum: *Expectantes beatam spem*, *& adventum gloriæ magni Dei*, *& Salvatoris nostri Jesu Christi* (*c*); & Apostolus Petrus dixerat: *Tu es Christus Filius Dei vivi*; quod & aliis pluribus tum Veteris, tum Novi Testamenti testimoniis confirmat. Dein subdit: „ Sed op„ ponent, Christos quidem esse multos (sic videlicet appellatos in „ Scripturis); sed unum Filium . . . At si divinam Scripturam „ legissent, scirent profecto, filii quoque nomen a liberali Deo „ tributum multis fuisse. Moyses enim conscripsit: *Videntes fi*„ *lii Dei filias hominum* (*d*); & item in magno Cantico: *Jucun*„ *damini*, *gentes*, *cum populo ejus*, *& confortentur ei omnes filii* „ *Dei* (*e*); & beatissimus David: *Ego dixi: dii estis*, *& filii* „ *excelsi omnes* (*f*) . . . Iis autem, qui pietatem colere norunt, „ nominum æquivocatio nihil officit . . . Unus enim natura Deus „ est Pater, & unigenitus ejus Filius, & Sanctus ejus Spiritus. „ Et unus natura Filius Dei Unigenitus, qui homo factus est, „ Deus Verbum Dominus noster Jesus Christus . . . . Accedit, „ quod amabile nomen, quod gerimus, ex Christi nomine sumpsi„ mus: Christiani enim nuncupamur “. Denique sic concludit: „ Eccle-

(a) *Ibid. pag.* 1022. *& seq.*
(b) 1. *ad Corinth.* 8. 6.
(c) *Ad Tit.* 2. 13. (d) *Genes.* 6. 2.
(e) *Deut.* 32. 43. (f) *Psalm.* 81. 6.

„ Ecclesiæ Magistri Unigeniti semper nominibus indifferenter usi „ sunt. Interdum enim glorificant Patrem, & Filium, & Spiri- „ tum Sanctum . . . Interdum vero Patrem cum Christo, & San- „ cto Spiritu. Cæterum quoad sensum attinet, nulla est inter u- „ trumque differentia. Propterea cum Dominus præceperit: Ba- „ ptizate in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, beatissi- „ mus Petrus ab iis, qui prædicationem susceperant, interrogatus, „ quid facere oporteret: *Credite*, inquit, *& baptizetur unusquis- „ que vestrum in nomine Domini nostri Jesu Christi* (*a*): quasi „ nomen hoc vim omnem divini mandati contineret". Quod confirmat testimonio S. Basilii dicentis: „ Christi appellatio totius est „ confessio. Indicat enim Patrem, qui unxit, Filium, qui unctus „ est, & Spiritum Sanctum, quo unctus est. Et qui apud Ni- „ cæam convenere, Patres cum dixissent credendum esse *in unum „ Deum Patrem*, subdiderunt: *Et in unum Dominum Jesum Chri- „ stum Filium Dei unigenitum*; docentes, Dominum Jesum Chri- „ stum ipsum esse unigenitum Filium Dei (*b*)".

THEODOR.

Tomus IV. Eranistes, sive Polymorphus.

Circa annum 447. Theodoretus Opus, cui titulum fecit: Eranistes, sive Polymorphus, elucubravit. Hoc autem illi nomen indidit, quod est emendicator, sive forma multiplex, quia hæreticos illos sibi sumit confutandos, qui a multis impiis hominibus sua prava dogmata emendicantes in unum varium, ac multiforme commentum coadunaverant. Porro hujusmodi sunt Eutychiani, qui nimio erga Nestorianam hæresim odio abrepti in oppositum prolabebantur errorem, non unam solum in Christo admittentes personam, sed & unam tantummodo naturam. Tres complectitur Dialogos hoc Theodoreti Opus; primus *Immutabilis* inscribitur; in eo siquidem ostendit, divinum Verbum carnem assumendo minime fuisse mutatum, sed quod erat, permansisse. Secundus *Inconfusus*, quo evincit, nullam factam fuisse in Incarnatione naturarum confusionem. Tertius *Impatibilis*, ut ostendat, Verbum secundum divinam naturam impatibile, factum esse patibile ex assumpta sibi humanitate. Inter Orthodoxos Patres citat Theophilum Alexandrinum (*c*), & S. Cyrillum (*d*), & Patres Latinos non minus, quam Græcos. In calce vero nonnullas affert demonstrationes per syllogismos, quibus tres positas veritates de Verbi immutabilitate, inconfusione, & impatibilitate veluti compendio complectitur. Nonnullos speciminis gratia delibabimus.

Quod Verbum sit immutabile, sic evincit: „ Unicam Patris, & „ Filii, & Spiritus Sancti substantiam confessi sumus, & hanc im- „ mutabilem esse communi consensu diximus. Si ergo una est Tri- „ nitatis substantia, & hæc immutabilis est, immutabilis utique „ est Unigenitus Filius, qui una est Trinitatis persona. Quod „ si im-

(a) *Actor.* 8. 2. 38.
(b) *Epist.* 146. *pag.* 1032. *& seq.*
(c) *Dialog.* 2. *pag.* 101. (d) *Ibid. pag.* 110.

THEODOR.

„ si immutabilis est, non immutatus videlicet caro factus, sed carne assumpta caro factus dicitur (*a*)".

Quod vero unio naturarum in Christo sit inconfusa, sic ostendit: „ Qui unam divinitatis, & humanitatis naturam post unionem factam esse credunt, naturarum proprietates hac ratione tollunt: „ harum vero ablatio utriusque naturæ est negatio. Non sinit enim „ unitorum confusio, nec carnem carnem intelligere, nec Deum Deum. „ Sin autem manifesta est etiam post unionem unitorum differentia, „ nequaquam facta est confusio, sed inconfusa est unio. Hoc vero „ concesso, non una est natura Christus Dominus, sed unus Filius „ utramque integram conservans (*b*)".

Ut vero ostendat impatibilem Salvatoris divinitatem, sic ratiocinatur: „ *Omnia quæcumque habet Pater, mea sunt*, inquit Christus Dominus (*c*). Omnium autem unum est utique impatibilitas. Si igitur impatibilis est Deus, passus est ut homo. Nam divina natura passionem non recipit (*d*)".

De hæreticarum fabularum Opere.

Efflagitante Sporacio Comite, qui fuit in Concilio Chalcedonensi Præfectus, & qui postea Consulatum obtinuit anno 452. hoc de hæreticis fabulis Opus elucubravit Theodoretus. Clarissimus ille Comes licet Aulæ negotiis occupatus, meditationi tamen divinæ legis, & veritatis Catholicæ indagationi libenter operam navabat. Ideoque concupivit „ scire, quæ utrimque extra viam rectam novatæ a „ quibusdam fuerint semitæ, quarum finis est barathrum perditionis . . . non ut pessime confictas fabulas audiret, sed ut eos, „ qui nesciunt, doceret, tum quæ esset via regia apostolicis propheticisque ornata vestigiis, & finem habens regnum Cælorum". Institutum itaque Sporacis optimum, & laude dignum erat, sed verebatur Theodoretus, ne aliqui eum reprehenderent, si obsequeretur, quasi hæreses tenebris oblivionis jam traditas in memoriæ lucem importune proferret. Accedebat & fabularum multiplex delirium, & projectæ in Deum blasphemiæ magnitudo linguis ad pietatem eruditis non effanda. „ Sed quoniam (scribit) fœdissimorum illorum dogmatum abominatio si patefiat, detestabiliores reddit tum eos, qui stolide crediderunt, tum qui impia „ protulerunt; laborem hunc, emolumentum intuens, libenter suscipiam (*e*)".

Antiquarum hæresum fabulas ex antiquis Doctoribus collegit Theodoretus, videlicet Justino, Irenæo, Clemente Alexandrino, Origene, & Eusebio tum Palæstino, tum Phœnice, & Adamantio, & Rodone, & Tito, & Diodoro, & Georgio, & aliis, qui linguas suas contra falsitates armarunt (*f*). S. vero Epiphanium minime citat, cujus silentii causa ignoratur. Quinque autem in libros

In quinque libros dividitur.

(a) *Pag.* 176. (b) *Pag.* 179.
(c) *Joan.* 16. (d) *Pag.* 183.
(e) *In procem. ad Sporac. pag.* 187.
(f) *Ibid. pag.* 189.

bros totum suum divisit Opus, non temporum spectata ratione, sed materiarum ordine. „ Primus liber fabularum illarum complecti- „ tur narrationem, quarum auctores Creatorem alterum confinxe- „ runt, unumque universorum negantes esse principium, alia, quæ „ non sunt principia, posuerunt, & opinione sola Dominum inter „ homines apparuisse dixerunt “. Hinc exorditur a Simonis Magi hæresi, & in Manetem, sive Manichæum desinit. „ Secundus „ eos ostendit . . . qui unum quidem rerum omnium principium „ confessi sunt: Dominum autem nudum hominem appellarunt; „ cujus hæresis princeps fuit Ebion, usque ad Marcellum autem, „ & Photinum diversas accepit intelligentias. Tertius illos indi- „ cat, qui diversorum dogmatum patres fuere, nimirum Nicolai- „ tæ, Montanistæ, Noetiani, Tesseradecatiti, seu Quartadecimani, „ Novatiani, & Nepotiani “. Hi postremi utpote minus noti „ er- „ rabant in divinis promissionibus, ut qui in terra has futuras cen- „ sebant, & cibum, ac potum, & festa Judaica, & mille anno- „ rum periodum in his insumenda. Nepos hujus erroris primus „ inventor, Episcopus fuit Ægyptiacæ urbis, contra quem scripsit „ Dionysius Alexandrinorum urbis Episcopus, in aliis quidem lau- „ dans, in his vero errorem redarguens . . . Harum autem hære- „ sum pleræque, ut primum natæ sunt, evanuerunt, & non man- „ serunt “. Nam & suo tempore scribebat Theodoretus. „ Quis „ enim ullum nunc novit qui a Nepote, aut a Nicolao, vel a „ Patroclo cognominetur? A Montanistis autem, & Novatianis, „ & Tesseradecatitis liberatus est Oriens . . . immunis ab iisdem „ etiam est Occidens. Parvæ tantum quædam particulæ Asianæ, „ & Ponticæ horum retinent zizania . . . Veritatem autem colen- „ tium plena est terra, & pleni sunt fines orbis terrarum (*a*). „ Vera enim est Dei universorum prædictio per Prophetam dicen- „ tis: *Ecce dedi te in testamentum generis, & lucem gentium,* „ *ut sis salus usque ad extremum terræ* (*b*). Et Beatus quoque „ David dicit: *Dominabitur a mari usque ad mare, & a flumine* „ *usque ad fines orbis terræ* (*c*) “.

THEODOR. Primi, secundi, & tertii libri analysis.

In quarto libro exorditur ab hæresi Ariana, & in Nestorianam, & Eutychianam desinit. De Origenistis, & Pelagianis nihil habet Theodoretus. Profecto non quia postrema hæresis, quæ in Occidente enata erat, ignota esset Orientalibus, qui illius patrocinium S. Cyrillo exprobraverant; sed quia Theodoretus illius sive historiam, sive errores non ita callebat, ut singillatim, & data opera de illa scribere posset.

Libri quarti analysis p. 212.

Post expositas hæreticorum fabulas catholicæ doctrinæ de Fide, & Moribus compendium exhibet in quinto libro, quo præfatos errores confutat. Viginti octo complectitur articulos, quorum hæc summa, & analysis.

Libri quinti analysis p. 249.

De

(a) *Lib. 3. cap. 6.*
(b) *Isai. 49.* (c) *Psalm. 71.*

THEODOR.

Articulus I. De Principio.

De Principio, & Patre sic scribit: „ Unum esse Universorum „ Principium, & vetus, & nova docet Scriptura, Deum universo- „ rum, & Patrem D. N. J. C. ingenitum, ab interitu liberum, „ æternum, infinitum, incircumscriptum, interminatum, incompo- „ situm, incorporeum, invisibilem, simplicem, bonum, justum: „ potentiam, quæ nulla mensura cognoscitur, sed sola divina vo- „ luntate mensuratur .... Nec ante illum, nec post illum alius „ est Deus, sed idem est & primus, & ultimus (*a*) “.

Articul. II. De Filio.

De Filio vero sic docet: „ Quemadmodum in unum Deum cre- „ dere didicimus, sic etiam & in unum Filium ante sæcula geni- „ tum ... qui si creatus est, unigenitus non est: sororem enim „ habet creaturam, & creaturæ partes omnes. Quod si unigeni- „ tus est, ut revera est, nullam habet cum rebus creatis commu- „ nionem ... Omnes Apostoli Filium illum Dei & germanum, „ & verum nominant. Et Pater ipse, bis de Cælo voce emissa, „ generationis veritatem ostendit, dum dixit: *Hic est Filius meus* „ *dilectus, in quo complacui mihi*. Coæqualis est Patri, consub- „ stantialis eidem, & coæternus, & ab eo inseparabilis, sicut Sol „ numquam est sine radio, nec radius a Sole sejungitur .... Sed „ ne Filium audientes in humanas incideremus cogitationes, & cre- „ deremus, eodem, quo nos, modo genitum fuisse Universorum „ opificem, Verbum illum appellavit, sic docens, generationem il- „ lam ab omni passione liberam fuisse. Nec enim mens nostra „ Verbum parturiens opus habet conjunctione fœminæ, vel sectio- „ nem, fluxionemque aliquam patitur ... Quod autem & viribus „ par sit genitori, & in omnibus similis, & æqualis, ex Domini „ doctrina sciri facile potest (*b*). *Omnia*, inquit, *quæcumque* „ *habet Pater, mea sunt. Ego in Patre, & Pater in me est* (*c*), „ *Et qui videt me, videt & Patrem* (*d*) “.

Articul. III. De Spiritu Sancto.

De Spiritu Sancto hæc tenenda proponit: „ Spiritum Sanctum „ ex Deo, & Patre existentiam habere didicimus: existentiæ autem „ modus nec creaturæ est similis: increatus est enim Spiritus San- „ ctus; nec unigenito Filio: nullus enim Sanctorum generationem „ appellavit existentiam Spiritus Divini. Ex Deo quidem ipsum „ esse, & Deum esse docent Sacræ Scripturæ, & quidem ejusdem „ cum Patre, & Filio essentiæ, atque substantiæ .... Quod si „ creatam haberent naturam Filius, aut Spiritus Sanctus, cum „ Deo, qui creavit, numerati non fuissent, cum dictum est: *Eun-* „ *tes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, &* „ *Filii, & Spiritus Sancti* (*e*) ... Clarum est ergo, quod in- „ creatam naturam habent Filius, & Spiritus Sanctus. Ideo enim „ docemur credere in Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum ... „ Primum hominem non solus formavit Pater, sed & Filius, &

„ Spiri-

(a) *Ibid. pag.* 250.
(b) *Ibid. pag.* 25. (c) *Joan.* 16.
(d) *Ibid.* 14. (e) *Matth.* 28.

„ Spiritus Sanctus; dixit enim: *Faciamus hominem ad imaginem*, „ *& similitudinem nostram* (*a*). Jure utique reformationis, no- „ vaeque creationis, quae peragitur, particeps est cum Patre tum „ Filius, tum Spiritus Sanctus; & Trinitatis invocatio unumquem- „ que eorum renovat, qui baptizantur (*b*)". — Theodor.

„ Universorum Deum cum Unigenito, & Sanctissimo Spiritu o- „ mnia condidisse & didicimus, & docemus; & quidem non ex „ subjecta, & praexistente aliqua materia, Deoque coaeterna, sed „ ex non extantibus: *Nam Deus vocat ea, quae non sunt, tam-* „ *quam ea, quae sunt* (*c*). Ac caelum quidem, & terram, & alia „ elementa ex non extantibus fecit; & lucem similiter ex non ex- „ tantibus condidit. *Dixit enim*, inquit, *Deus: fiat lux; & fa-* „ *cta est lux*. Firmamentum autem ex iis, quae jam erant, pro- „ duxit ... Semina etiam, & plantas ex terra germinare jussit „ (*d*) ... Valentinus Æonas plurimos Creatore antiquiores esse „ dicebat, quod ex divinis Eloquiis non didicerat: sed ipsemet fa- „ bulas confinxerat (*e*); cum Isajas Propheta clamet: *Deus sempi-* „ *ternus, qui creavit terminos terrae* (*f*); *& a saeculo non audivi-* „ *mus, neque oculi nostri viderunt Deum praeter te*". — Articul. IV. & V. De Creatione.

„ Angelos vero nec, sicut Graecorum Poetae, & Philosophi, „ Deos facimus ... nec coaeternos Deo universorum esse affirma- „ mus ... qui, quotquot voluit, myriades produxit .... Nemo „ autem eorum, qui libidini sunt dediti, Angelos per ignorantiam „ accuset ad maledicentiae praetextum, id sumens, quod Moyses „ narrat: *Videntes filii Dei filias hominum, quod essent pulchrae*, „ *acceperunt sibi uxores ex ipsis* (*g*). Extremae enim est de- „ mentiae hominum incontinentiam Angelis tribuere (*h*)". Sed de filiis Seth cum filiabus Cain ea Scripturae verba esse intelligenda docet. Angelorum munia sic describit: „ Ministerium autem An- „ gelorum est hymnorum decantatio ... divinis dispensationibus „ ministrant ... Gentium principes sunt, eisque praesunt, & qui- „ busdam singulorum hominum concredita cura est, ne eos laedant, „ damnove afficiant infesti Daemones (*i*)". — Artic. VII. De Angelis.

„ Diabolus, & Daemonum caterva cum aliis incorporeis conditi „ illorum erga Dominum benevolentiam aemulati non sunt, sed „ fastus, & arrogantiae morbo correpti in deterius conversi sunt, & „ a priori sorte exciderunt .... In initio itaque boni facti sunt, „ sed sponte sua propensionem in deterius susceperunt, improbisque „ actionibus malitiam auxerunt (*k*)". — Artic. VIII. De Daemonibus.

„ Hominem formatum dicimus non ab Angelis, sed Dei mani- „ bus ... Manus porro intelligimus creatricem ejus potentiam, „ non — Articul. IX. De Homine.

(a) *Gen.* 1. 26. (b) *Cap.* 3. *pag.* 260.
(c) *Roman.* 4. (d) *Cap.* 5. *pag.* 263.
(e) *Cap.* 6. *pag.* 264. (f) *Isai.* 4.
(g) *Genes.* 6. (h) *Cap.* 7. *pag.* 266.
(i) *Ibid. pag.* 268. (k) *Ibid. pag.* 269. *& seq.*

THEODOR. „ non corporales aliquas partes . . . animam vero una cum corpore „ creari . . . . illam tamen non divinæ substantiæ partem aliquam „ esse dicimus , sed spiritum ratione præditum , & intelligen- „ tem (*a*) “.

Articul. X. De Providentia.

„ Ecclesia non solum Creatorem novit universorum Deum, ve- „ rum etiam curatorem, & administratorem, gubernatoremque uni- „ versorum. Absurdissimum enim foret, creasse quidem illum o- „ mnia dicere . . . eorum autem, quæ fecit, nullam curam gere- „ re, & creaturam negligere (*b*) . . . . In natura vero bona sunt „ prudentia, & temperantia, & justitia, & aliæ virtutes; mala „ autem imprudentia, & intemperantia, & injustitia, & his simi- „ lia . . . Divitiæ vero, & paupertas, & servitus, & dominium, „ & sanitas, & morbus, & cæteræ vitæ humanæ prosperitates, & „ adversitates mediam quamdam sortem., & conditionem obtinent. „ Sunt enim velut instrumenta quædam hominibus proposita, & „ qui ex hominibus optimi sunt, per singula illorum virtutem sibi „ comparant . . . Ex quo facile est intelligere pro usu eorum, qui „ habent. Divitiæ, & paupertas, & servitus, & dominium, at- „ que his similia nunc laudanda sunt, nunc vituperanda . . . Fer- „ tilitas, & sterilitas terræ, secunda navigatio, & naufragium a „ divina pendent providentia. Quare in iis, quæ ab ea fiunt, ac- „ quiescere omnes oportere, nec causas curiosius inquirere; incom- „ prehensibilis enim est divinæ gubernationis ratio (*c*) “.

Articul. XI. De Incarnatione.

Deus Verbum homo factus Christus Jesus nominatus est. „ Ho- „ mo autem factus, ut corruptam a peccato naturam renovaret. „ Propterea totam, quæ peccarat, assumpsit, ut toti mederetur. „ Non enim ad divinitatis integumentum corporis naturam assum- „ psit juxta delirium Arii, & Eunomii. Facile namque ipsi erat „ etiam sine corpore videri, quemadmodum alias visus est ab Abra- „ ham, & Jacob, & aliis Sanctis : sed voluit, ut natura ipsa, „ quæ victa fuerat, debellaret adversarium, & victoriam referret; „ eamque ob causam corpus, & animam ratione præditam assum- „ psit (*d*) . . . Justitiæ namque decretum, cum unus peccasset, „ universum genus morti tradidit: divina autem misericordia, cum „ omnes homines essent sub maledicto, & peccati laqueis essent „ irretiti, per unius justitiam dedit omnibus salutem . . . omnibus „ enim volentibus salus proposita est per fidem (*e*) “. Ante Christi adventum „ nonnulli permanserunt in naturæ finibus, & „ virtutis curam gesserunt, sicut Abel, Enoch, Noe, & Patriar- „ chæ, & Prophetæ . . . & post Salvatoris adventum non omnes „ salutem assequuntur, sed qui credunt, & vitam ex divinis legi- „ bus ducunt (*f*) “.

Quod

(a) *Ibid. pag.* 274. (b) *Ibid. pag.* 275.
(c) *Ibid. pag.* 276. & *seq.*
(d) *Ibid. pag.* 279. (e) *Ibid. pag.* 281.
(f) *Ibid. pag.* 282.

„ Quod homo factus Deus Verbum corpus humanum susceperit ; „ primum quidem fasciæ corporis erant, non divinitatis : fames, „ sitis, defatigatio, & somnus humanum Domini corpus fuisse te- „ stantur (*a*) “.

THEODOR. Artic. XII. De assumpto vero corpore.

„ Quod autem animam quoque rationalem Unigenitus Dei Fi- „ lius homo factus assumpserit, ipse testatur, qui dicebat : *Potesta-* „ *tem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum* „ *sumendi eam* (*b*). Et Evangelista Lucas dicebat : *Jesus autem* „ *proficiebat ætate, & gratia apud Deum, & homines* (*c*) : pro- „ ficit autem ætate quidem corpus ; sapientia vero anima (*d*) “.

Artic. XIII. De assumpta anima.

Utramque in Christo naturam, divinam, & humanam, prædicat Apostolus in principio epistolæ ad Romanos scribens : *Paulus . . . vocatus Apostolus, segregatus in Evangelium Dei, quod promisit per Prophetas suos in scripturis Sanctis de Filio suo nato ex semine David secundum carnem*. „ Cum autem adjecit *secun-* „ *dum carnem*, demonstravit, quod D. N. J. C. Deus etiam erat „ ante sæcula ; filius autem David secundum humanam naturam „ appellatus est . . . Sicut enim perfectus erat Deus, ita & perfe- „ ctus homo perfectam hominibus salutem præbuit (*e*). Quod „ autem, quam suscepit, naturam suscitaverit, testatur ipse Apo- „ stolis, & manus, & pedes ostendens ; testantur & Thomæ digi- „ ti, qui vulnera contrectarunt (*f*). Lex Evangelica, quam Chri- „ stus docuit, perfectior quidem est lege Moysis, sed illi minime „ contraria (*g*). Et quomodo contraria, cum sciamus *& Veteris* „ *& Novi Testamenti auctorem unum esse* (*h*) “ ?

Artic. XIV. De assumpta humana natura.

„ Pro veteris legis aspersionibus sufficit iis, qui credunt, donum „ sanctissimi Baptismi. Non solum enim remissionem donat ve- „ terum peccatorum, sed spem etiam ingerit promissorum bono- „ rum, mortisque Dominicæ, & resurrectionis efficit participes .... „ & filios Dei reddit, nec filios solum, sed & hæredes Dei, & „ cohæredes Christi (*i*) “.

Art. XVIII. De Baptismate.

„ Baptismi Sacramentum peragentes spem resurrectionis accipi- „ mus, & corporum resurrectionem expectamus . . . . immortalis „ enim animæ non fit resurrectio, sed reditus ad corpus “. Deinde recitat, quæ de resurrectione futura docuerunt Prophetæ, & Apostoli, & ratione confirmat dicens : „ Non juste fieret judicium, „ si corpora minime resurgant, & a solis animabus peccatorum „ ratio exigatur. Neque enim justum est, ut anima, quæ cum „ corpore peccavit, peccatorum pœnas sola luat . . . & Sancto- „ rum animæ promissis bonis solæ fruantur, quæ una cum corpo- „ ribus recte se gesserunt (*k*) . . . Ideo credit Ecclesia, corpora „ resur-

Artic. XIX. De Resurrectione.

(a) *Ibid. pag.* 283. (b) *Joan.* 10. 17.
(c) *Luc.* 2. (d) *Cap.* 13. *pag.* 284.
(e) *Ibid. pag.* 286. (f) *Art. XV. pag.* 287.
(g) *Art. XVI. pag.* 289. (h) *Art. XVII. pag.* 290.
(i) *Ibid. pag.* 292. (k) *Art. XX. de Judicio pag.* 296.

THEODOR. „ resurgere, & cum his judicari animas, & eos, qui vitiose vixe„ rint puniri; qui virtutis studiosi fuerint, promissa præmia conse„ qui (*a*). Promisit autem munificus Donator nihil caducum, „ aut temporaneum, sed æternorum bonorum fruitionem. Non enim „ secundum Cerinthi figmentum terrenum erit Dei, & Servatoris „ nostri regnum, non certo tempore circumscriptum. Fingat ille „ sibi mille annorum curriculum, & interituras delicias, & alias „ voluptates . . . Immunis erit a peccato vita promissa, jucunda, „ & tristitiæ expers, danda iis, qui digni erunt, qui luce fruantur „ intellectuali, & divina (*b*) “.

Art. XXIV. De Virginitate.

In præcedentibus libris ostenderat Theodoretus, non minus fidei, quam moribus hæreticos infensos fuisse, quippe qui utrumque corruperant. Operæ itaque pretium duxit post exposita fidei dogmata, & certas proponere Christianæ Ethices regulas in Ecclesia constanter servatas, & in Scripturis traditas. Incipit itaque a Virginitate, de qua scribit, quod „ Deus leges quidem de virgi„ nitate non tulit; rem enim supra naturam esse intellexit: eam „ tamen laudibus prosequens ad certamen eos, qui vellent, horta„ tus est “. Utilitates vero, & lucra virginitatis ostendit dicens: „ Eorum, qui matrimonio juncti sunt, in multa divisa cogitatio „ omnem in res divinas curam vetat. Qui vero solitariam vitam „ elegerunt, omnem in res divinas curam conferunt, dum curis „ liberam sectantur virginitatem (*c*) “. Dein de Matrimonio loquitur, „ quod si malum esset (scribit), minime illud a princi„ pio constituisset Dominus Deus, nec liberorum susceptionem be„ nedictionem vocasset (*d*). Propterea enim veteres plures habere „ uxores non vetuit, ut genus humanum augeretur. Eaque de „ causa viri religiosi, cum plurium filiorum patres esse cuperent, „ pluribus uxoribus jungebantur, & non ut voluptati servirent . . . „ Ipse autem Dominus non solum non prohibuit Matrimonium, „ sed & in nuptiis convivatus est, & vinum sine cultura produ„ ctum nuptiis donum dedit, & Apostolorum primus ex conjuga„ torum classe vocatus est . . . Divinus vero Apostolus Philemo„ ni, & Appiæ matrimonii lege conjunctis integram scripsit epi„ stolam . . . Si autem idem Apostolus donum Dei vocavit Ma„ trimonium cum temperantia conjunctum, clarum est, iniquas es„ se infandorum hæreticorum leges latas adversus Matrimonium “. Indissolubile est Matrimonium (*e*). Dum vero Apostolus viduam, quæ se continet, „ beatiorem dicit, docet, quod non omni beati„ tudine sit destituta, quæ secundum etiam matrimonium ample„ ctitur . . . & illud adstruens, secundas nuptias non esse rejicien„ das

(a) *Ibid. pag.* 297.
(b) *Art. XXI. de Promissionibus pag.* 297.
(c) *Ibid. pag.* 305. *& seq.*
(d) *Art. XXV. de Matrimonio pag.* 307.
(e) *Ibid. pag.* 309.

,, das ostendit (*a*) "; quod & aliis confirmat Apostoli testimoniis adversus Novati (quem ille Navatum appellat) erroneam doctrinam. Fornicationem vero, & alias illicitas conjunctiones lege Dei vetitas pluribus in medium adductis Scripturæ testimoniis evincit (*b*). THEODOR.

,, Divina Scriptura non solum iniquitates prohibet, sed iis etiam ,, medetur, qui vulnus acceperunt per Pœnitentiæ remedium ". Adversus Novatum, qui docebat, post Baptismum non oportere medicinam peccantibus præbere, ostendit, ,, imo ad hoc institutam ,, esse pœnitentiam exemplo illius, qui Corinthi fornicatus est; ,, qui non solum divinis Sacramentis dignus est habitus, sed docendi quoque gratiam assequutus est (*c*); & Petri, qui Magistrum ,, negaverat, & suis lacrymis curatus est ". Hinc sic concludit: ,, Itaque medicabilia sunt etiam, quæ post baptismum fiunt, vulnera: medicabilia autem, non ut olim, per solam fidem data ,, remissione; sed per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & jejunia, & orationem, & laborem commissi peccati magnitudini ,, respondentia. Qui autem sic affecti non sunt, eos nec desperare ,, docti sumus, nec illis facile sacra impertiri: *Nolite*, inquit, ,, *sanctum dare canibus*; *nec projiciatis margaritas ante porcos* ,, (*d*). Has Ecclesia de pœnitentia leges habet (*e*) ". Quoad vero abstinentiam hæc docet; ,, Abstinentiam a vino, esuque carnium, & reliquam continentiam, non similiter ac hæretici, ,, amplectitur. Hi enim ab his tamquam abominandis abstinere ,, præcipiunt. Ecclesia vero de his nihil præcipit, neque horum ,, usum interdicit . . . Monastica porro vita necessitate non suscipitur, sed libera voluntate (*f*) ". Sic denique toti & libro, & operi coronidem imponit scribens: ,, Rogo eos, qui in hanc ,, scriptionem inciderint, ut cum unoquoque pravorum illorum ,, dogmatum divina conferant, & ex collatione cognoscant, quantum sit discrimen inter veritatem, & mendacium . . . Illa diabolicæ malignitatis sunt inventa; hæc vero divini Spiritus decreta, quæ assidue sectari oportet, & immobilem horum regulam ,, servare, ad eamque animam suam dirigere (*g*) ".

Articul. XXVIII. De Pœnitentia.

Decem habemus Theodoreti de Providentia Sermones, qui profecto inter antiquitatis monumenta hac de re optima sunt. Elucet in illis Theodoreti ingenium, sublimitas cogitationum, puritas in locutione, in dicendo elegantia, & claritas, vigor, & vis in ratiocinando, & summus veritatis amor se clarissime prodit. De se ipso autem sic scribit: ,, Decet omnino, ut nos, qui & hoc ipsum, quod sumus, & quod incolumes, & salvi sumus, ab ipso ,, accepimus, impiis, quæ illum conviciari audent, linguis nostras Sermones.

 ,, oppo-

(a) *Art. XXVI. pag.* 310.
(b) *Art. XXVII. pag.* 311. (c) *Ibid. pag.* 314.
(d) *Matth.* 7. (e) *Ibid. pag.* 316.
(f) *Art. XXIX. pag.* 316. (g) *Ibidem*.

THEODOR. „ opponamus, & piis rationibus impios illorum sermones retundamus: non quidem ut tamquam indigo nostri opem feramus .... „ sed ut nostram erga hunc testemur benevolentiam . . . sicut pro „ parentibus liberos, pro dominis servos, pro civitatibus cives, „ pro regibus satellites, regii corporis custodes natura pugnare „ jubet (*a*) “. Omnes per doxologiam, sive glorificationem finiuntur: Unde inferre licet, publice in Ecclesia pronunciatos; at ubi, & quando, ignoratur. Nonnulli Antiochiæ habitos censent. Illud omnino certum est, summa arte elaboratos; proinde non sine industria, & otio. Ab ipso Theodoreto citantur in suis in Psalmos Commentariis (*b*).

Sermonum Analysis. In primo itaque Sermone illos interrogat, qui nullam eorum, quæ in rerum natura sunt, Deum curam gerere blasphemabant: „ quam ob causam providentiæ verbo contradicant? . . . Unde ad „ hanc impietatem tanto proruistis impetu? Quid ex omnibus, „ quæ oculis exposita sunt, inornatum, indecorum vobis videtur? ... Quid inordinatum cernitis? Quænam totius creaturæ pars „ justa proportione caret “? Cum vero nihil sibi respondere posse supponat, hujus providentiæ luculentissima argumenta in omnibus creaturis elucere ostendit. Et a Cælo incipiens sic argumentatur: „ Cum tantus circa Cælum ignis volvatur, Solis nimirum, Lunæ, & reliquorum Syderum, tot tamen annorum evolutionibus „ nec liquefactum funditur, nec arescit, nec incensum ardet. Hasce enim vires ignis natura a Creatore acceptas habet. Aurum „ quippe, & argentum, ferrum item, æs, plumbum, & stamnum, „ ceram, & picem, & quæcumque alia ... liquefacta dissolvit .... „ Atqui nihil horum Cæli natura patitur. Nec enim quod in eo „ glaciale apparet, liquefactum funditur, cum tanta adsit illi ignis „ copia, nec eadem illius levitati nocet, nec sphæricam, quæ in „ eo est, figuram asperam, vel inæqualem reddit; sed quem primo situm accepit, eumdem in finem usque conservat “. Urget idem argumentum ex Sole, cæterisque Syderibus, „ quæ Cælo terga vertisse, & radios suos deorsum emittere videmus; quod tamen est contra ignis naturam, qui semper sursum tendit. Creatori enim serviunt, & natura illis est, quem Creator constituit, „ terminus . . . . Et hic quoque Dei providentiam inspice, quæ „ Soli, & Lunæ . . . non modo hominibus faces præferre jubet, „ sed & temporis divisiones, & spatia absolvere. Exoriens enim „ Sol diei auctor est: occidens vero . . . nocti cedit, cujus caliginosas tenebras Lunæ, & Stellarum beneficio ille rerum Conditor „ temperat (*c*) “.

Sermo secundus. Idem prosequitur argumentum in secundo Sermone ex aere, terra, mari, fluviis, & fontibus: „ In his enim magnum se argu- „ men-

---

(a) *Serm.* 1. *pag.* 320.
(b) *In Psal. pag.* 47. 447. 457. 458.
(c) *Serm.* 1. *pag.* 324. & *seq.*

THEODOR.

„ mentum profert, unde Dei providentiam evidenter conspicere li-
„ ceat. . . Quomodo enim in consortium, & habitum unum rede-
„ git, quæ inter se diversa sunt; nempe aquam, & ignem, diem,
„ & noctem; unamque ex omnibus istis harmoniam, & consonan-
„ tiam constituit, qui nihil providere potest (*a*)? . . . . Dic ergo
„ quisnam sit, qui hæc tam pulchre disposuit, qui tantis faculta-
„ tibus hæc instruxit, ut tot annorum evolutiones thesaurum hunc
„ non potuerint consumere (*b*)? . . . Considera simul & fluctuum
„ saltus, & providentiæ frænum, quod illis injectum est, inspice;
„ quo nimirum impediti terras inundare nequeunt: sed dum contra
„ arenam impetuose feruntur, positos sibi terminos pertimescunt
„ (*c*) . . . Quis fluviorum fluenta urget? Quis fontium venas im-
„ pellit? Ecce enim ut illi hic quidem in summis scateant mon-
„ tium verticibus, & aquas deorsum ex superioribus effundant . . .
„ Ne enim hanc aquarum naturam esse arbitreris, ut sua sponte
„ in altum tendat . . . sed aqua Dei verbo obediens summos mon-
„ tium vertices facile occupat (*d*)".

Sermo tertius, & quartus.

Humani quoque corporis fabrica, ejusque partes tam apte, tam concinne, tam opportune dispositæ divinam providentiam & ostendunt simul, & extollunt, ut in toto Sermone tertio disertissime evincit Theodoretus; quibus jungit & mentem, qua Deus hominem instruxit, & quæ plurium scientiarum, & artium est inventrix. Ex dominio quoque homini concesso in bruta, & belluas argumentum promit Theodoretus adstruendæ, confirmandæque providentiæ, animadvertens, nullum esse ex animalibus, quod vel homini subditum non sit, vel ex quo aliquam non valeat capessere utilitatem . . . . Nec minus in eo elucet Dei erga homines providentia, quod aliquibus animalibus eas tribuerit dotes, quibus carent homines; ut dum apes ex floribus mella conficiunt: Nam „ hæ copiosum il-

Sermo quintus.

„ lum, ingeniosumque laborem, & optimum, atque dulcissimum
„ laboris fructum humano generi fruendum offerunt. Et tamquam
„ vernæ quidam, quos justi dominii lex cogit, domibus suis ex-
„ eunt; quod illorum operi conducit, legunt; oneribus ferendis sa-
„ tagunt, studiose ædificant, & mellis, quod intulerunt, liquori
„ tamquam thesauro signacula, & sigilla imprimunt, illumque ho-
„ minibus ceu Regibus suis instar tributi, & vectigalis assidue per-
„ solvunt (*e*) . . . Taurum & cornibus armatum sub jugum mit-
„ tit homo, servire cogit, & assiduis laboribus subjectum exer-
„ cet . . . Asinum, mulum, & Camelum onera vehere jubet, &
„ singuli horum cum jubentur, subsidendo sese submittunt, rursum
„ vero jussi, & onerati surgunt. Præterea cum longis itineribus
„ fessi sunt, lædentes se patiuntur, gravantibus se parent, oblatum
„ pabulum accipiunt, & fame afflicti possessoribus suis non occla-

 „ mant.

(a) *Ibid. pag.* 337. (b) *Ibid. pag.* 336.
(c) *Ibid. pag.* 338. (d) *Ibid. pag.* 336.
(e) *Ibid. pag.* 366.

THEODOR. „ mant. Qui enim servitutis limites, vel leges sint, natura magistra didicerunt (*a*) . . . Quid quod? Aliqua etiam in escam „ tibi proposita sunt, mensamque tibi lautiorem reddunt, & omnivariam voluptatem exhibent, dum variis eduliis materiam suppeditant (*b*) . . . Neque hic aliquis ex eorum, qui contradicere „ solent, numero rabiosos canes, & calcitrantes Asinos, & mordaces Camelos, Taurosque cornupetas in medium productos objiciat . . . Hoc enim argumento intelligere licet, quod horum „ natura non voluntarie per se, sed Creatoris sui nutibus obtemperans tibi subjacet (*c*) ".

Sermo sextus. In sexto Sermone decantatam proponit providentiam negantium objectionem, scribens: „ Cur, inquiunt, qui hominum pessimi „ sunt, divitiis abundant, & infinitis undique bonis affluunt? . . . „ virtutis autem cultores in paupertate vivunt, ærumnis misere „ jactantur, necessariorum quoque penuria laborant "? Quibus sic reponit Theodoretus; „ Felicitatis finem divitias non constituere. „ Quo pacto enim felicitatis auctor erit, qui iniquitatis auctor „ est (*d*)? . . . Divitiæ rursum, quæ multas turbas, & curas habent omnivarias, tum infinitas quoque fluctuum, & tempestatum species virtutis insidiatrices, & hostes sunt, non auxiliares „ socii (*e*) . . . Paupertas e contra philosophiæ adjutrix est, & „ non aliter quisquam perfectam virtutem consequi potest (*f*) . . . „ Ingratus itaque ille est, qui paupertatem justis conjunctam, & „ virtutis instrumentum vituperat (*g*) . . . Quid paupertatem accusas, per quam virtutis cursus facilis, & aspera illa, ac ardua „ via per eam incedentibus expedita, & plana redditur? Hoc autem dicimus, non quod divitias accusemus . . . (si enim divitiæ „ per se malæ dicantur, blasphemia in illarum largitorem redundat); sed divitias simul, & paupertatem tamquam materiam „ quamdam, vel instrumenta a rerum opifice proposita esse dicimus; homines vero ceu fabros quosdam per hæc aut virtutis simulacrum effingere, aut malitiæ statum exsculpere . . . Nam & „ ferrum hominibus datum est, ut ædificantibus agricolis, & navium fabricatoribus cooperetur, & alias humanæ vitæ artes adjuvet. Quod si homines mutuas etiam cædes per illud perpetrent, non tamen idcirco ferrum culpamus; sed eorum, qui hoc „ abutuntur, detestamur malitiam (*h*) ". Quid quod, si ipsa paupertas non providentiam tollit, sed adstruit? „ cum divitias „ quoque hujus opera cum primis indigere, eosque, qui divitiis „ affluunt, sine hac vivere non posse videamus: quin illum admirare, qui hæc tam sapienter instituit, ... qui his quidem „ pecunias, illis vero artes largitur, & mutuam concordiam, a-

„ mici-

(a) *Ibid. pag.* 370. (b) *Ibid. pag.* 373.
(c) *Ibid. pag.* 374. (d) *Ibid. pag.* 378.
(e) *Ibid. pag.* 379. (f) *Ibid. pag.* 380.
(g) *Ibid. pag.* 381. (h) *Ibid. pag.* 382.

„ micitiamque hac necessitate conciliat (*a*) “. Quod amplius confirmat, & corroborat in sequenti Sermone, servitutem, & herilem conditionem ostendens ad humanam vitam esse utiliter constitutas a providentia. Licet enim Deus ab initio omnes homines æqualis conditionis esse voluerit, solumque per peccatum humanum genus in servitutem, & herilem conditionem divisum fuerit; nihilotamen secius hac etiam divisione utitur ad rectum inducendum, conservandumque ordinem: quod hac pulcherrima illustrat similitudine Theodoretus: „ Cum vides navim secundis ventorum flatibus ferri, & vectores tutos, & quietos sedere, nautas vero vel remos agere, vel rudentes trahere, vel aliud quidpiam eorum, quæ jubentur, exequi; proræ autem rectorem scopulos, syrtes, & saxa observare & gubernatori ostendere, hunc vero omnibus præesse, & clavo navem dirigere, ordinem hunc admiraris, nec jubes, ut omnes gubernatores sint, nec omnibus navis imperium decernis: & dum hos quidem quietos sedere, illos vero jussa exequi, aliumque, quod videt, prædicere, illum vero omnibus simul præesse cernis; nequaquam hoc indignius fers, nec hanc navis gubernationem ceu inordinatam vituperas, quin potius talem ordinem summa admiratione prosequeris . . . Quid igitur navim, quæ hoc modo gubernatur, collaudas: Mundum vero, cui eadem omnino administrationis ratio contingit, vituperas? . . . . . Sed durum (subdit Theodoretus), & amarum est, inquiunt, servire, & assiduis vexari laboribus, & pro dominorum arbitrio demensum suum accipere. Cæterum, si cum veritatis studio . . . inspicere velis . . . herilem potestatem tristitiæ, servilem autem conditionem utilitatis plenam invenies (*b*) . . . Servus in solo prostratus dormit, sed nulla cura somnum excutit: unde & Sapiens pronunciavit: *Dulcis somnus servi* (*c*). Unica veste corpus tegit, sed corporis viribus herum longe superat. Furfuraceo pane utens . . . sed suavius multo, quam ipse Dominus, epulatur (*d*) . . . Vide etiam, quod plures domini non minus, quam servi laborent . . . Noe illum beatum spectato, qui & ligna secat, & eadem ascia dolat, & ad angulos rectos exæquat . . . , clavis compages constringit . . . Præterea magnum Abrahamum Patriarcham octodecim & tercentorum servorum dominum, ipsum opus aggredi, hospitibus ministrare, armenta visere, vitulum attrahere, uxorem ad panes conficiendos urgere . . . . Similiter Rebecca . . . manum operi admovet, & aquam gestat, & ad fontem extra urbem excurrit, nec aquam modo domum refert, sed & hospitibus officium præstat . . . Magnus Jacob viginti annos transegit, quibus & greges pavit, æstusque molestias

THEODOR. Sermo septimus.

 „ susti-

(a) *Ibid. pag.* 389.
(b) *Ibid. pag.* 399.
(c) *Ecclesf.* 5. 11.
(d) *Serm. 7. pag.* 400.

THEODOR.

„ ſuſtinuit; qui ſomno ſaturari ne noctu quidem potuit . . . . Ad „ hæc diviniſſimus Moyſes quadraginta vitæ annos hoc modo ab„ ſolvit (*a*) “.

Sermo octavus pag. 405.

Urget in octavo Sermone Theodoretus, ſervitutem etiam pravis dominis præſtitam nihil lædere. Quod oſtendit exemplo Eliezer famuli Abraham, qui tam ſtrenuam navavit operam in quærenda uxore filio Domini ſui; cujus virtutes poſtquam fuſe expoſuit Theodoretus, pietatem, ſagacitatem, ſollicitudinem, diſcretionem, prudentiam, promptitudinem, ſic concludit: „ Quid hunc, dic mi„ hi, læſit ſervitus? An quiſquam eorum, qui in libertate enutri„ ti ſunt, & liberis parentibus gloriantur, tam eximium de ſe „ virtutis ſpecimen præbuit? Quem hic ſummæ pietatis gradum „ non attingit (*b*) “? Addit quoque exemplum Joſeph, „ qui in „ Ægyptum ductus, & venditus Putiphari, qui regiorum coquo„ rum princeps erat . . . patriam libertatem cuſtodivit . . . . nec „ morum mutatio calamitates has ſecuta eſt: ſed pietatem cuſto„ diens ab heræ amplexibus, & ſollicitationibus ſe ſubtraxit, & ca„ ſtitatem ſervavit; ac in carcerem detruſo vincula nec animi ro„ bur abſtulerunt, nec fortitudinem ejus in timiditatem converte„ runt, ſed tanta in adverſis quoque lætitia, & conſolatione in„ ſtructus fuit, ut aliis vinctis ſolatio eſſet, & ſi quando animo „ dolentes videbat, conſolatione ſedula recrearet (*c*) “. Plura alia congerit Theodoretus exempla oſtendentia, tribulationes & ærumnas, quibus aliquando ſubjacent & juſti, ipſis non perniciem afferre, & damnum, ſed uberes fructus utilitatis. Eapropter quibus in his „ inordinata, & confuſa rerum conditio, & perverſio vide„ tur, eſt, quia ignorant divinæ gubernationis abyſſum (*d*) “.

Sermo nonus pag. 424.

Quamquam vero juſtitiæ fructus in præſenti vita nullus appareat, oſtendit tamen Theodoretus in Sermone nono, non defuturum in altera vita. Nam „ cum juſtus ſit univerſalis ille omnium „ Conditor, & Judex, ſuis athletis juſta haud dubie munera re„ tribuet, nec juſtitiam labefactari ſinet juſti trutina . . . . Ex eo „ enim, quod nonnullos gloria honoravit, virtuti coronas ſuas eſſe „ repoſitas manifeſtare voluit; quod vero non omnes in hac vita „ claros, & inſignes reddit, futuram illam vitam detegit . . . ſic„ ut nec malos omnes ſimiliter punit, ſed alios quidem ſupplicio „ tradit, & judicii juſtitiam oſtendens, & horum pœnis reliquos „ terrens ad pœnitentiam invitat. Dum vero non omnes, qui „ mala operantur, perdit, rurſum futuram vitam nobis demon„ ſtrat. Quod ſi nulla eſt alia poſt obitum . . . . vita, injuriam „ certe patiuntur, quotquot hic pœnas dant, cum alii pœnas effu„ giant; injuriam quoque palam patiuntur, quotquot ſapientiæ „ am-

(a) *Ibid. pag.* 401. *& ſeq.*
(b) *Ibid. pag.* 409.
(c) *Ibid. pag.* 414.
(d) *Ibid. pag.* 422.

THEODOR.

„ amplectuntur studium, & nullam inde vel utilitatem, vel honorem auferunt, cum alii similiter bene, & recte multa facientes vitam cum gloria transigant. Cæterum justitiæ fontem injustum nominare, omnem blasphemiam superat, omne insaniæ genus excedit (*a*)". Et hic occasionem nactus de Resurrectione mortuorum latius pertractat Theodoretus, eamque adstruit non solum testimoniis Scripturæ ex duabus ad Corinthios D. Pauli Epistolis, sed & confirmat pluribus exemplis; natura enim resurrectionem docet, & prædicat, ut videre est in seminibus, quæ in terra projecta corrumpuntur, & pereunt, ut in novam messem resurgant (*b*).

Sermo decimus pag. 438.

In postremo denique Sermone providentiæ universalitatem demonstrat, quæ non Judæorum modo, & bonorum, sed etiam omnium hominum etiam malorum curam perpetuo gessit. Immo non „ simpliciter homines curat, sed amans simul horum curam gerit. Tanta autem est amoris hujus excellentia, ut Filium suum unigenitum, consubstantialem .... Medicum, & Salvatorem nostrum decerneret, & per hunc adoptionis in filios Dei donum nobis donaret ... qui nostri curationem non Angelis mandavit, sed ipse hominum medelam in se transtulit (*c*)". Hic autem omnia narrat, & recenset, quæ Christus pro nobis passus est ab ortu suo in terris usque ad mortem, ostendens, omnia, quæ Christus pro nobis passus est, Prophetas esse vaticinatos.

Sermones de Græcarum affectionum curatione. Pag. 461.

Non minus præcedentibus disertissimi sunt hi, qui sequuntur, de Græcarum, seu Gentilium affectionum curatione Sermones: sed prolixior est stylus: arbitratus siquidem est Theodoretus, Platonis, aliorumque Philosophorum, quorum identidem verba referibere cogebatur, stylum imitari. Hujusce scriptionis illud in causa fuit, ut ipse narrat, quod „ nonnulli eorum, qui suspensi Gentilium Græcorum fabulas admirantur, mecum familiarius congressi tum Christianam fidem deriderent asserentes, nihil nos aliud, quam meram crudelitatem insinuare illis, quos divinis rebus imbuendos accepimus, tum vero & Apostolos inscitiæ accusarent, barbaros propterea nuncupantes, quod omni careant elocutionis ornatu". Retuderat has criminationes viva voce Theodoretus. Verum, ut ipse subdit, „ nefarium, & impium esse duxit, si simplicioris notæ homines ab illorum versutiis falli pateretur, neque litteris aliquid traderet, quod illarum accusationum vanitatem redarguat (*d*) ... Ego itaque tum ut ægrotos curarem, tum ut bene valentium utilitati consulerem, operam hanc suscepi". Est autem libri titulus, *Curatio Græcarum affectionum*, vel *Evangelicæ veritatis ex Gentilium Philosophia cognitio*. Duodecim Sermones

(a) *Ibid. pag.* 431.
(b) *Ibid. pag.* 436.
(c) *Ibid. pag.* 443. *& seq.*
(d) *In Prolog. pag.* 461.

mones complectitur Tractatus iste, cui præmittitur Præfatio, THEODOR. quæ totius Tractationis synopsim exhibet. Non legitur in fine Sermonum consueta doxologia, seu glorificatio; unde conjicere pronum, nunquam ab eo in Ecclesia recitatos fuisse.

Sermo primus pag. 464. Primus Sermo de fide inscribitur, Apostolorumque inscitia; & ostendit Theodoretus, si verum etiam foret, Apostolos sermone fuisse imperitos, & barbare scripsisse, hoc tamen fidei veritati minime officere. Nam „ illustrissimi Græcorum Philosophi ad barbaras perrexere nationes, ut ab his ea perciperent, quæ melius „ ab eis, quam a se ipsis sciri arbitrabantur. Ajunt enim, eos in „ Ægypto non solum ab Ægyptiis, sed & ab Hebræis quoque „ Dei veri doctrinam percepisse (*a*) . . . Ferunt autem, Pythagoram & circumcisionem quoque subiisse, acceptam ab Ægyptiis, qui ab Hebræis hanc legem acceperunt . . . . Præterea, „ spretis bellorum, mariumque maximorum discriminibus, barbaras nationes adierunt, & quæ sibi usui fore videbant, undequaque collegerunt . . Et Socrates Philosophorum præstantissimus „ ne a mulieribus quidem, quo ad rem foret, doceri Philosopho „ indignum esse duxit, nec erubuit Diotimam appellare Magistram, & Aspasiam perdiu frequentavit (*b*) “. Ab Ægyptiis, Chaldæis, & Arabibus Græci Geometriam, Astronomiam, & Astrorum scientiam didicere . . . „ & Reheæ, sive Cybelis festas „ solemnitates, quæque in iis peraguntur, e terra Phrygia sibi „ Græci advexere. Cum itaque artes, & disciplinas, & colendorum Dæmonum cæremonias, & prima literarum elementa Græci a Barbaris edocti sint, & his præceptoribus gloriantur: quid „ ita vos . . . renuitis ab illis hominibus veritatem perdiscere, „ qui sapientiam a Deo sibi traditam acceperunt? Quod si propterea illis aures accommodare non vultis, quod e terra Græciæ „ orti non fuerint, reliquum est, ut nec Thaletem Sapientem, „ nec Pythagoram dicere Philosophum debeatis, nec ejus Magistrum Pherecydem. Hic enim Syrus natione fuit: Pythagoram „ vero Tyrrhenum tradunt fuisse: Thaletem quoque Milesium dicunt (*c*) . . . Magna quoque apud vos in gloria sunt Brachmanes, qui tamen Indi sunt, non Græci “. Deinde vero ostendit, „ eos graviter errare, qui compositæ orationis ornatum veritati „ præferunt. Nam Socrates, qui primos ætatis suæ annos cædendis „ lapidibus impendit, &, ut narrat Porphyrius, ingenio hebeti, „ atque inepto fuit, ineruditus insuper, & plane indoctus (*d*) . . . „ hic tamen homo tam indocto, ineruditoque sermone non modo „ supra alios Philosophos, sed supra Platonem ipsum, qui compositæ orationis ornatu Græcos omnes superavit, honore di-

„ gnissi-

(a) *Ibid. pag.* 466.
(b) *Ibid. pag.* 467.
(c) *Ibid. pag.* 468.
(d) *Ibid. pag.* 469.

THEODOR.

„ gnissimus habebatur (*a*) . . . . Norant igitur exactissime, qui „ apud vos in omni genere doctrinæ abundarunt, quanto verbis, „ ac nominibus pluris facienda sit veritas, & quod nullum ea de- „ trimentum accipiat ab hujusmodi ornatus inscitia . . . . Hinc „ Porphyrius, qui contra nos acerrimum bellum suscepit, ubi „ agit de Philosophia, sic ait (*b*): *Vitæ, quæ ad Deos ducit* . . . „ *calles plurimos barbari invenerunt: Græci vero ab ea longius ab-* „ *errarunt*. Quod si etiam homo nobis omnium infensissimus Græ- „ cos suos accusat ut errori mancipatos . . . . cur vestro non au- „ scultatis Philosopho (*c*) "? Progreditur postea ad refutandam Græcorum calumniam, quod Christiani „ nullam demonstrationem „ proferentes solam fidem, ac credulitatem insinuent illis, quos „ docent ", scribens: „ His verissimis rebus sermones nostros tam- „ quam testibus certissimis comprobamus (*d*) . . . Indiget enim „ fides cognitione, sicut & cognitio fide indiget. Neque enim esse „ potest fides sine cognitione; neque cognitio sine fide. Cognitio- „ nem quidem fides præcedit: subsequitur autem fidem cognitio . . . „ prius enim credere oportet, tum addiscere (*e*). . . Ad hæc au- „ tem illud quoque animo reputemus, omnes homines, qui artem „ quampiam discere cupiant, ad eos se conferre, qui docere nove- „ rint, & quæ ab illis docentur, amplecti (*f*) . . . Fides itaque „ communis quædam res est omnibus, & qui videlicet artem quam- „ piam discere cupiunt, & qui navigant, & qui agriculturæ in- „ serviunt, medicisque adhærent . . . . Est itaque fides primaria „ quædam basis, & crepido scientiæ . . . Insulsum est igitur, nec „ ferendum cæterarum quidem cunctarum artium Magistris conve- „ nire scientiam, fidemque discentibus; at in sola rerum divina- „ rum doctrina inversum ordinem esse, ut ante fidem scientia exi- „ gatur. In iis enim rebus, quæ videri non possunt, fidei oculis „ maxime indigemus . . . Idcirco & nos accedentibus, & divina „ discere cupientibus præ cæteris cunctis doctrinam fidei proponi- „ mus; tum vero, ut imbuti fide, initiatique fuerint, aperimus, „ quarum rerum ænigmata præcesserint. Et apud vos similiter „ hierophantica mysteria non omnes norunt (*g*): sed populi mul- „ titudo videt dumtaxat ea, quæ fiunt . . . solum autem Hiero- „ phanta rationem tenet omnium, quæ ibi fiunt (*h*). Popello „ hæc non sunt aperienda, dicente Orpheo: *Dignis sancta loquor,* „ *procul hinc arcete prophanos*; & similiter Pindarus præbuit: „ *antiquam orationem cunctis aperire*; & Plato docuit: *Cave ne* „ *quando hæc excidant ad homines ineruditos*. Dux itaque sit fi- „ des, & scientia subsequatur (*i*) ".

In se-

(a) *Ibid. pag.* 470. (b) *Ibid. pag.* 471.
(c) *Ibid. pag.* 272. (d) *Ibid. pag.* 274.
(e) *Ibid. pag.* 279. (f) *Ibid. pag.* 280.
(g) *Ibid. pag.* 281. (h) *Ibid. pag.* 482.
(i) *Ibid. pag.* 483.

THEODOR.

Sermo secundus pag. 485.

In secundo Sermone, qui *de Principio Universi* inscribitur, quid hac de re senserint antiquiores Philosophi, narrat, & exponit: „ Thales antiquissimus eorum, qui septem Sapientes vocantur, arbitratus est, rerum principium aquam esse . . . . Anaximander „ vero, qui illi successit, principium esse dixit Infinitum. Anaximenes, & Diogenes concordi sententia dixerunt, principium „ esse aerem (*a*). . . Ex qua opinionum varietate factum est, ut „ Socrates eos semper incesseret, propterea quod ea se scire affirmarent, ad quæ hominis ingenium pervenire non potest (*b*) ". Quos & Plato quoque ea de causa illos vituperavit, cujus verba recitat Theodoretus. Deinde ostendit, quanto veritati proximiora sint, atque omnino consona ea, quæ de universi principio narrat in suis libris Moyses, ex quibus meliora, quæ Plato, Anaxagoras, Pythagoras protulere, hauserunt, qui, „ quamquam optima, „ & verissima ab Ægyptiis didicissent, qui ab Hebræis documenta „ quædam veritatis acceperant, plures tamen errores Theologiæ „ admiscuere. Et Plato, postquam plura prorsus admiratione digna de ente Deo in Timæo conscripsit, alia tamen addidit, quæ „ græcanicæ fabulationis sunt fœtus, & germina ". Addit, „ Platonem unum verum Deum agnovisse; &, si quando multorum „ Deorum mentionem fecit, coactum illum id fecisse in gratiam „ decepti populi Atheniensis. Etenim, si nec sic quidem Socrates „ cicutæ poculum effugit, quid mali passurus non fuisset, si numerosum Deorum examen manifeste abnegasset (*c*) "? Postea ad Mosaicæ narrationi fidem adstruendam scribit: „ An nescitis, Moysem Judæorum Legislatorem vestris omnibus Historicis, Poetis, „ Philosophis esse antiquiorem? . . . Vobis Porphyrius testis esto, „ qui propugnator factus impietatis, effrænem linguam contra „ Deum universorum commovit ". Hic aperte testatur, „ Moysem longe fuisse Trojanis temporibus antiquiorem: Homerum „ vero, & Hesiodum multo post Trojana tempora floruisse... Orpheus porro Poetarum primus generatione una præcessit Trojana „ tempora (*d*) ". Hic vero Moysis Theologiam exponit, „ qui „ clarissima Dei voce perdoctus, unum Deum colendum præcepit . . . & multorum, qui & haberentur, & vocarentur Dii, „ venerationem prohibuit . . . (*e*). Nec Trinitatem siluit . . . . „ Licet enim nequaquam illis manifeste omnia Trinitatis mysteria „ tradiderit, ne multitudinem Deorum adstruendi occasionem sumerent . . . Trinitatis tamen dogmata non penitus occultavit, perfectioris Theologiæ quasi semina quædam dispergens (*f*) "; quod pluribus productis Veteris Testamenti testimoniis confirmat. Postea subdit: „ Eamdem vero nobis doctrinam tradunt Isajas Propheta, & Jeremias, & Ezechiel . . . uniuscujusque Prophetarum „ cho-

(a) *Ibid. pag.* 486. (b) *Ibid. pag.* 487.
(c) *Ibid. pag.* 492. (d) *Ibid. pag.* 494.
(e) *Ibid. pag.* 495. (f) *Ibid. pag.* 496.

„ chorus . . . Plato vero, & qui eum fecuti funt, ab his divinis „ viris Theologiæ quæpiam compilarunt, fuifque libris inferuerunt (*a*) . . . Plotinus certe, qui Platonis æmulatur Philofophiam, de tribus principalibus Perfonis librum confcripfit . . . . „ & Platonis mentem explicans, tria illum dixiffe ait, quæ fint „ fupertemporalia, & æterna; *Bonum*, *Mentem*, *& Univerfi animam:* ac *Bonum* quidem vocare, quem nos dicimus *Patrem*, „ *Mentem* vero, quem nos *Filium*, *Verbumque* appellamus: Potentiam autem, quæ animat omnia, & vivificat, *Univerfi Animam* vocat; eam ipfam videlicet, quam *Spiritum Sanctum* Literæ „ facræ nominant . . . Sacra Evangelia exaudiviffe Amelium, qui „ Porphyrii Scholæ præfuit, patet manifefte, quippe qui admiratur „ vehementer procemium, a quo Joannes Theologiam orfus eft, „ fcribens: *Et hoc ergo erat Verbum*, *fecundum quod femper fuerunt*, *quæ facta funt*; *ficut & Heraclitus ipfe cenferet*, *& ita* „ *per Jovem barbarus homo cenfet*, *in principii loco*, *ac dignitate* „ *Verbum apud Deum conftitutum*, *Deumque effe*, *per quem abfolute omnia facta funt* (*b*) ". Plutarchum quoque, & Numenium, cum poft adventum Redemptoris noftri extiterint, multa Chriftianæ Theologiæ libris fuis inferuiffe, non ambigit Theodoretus. Narrat etiam, „ Ægyptios, ac Phœnices, Græcorumque „ Poetas, ac Philofophos primos fuiffe, qui aut elementa, quæ cernimus, Deos effe opinati, aut ex hominibus eos, qui aliquid „ beneficii contulerant, vel eximiis quibufdam rebus excelluerant, „ Deos renunciarunt, ac templa mortuis extruxerunt. Nos autem „ nihil eorum, quæ oculis cernuntur, Deum facimus. Hominibus „ autem, qui virtute aliqua claruerunt, ut optimis viris honores „ deferimus; folum vero adoramus univerforum Deum, ac Patrem, „ & illius Verbum, ac Sanctiffimum Spiritum (*c*) ". THEODOR.

In tertio Sermone Theodoretus comparationem inftituit inter cultum, & venerationem a Græcis Dæmonibus tributam, & illam, quam Angelis præftant Chriftiani. Utrorumque doctrinam de fpiritualibus hifce creaturis exponit. Dicit itaque: „ Teftis eft Siculus Diodorus, quod primi omnium Ægyptii Solem, Lunamque „ Deos appellarunt . . . & Græci mortalium primi Deos hos folum cenfuerunt . . . Solem videlicet, Lunam, Terram, Stellas, „ & Cælum (*d*) . . . Subfequutis vero temporibus eos quoque, „ qui humanum genus beneficio aliquo affeciffent . . . . in Deos „ retulerunt, & delubra illis extruxerunt, cujufmodi funt Saturnus, Jupiter, Hercules, Æfculapius, quod artis medicæ auctor „ extitiffet . . . . Nec ad impietatem fatis hæc illis fuit infania; „ fed & volucrum, & quadrupedum, & ferpentium fimulacra „ componentes, hæc etiam Deos appellarunt (*e*) . . . Venerem „ quo- Sermo tertius pag. 506.

(a) *Ibid. pag.* 498. (b) *Ibid. pag.* 500.
(c) *Ibid. pag.* 502. (d) *Ibid. pag.* 507.
(e) *Ibid. pag.* 510.

THEODOR. „ quoque intemperantiæ magistram, Deam tamen appellarunt . . . „ Quos ritus cum ab eis Romani didicissent, Imperatores suos Neronem, Domitianum, Commodum sævissimos, & intemperantissimos homines Deorum suorum catalogo adjunxerunt (*a*) „. Porro si pro Diis homines colunt omnibus vitiis attaminatos, quis eos imitari refugiat? . . . . „ Pessimos etiam Dæmones (subdit „ Theodoretus) sibi Deos fecerunt, magicasque imposturas ab eis „ perdocti sacrificiis illos, aliisque ritibus coluerunt . . . ipsaque „ juxta illos libamina, nidoremque victimarum propriam sibi sortem vocabant (*b*) . . . Porphyrius Plutonem, & Hecaten malorum Dæmonum principes esse dixit „. Sapientiores inter Gentiles hæc detestabantur; „ & mendaces esse fabulas dicebant ea, „ quæ de Diis Poetæ cecinerunt, nec erubescebant se ex factis ipsis „ accusari. Adorant enim juxta fabulas efficta simulacra. Prostantibus autem in fornicibus meretricibus impudentior est Veneris effigies . . . Bacchum quoque iidem artifices mollibus, ac solutis „ membris, effœminatoque corpore faciunt (*c*) „. Quas abominationes latius prosequitur, & describit Theodoretus. Postmodum sibi a Gentilibus opponi posse scribit: „ Etiam vos invisibiles quasdam potestates esse dicitis, quas & *Angelos*, & *Archangelos* nominatis, & appellatis *Principatus*, & *Potestates*, & *Dominationes*, & *Thronos*, aliisque insuper hebraicis nominibus „ *Cherubim*, ac *Seraphim* vocari didicistis. Cur itaque adversus „ nos indignamini, si post Deum illum, qui semper est . . . secundarios quosdam Deos, eoque multo inferiores opinamur esse, „ ac veneratione prosequimur „? At reponit Theodoretus. „ Fateor equidem docere nos divinam Scripturam, esse quasdam invisibiles potestates & Creatorem laudantes, & divinæ ejus voluntati obsequentes. Has tamen Deos non appellamus, nec divinum illis cultum tribuimus; sed hos quidem pluris esse, quam „ homines putamus, at conservos tamen opinamur (*d*) . . . immortales, & sanctos nuncupamus, tamquam terrenum nihil habentes, sed terrenarum infirmitatum exortes, quibus munus sit „ in cælesti choro versari, Factoremque suum hymnis celebrare . . . „ Horum itaque vitam imitati, quicumque hominum Dei servitium adamarunt, corporum etiam legitimam commixtionem fugerunt, ut quæ a divinis rebus abducat; patriam vero, ac necessarios reliquerunt, ut omnem curam ad divina transferrent . . . „ Horum jam plenæ sunt civitates, & pagi, & montium vertices, atque convalles . . . . Hæc nos igitur sacræ literæ docuerunt, quæ de naturis illis sentiamus; quæ creatæ quidem sunt, „ sed oculorum obtutu cerni non possunt (*e*) . . . Quæ vero vos „ erga Deos vestros observatis, non sanctis Angelis, sed pessimis „ Dæmo-

(a) *Ibid. pag.* 511. (b) *Ibid. pag.* 516.
(c) *Ibid. pag.* 520. (d) *Ibid. pag.* 522.
(e) *Ibid. pag.* 523.

„ Dæmonibus congruunt. Hos Dæmones, & illorum principem „ Satanam facra eloquia docent, fuperbiæ labem contraxiffe, & „ dignitate, qua honeftati ab initio fuerant, excidiffe . . . . Et „ Dæmones, Dæmonumque principem non modo a Cæli vertice „ deturbatum fuiffe, fed & virtutis athletas perhorrefcere, & for- „ midare, ac fugere; folofque fibi eos fubigere, qui ultro, & fua „ fponte illius ferrituti fe dederint (*a*) ".

THEODOR.

Poftquam in Sermone quarto Theodoretus oftendit, quam fint inter fe difcordes Gentiles Philofophi circa hujus afpectabilis orbis naturam: nonnulli enim ipfum nequaquam genitum, fed æternum prorfus, & immobilem dicunt; alii vero creatum, & finitum: „ rurfum Thales, & Pythagoras, Plato, & Ariftoteles unum effe „ confentiunt; Anaximander vero, Diogenes, & Leucippus, De- „ mocritus, & Epicurus multos, ac infinitos effe opinati funt: at- „ que alii forma fphærica hunc effe dixerunt, alii diverfa; alii in „ modum molæ piftrini, alii tamquam rotam circumvolvi; alii „ animatum, fpirantemque, alii prorfus inanimem dixerunt ". Poftquam, inquam, hæc late expofuit, fubdit: „ Quæ Plato in „ Timæo fcripfit, laude funt digniffima... Deum rei nullius indi- „ gum effe docuit, folaque bonitate adductum omnia effeciffe . . . „ & quidem non ex fubjecta materia res omnes procreaffe, fed „ ea, quæ prius non erant, ut ei libitum fuit, protuliffe (*b*). . . „ Oftendit præterea nobis & Dei Verbum omnia condidiffe: ex „ Hebræorum fiquidem fcriptis hæc didicerat . . . . & non modo „ Deum per Verbum Mundi fabricam creaffe, verum etiam So- „ lem, & Lunam, ac Stellas genita effe corpora, totumque id, „ quod funt, a Deo opifice accepiffe (*c*) ". Deinde Scripturarum auctoritate, quæ de Mundi creatione credimus, confirmat animadvertens, „ fcriptum effe: *Omnia, quæcumque voluit, Dominus* „ *fecit in Cælo, & in terra*. Voluiffe autem, non quæcumque „ poterat, fed quæ fatis effe cenfuit. Facile enim illi fuerat de- „ cies, ac vicies mille Mundos producere . . . . Deus enim uni- „ verforum, quæ vult, omnia poteft. Divinæ fiquidem voluntati „ facultas adjuncta eft (*d*) ". Loquens autem de Angelorum lapfu docet, „ quod jure optimo e cælefti regione depulfi funt, ae- „ remque, ac terram, ubi commorentur, fortiti, non ut omnia „ perficiant, quæ contra homines dolose aggrediuntur (hoc enim „ illi ne faciant, prohibet Sanctorum Angelorum cuftodia); fed „ ut ex locorum mutatione condifcant, quantorum malorum au- „ ctrix fit nequitia (*e*) . . . . Indidit autem Deus rebus, quas „ creavit, fufficientem ad id temporis facultatem, quo illas perdu- „ rare decrevit. Ex quo factum eft, ut tellus hodieque ita perma- „ neat, ficut ab initio facta fuit; & mare nec decrefcat, nec au- „ geatur;

Sermo quartus pag. 526.

(a) *Ibid. pag.* 524. *& feq.*
(b) *Ibid. pag.* 533. (c) *Ibid. pag.* 534.
(d) *Ibid. pag.* 537. (e) *Ibidem*.

THEODOR.

„ geatur; & aer, quam ab initio naturam sortitus est, inviolatam
„ conservet; & Sol firmamentum, per quod decurrit, eliquare non
„ possit, neque dissolvere; nec firmamentum, licet humidum natu-
„ ra, calidum Solem extinguat (*a*) . . . Cum itaque anni tempe-
„ states videbimus suis progredi temporibus, & pluviam terræ dis-
„ pensari, & hanc germinare, herbisque obduci, & undare sege-
„ tes, & prata floribus renidere, & comare sylvas, fructibusque
„ prægravari; linguam moveamus in ejus laudem, qui hæc terræ
„ donavit. Nec montium nymphas, nec fontium, ac fluviorum,
„ nec Nerei filios referamus in Deos. Nec Cereri, nec Reheæ,
„ nec Baccho, nec Pythio, nec Dianæ; sed rerum omnium Con-
„ ditori hymnos proferamus (*b*)". Denique sic Sermonem claudit:
„ Hæc nos docuere non Apostoli modo, & Evangelistæ, sed etiam
„ Prophetæ, Prophetarumque Princeps, qui Mundi originem con-
„ scripsit, Moyses, & ante hos Abraham, & Melchisedech, &
„ universus Patriarcharum chorus. Horum enim quilibet non mul-
„ tos, sed unum Mundi auctorem Deum censuit; id quod vobis
„ perspicuum erit, si divinæ Scripturæ libros evolvetis (*c*)".

Sermo quintus p. 542.

Fusius enarratis diversis Philosophorum placitis de natura hominis, de ejusque conditione, ostendit Theodoretus, præfatos divinos Scriptores „ Moysem Legislatorem, Prophetam David, for-
„ tissimum Job, Isajam, ac Jeremiam, universumque Propheta-
„ rum, & Evangelistarum chorum, nec non Apostolorum cœtum
„ consona ubique cunctos homines docuisse; nimirum ex terra, &
„ aqua, cæterisque elementis humanum corpus effectum esse; ani-
„ mam vero nequaquam ita in corpus demissam, ut antea existe-
„ ret, sed corpore jam plasmato creatam esse . . . ita ut anima
„ non extrinsecus aliunde corpori inseratur, neque ut nascatur ex
„ semine, sed divino instituto, sicut ab initio insita naturæ lex
„ fuit, creationem accipiat (*d*) . . . Mulierem non aliunde plas-
„ mavit, sed ex viro illius efficiendæ materiam desumpsit, ne &
„ ipsa putans, se aliam a viro habere naturam, contumacem viro
„ se præberet. Hinc easdem leges & viris, & mulieribus profert;
„ propterea quod corporis figura, non anima differunt. Est enim
„ hæc etiam ratione prædita, sicut ille, composque intelligendi, &
„ agendi perita, quid sit fugiendum, quidque capessendum pari
„ modo gnara: nonnumquam etiam melius viro, quid sit profutu-
„ rum, deprehendens, utili illi, commodoque consultrix. Unde
„ non viris solum, sed etiam mulieribus divina templa adeunda
„ sunt, nec divina mysteria participare illos quidem lex permittit,
„ & has vetat: sed has initiari pariter, rebusque mysticis imbui
„ jubet. Quin & virtutis præmia his æque, ac illis proposita
„ sunt,

(a) *Ibid. pag.* 538.
(b) *Ibid. pag.* 540.
(c) *Ibid. pag.* 541.
(d) *Ibid. pag.* 552.

„ sunt, quando & virtutis certamina communia sunt (*a*). Neque „ vero linguarum differentia naturæ quidquam officit . . . lingua- „ rum enim varietas naturam detrimento non afficit (*b*) . . . . & „ universa, quæ sub Sole est, terra Evangelica illustrata luce præ- „ dicat immortalem esse animam, & ratione præditam: quæ im- „ probis affectionibus dominari cum possit, positas sibi leges non „ ulla vi coacta, sed contemptu, negligentiaque transcendit, rur- „ susque ad meliora vergens a priore malitia sua liberatur, divi- „ nasque iterum sibi notas imprimit. Passimque videas, hæc nostra „ dogmata non eos solum tenere, qui Ecclesiæ sunt Magistri, sed „ ipsos quoque sutores, fabrosque ferrarios, & lanifices, aliosque „ artifices; quin & fœminas, non eas modo, quæ literas didi- „ cerunt, sed quæstuarias, ac satrices, atque adeo ancillas . . . . „ qui de divina Trinitate, rerumque omnium creatione disserunt, „ & humanæ naturæ multo peritiores sunt, quam Aristoteles, & „ Plato (*c*) ".

THEODOR.

In sexto Sermone de Providentia disputat Theodoretus. Postquam enim de Deo, creatisque ab illo naturis disseruit, operæ pretium duxit argumentis ex naturæ penu deductis, & ex concinna rerum omnium dispositione, serie, ordine, vicissitudinibusque ostendere, omnia hæc a sapiente regi Providentia, divinoque consilio. Scopus itaque hujus sermonis est, Diagoræ impietatem, Epicuri blasphemias, & Aristotelis ambiguitatem, & incertitudinem refellere, ac confutare. Non improbabile videtur, conscriptum hunc de Providentia fuisse Sermonem, priusquam alios decem de eodem argumento recitaret, cum nullam de illis ingerat mentionem. Postquam igitur Providentiam omnia gubernantem optimis constituit argumentis, sic scribit: „ Ubi semel constitutum sit, curam rerum „ omnium gerere Conditorem, inexpugnabilis, citraque omnem „ controversiam demonstrata est ratio dispensationis Salvatoris. De- „ cebat enim, rerum omnium Creatorem, qui rebus, quæ non „ erant, ipsum esse contribuit, destructam humani generis natu- „ ram, cujus gratia invisibilia omnia fecerat, non contemnere: & „ hominem, cujus gratia hæc omnia facta sunt, a peccatis obses- „ sum, ac veluti captivum neci traditum contemnere; ideoque „ humanam induit speciem (*d*), invisibilemque naturam visibili „ obtexit, visibilemque a peccato liberam conservavit, occultamque „ illam illibatam tenuit (*e*) . . . . Quod si forte inquiritis, cur „ non prius olim Incarnationem præstiterit opifex Mundi, Medicos „ etiam accusate, quod acriora remedia in ultimum tempus diffe- „ runt: lenioribus siquidem prius usi potentiora ultimo loco adhi- „ bent. Idem fecit sapientissimus Medicus animarum nostrarum. „ Nam cum multa, & varia remedia prius obtulisset . . . postea

Sermo sextus Pag. 560.

(a) *Ibid. pag.* 553. (b) *Ibid. pag.* 554.
(c) *Ibid. pag.* 556. (d) *Ibid. pag.* 577.
(e) *Ibid. pag.* 578.

THEODOR. „ hoc præpotens, & salutare pharmacum adhibuit, & morbum „ depulit. Verbis autem nostris fidem res ipsæ conciliant, Orbis „ universus terra, marique a priore ignorantia liberatus, Idolorum „ cessans fallacia, impietatis pulsa caligo, radii lumine cognitionis „ divinæ mundum complentes; Græci, Romani, Barbari crucifixum Deum pronuntiantes, crucisque signum honore prosequen„ tes, proque multis, ac mendacibus Diis Trinitati cultum exhi„ bentes; abolita Idolorum templa, Idolorum aræ funditus sub„ versæ, illustres Ecclesiæ ubique extructæ in civitatibus, in pa„ gis, in agris, & extremis Provinciarum finibus, Martyrum „ Templa pulcherrime fabrefacta, Monachorum habitacula, qui„ bus Sancti fiunt Montium vertices, justæque solitudines incolun„ tur (*a*)".

Sermo octavus p. 591. Fidei nostræ dogmatum veritatem ostendit Theodoretus in octavo Sermone ex Martyrum multitudine, robore, & fortitudine, qui mortem pro his dogmatibus libentissime oppetiere, eaque inficiari jubentibus linguas „ minime proderent, sed flagris humeros cædere „ volentibus, & lampadibus, ungulisque latera, cervices gladiis „ supponerent, & tympanis, ac fidiculis extenderentur, & flam„ mis exurerentur, & ab immanibus feris laniari corpora sua „ conspicerent. Qua de causa & immortalem illis gloriam con„ tulit certaminis præses, memoriamque nullo tempore finien„ dam (*b*)".

Sermo nonus pag. 607. Confert in nono Sermone Theodoretus Legumlatores Græcos, & Romanos cum Apostolis, & postquam leges a Sapientioribus latas exposuit, observat, „ illos ne finitimis quidem persuasisse, „ ut ad suas leges vitam instituerent; contra vero Galilæos non „ solum Romanos, Græcosque, verum etiam barbaras nationes u„ niversas ad legem Evangelicam traduxisse (*c*), & Scythicas, & „ Sarmaticas gentes, & Indos, & Æthiopes, & Persas, & Seras, „ & Hircanos, & Bactrianos, & Cimbrios, & Germanos, atque, „ ut semel dicam, omne hominum genus induxerunt, ut Crucifixi „ leges acciperent, non armis usi, non infinita vi militum delecto„ rum . . . sed verbis suadentes, legumque utilitatem ostendentes: „ nec sine variis periculis hoc agentes, sed frequentes in singulis ur„ bibus injurias perferentes, & flagella passim in quovis hominum „ genere sustinentes, & torti, vinctique, & supplicii genus omne „ subeuntes (*d*)... illorumque leges non Cajus, non Claudius dissol„ vere potuerunt, non eorum successor Nero... non Vespasianus, „ non Titus, non Domitianus, quamquam multis, ac variis ma„ chinationibus eas oppugnaverint (*e*)... Trajanus insuper, at„ que Adrianus vehementer contra has leges insurrexerunt .... „ Atque ut Commodum, Maximinumque omittam, cæterosque „ omnes

(a) *Ibid. pag.* 580. (b) *Ibid. pag.* 593.
(c) *Ibid. pag.* 608. (d) *Ibid. pag.* 610.
(e) *Ibid. pag.* 611.

„ omnes, qui ad Aurelianum usque, & Carinum regnarunt, „ quis Diocletiani, & Maximini, Maxentii, Liciniique contra „ Christianam pietatem furor fuerit, quis ignorat? Neque enim „ singulos isti, binosve, aut ternos ex Christianis impetebant, sed „ plurimos gregatim, & millenos simul, & decies millenos trucidabant. Quibusdam etiam in urbibus plenas viris, & fœminis, „ & pueris Ecclesias incenderunt, atque in ipso salutiferæ passionis „ die, in quo & passionis, & resurrectionis Dominicæ memoriam „ celebramus, omnes Ecclesias, quæ in Romani Imperii finibus „ erant, destruxerunt. Verum illi lapidum quidem structuram, „ compagemque demoliti sunt, animarum vero pietatem non subverterunt (*a*) .... quin potius cum occiderentur Christiani, „ multo plures ad doctrinam Evangelicam accedebant, cruorque „ ille cæsorum irrigatio quædam erat neophytorum (*b*) “. Breviter deinde recenset, quæ in persecutione Juliani adversus Christianos facta sunt, & inde nova ratione confirmat Ecclesiæ gloriam in Idolorum eversione & in numero fidelium, & in fidei propagatione, scribens: „ Infinito enim spatio priscorum fidelium „ numerum excedunt, qui fidei titulo nunc ornantur .... Hominum ista credentium plenæ sunt urbes, plenique sunt pagi, liberi ab errore montes (*c*) “. Leges Platonis fusius exponit, quæ licet concupiscentiæ, ac libidini faverent quam maxime, præsertim uxorum communione permissa, ne Atheniensibus quidem civibus suis persuasit, ut ex illarum institutis Rempublicam gubernarent (*d*); „ quia imo tales leges neque Romanorum spurcissimus „ Nero, neque Assyrus Sardanapalus nec scripsit nec laudavit unquam (*e*) “ ... dum e contra Servator noster non lascivum tantum actum, sed ipsum quoque intuitum puniendum decernit; & tamen hæ leges, sicut & aliæ, quæ mendacium, perjurium, vindictam vetant, & mansuetudinem, patientiam, clementiam jubent, ubique terrarum observantur, & quidem tanta promptitudine, & alacritate, „ ut virorum, ac mulierum myriadas multas ostendamus, qui pro hisce legibus ultro mortem oppetiere (*f*) “.

Decimus Sermo *de veris, & falsis oraculis* inscribitur. In eo siquidem Theodoretus falsa oraculorum vaticinia cum veris Judæorum prophetiis comparat; illorumque falsitatem, & horum veritatem luculentissime adstruens scribit: „ Fuisse vero hæc oracula malignorum Dæmonum ... satis magno est argumento taciturnitas, qua nunc premuntur. Etenim postquam Salvator noster in „ carne apparuit, fugam arripuerunt, qui hos dolos hominibus invexerant, divini luminis splendorem ferre non valentes (*g*) “. His addit, & ipsos Gentiles Plutarchum, Porphyrium, & Diogenianum

THEODOR.

Sermo decimus p. 623.

(a) *Ibid. pag.* 612. (b) *Ibid. pag.* 613.
(c) *Ibidem.* (d) *Ibid. pag.* 617.
(e) *Ibid. pag.* 618. (f) *Ibid. pag.* 622.
(g) *Ibid. pag.* 624.

THEODOR.

num libere confessos esse, & Dæmones fuisse, qui oracula proferrent, & dolosa semper fuisse . . . „ Et Daphnæus Apollo cum „ effecisset, ut ossa mortui nostri (videlicet S. Babylæ Martyris) „ transferrentur, incusso cælitus fulmine cæsus est (*a*) ". Profert deinde, quæ prædixit Opifex Mundi Deus, & ostendit quam utilia, vitæque hominis conducibilia sint, & veritatis luce radiantia. Et primo recitat oracula, quæ Idolorum eversionem prædicarunt; deinde quæ Salvatoris adventum, ejus Ecclesiæ stabilimentum, Evangelii prædicationem per totum Orbem, novum Sacrificium ab omnibus gentibus loco veterum offerendum, sceptrum a Juda non auferendum, donec veniat Messias; quæ omnia oracula, & vaticinia omnino impleta esse, Theodoretus luculenter evincit.

Sermo undecimus p. 644.

Differit in undecimo Sermone Theodoretus de ultimo hominis fine, & beatitudine, nec non de postremo judicio. Recitat primo loco varias Philosophorum de hominum felicitate sententias, quas tam alienas, diversasque ostendit, ut pronum sit colligere, plerosque eos vel non cognovisse, vel, in quo foret collocanda, ignorasse. „ Epicurus siquidem jucundissima vita finem metitur, solamque esse voluptatem opinatus est. Democritus pro voluptate tranquillitatem animi posuit, sed nominis dumtaxat facta mutatione . . . Celeberrimus Pythagoras ultimum bonum in exactissima numerandi scientia opinatus est esse . . . . Plato bonorum finem statuit, Deo, quoad possumus, similes fieri (*b*) . . . . Socrates non divitiis affluentem, sed justitia exornatum felicem solebat appellare . . . Aristoteles ex triplici bonorum genere, idest animæ, corporis, ac externis bonis plenam felicitatem fieri affirmavit (*c*) ". Platonis & Socratis opiniones adprobat Theodoretus; sed eas utpote obscuras, minusque dilucidatas sic juxta Sacras Scripturas exponit, & interpretatur. „ Initium bonorum esse „ ajunt Sacræ literæ laudabilem timorem Domini . . . finem vero vitam divinis legibus excultam (*d*) . . . Salvator noster beatos vocat non divites, & divitiis fruentes, & quibus prospere florent omnia; sed pauperes spiritu, & mites, & misericordes, & qui esuriunt, sitiuntque justitiam, quippe ob aliquod bonum adversi quidquam patiuntur (*e*) ". Et hæc quidem in hac vita. In futura autem dicit Theodoretus, se in Platone laudare, quæ habent cum nostris aliquam affinitatem: „ Supplicia enim, „ ac bonorum retributiones & ille confessus est, & sacra nobis „ tum vetera, tum nova Eloquia ostendunt. Judices vero ille alios „ etiam induxit, Æacum, & Memnonem, & Rhadamantum homines non usquequaque laudandos . . . Nos autem Judicem expectamus eum, qui nos fecit, qui & naturam optime novit, „ quam

(a) *Ibid. pag.* 632. (b) *Ibid. pag.* 645.
(c) *Ibid. pag.* 646. (d) *Ibid. pag.* 654.
(e) *Ibid. pag.* 655.

„ quam ipse finxit, neque ejus facta solum, dictaque callet, sed „ ipsos quoque internæ cogitationis motus. Judicabit autem nos „ humanitatis nostræ vestem indutus: Divinitatis quippe natura o- „ culis cerni non potest. Hinc & se ipsum *filium hominis* appel- „ lat; quia hanc videlicet, qui judicabuntur, naturam videbunt". Quam doctrinam testimonio Apostoli in actibus Apostolorum apud Athenienses concionantis confirmat. Deinde subdit: „ Si quis autem „ his minime credit .... illorum veritatem hac ratione perdi- „ scat. Multa de futuræ vitæ statu tum Christus Dominus, tum „ ejus Discipuli prædixerunt: multa & alia prænuntiaverunt, „ quæ nihil ad illam futuram vitam, sed ad hanc dumtaxat per- „ tinerent. Expendite igitur spectantes ad hanc vitam prædictio- „ nes; &, si fuisse veras invenietis, ac rerum eventu comproba- „ tas, ea, quæ de futuris rebus prædicta sunt, sine disceptatione „ accipite .... Hierosolymæ urbis obsidionem Christus, eversio- „ nemque prædixit, Templum illud celeberrimum funditus ever- „ tendum: Judæos etiam, qui ipsum crucifixuri erant, extorres „ toto orbe dispergendos. Videamus igitur, an hæc prædictio ad „ eventum pervenerit. Ac de Judæis quidem vos dubitare non „ puto: ab illa enim urbe expulsi sunt, & terrarum omnium fa- „ cti inquilini. Templi vero solitudinem, & a fundamentis ever- „ sionem, qui ipsi vidistis, confitemini: reliqui vero narrantibus „ credant. Ego enim hisce oculis vidi solitudinem illam; & præ- „ dictionem, quam auditu acceperam, oculis sum intuitus, verita- „ temque laudavi, atque adoravi .... Prædixit Apostolis Chri- „ stus Dominus certamina, & pericula, quæ subituri erant, cum „ Judæis, & gentibus doctrinam inferrent ... Hæc autem reipsa „ cernimus evenisse .... & rei fidem faciunt sepulchra Marty- „ rum, quæ ubique terrarum resplendent, veritatemque prædicant „ divinarum prædictionum (*a*) ... Atque ut prædictiones alias „ missas faciam, mulier quædam ad sanctos ejus pedes unguen- „ tum attulit, cujus fidem suscipiens adstantibus Discipulis di- „ xit ... *Ubicumque prædicatum fuerit Evangelium hoc regni*, „ *prædicabitur & quod fecit hæc in testimonium ejus* (*b*). Hanc „ vero prædictionem jam nunc expletam videre est. Ubique enim „ terra, marique & sacrum Evangelium legitur, & mulieris hu- „ jus fides prædicatur (*c*)".

THEODOR.

„ Maximum usquequaque bonum est divinarum rerum cognitio. „ Sed satis hæc non est, ut consummatum hominem eum reddat, „ qui ea sit præditus: oportet enim, bonas etiam actiones ad co- „ gnitionem adjungi ... Oportet enim non solum scire, quid de „ Deo sentiendum sit; verum etiam ad illius leges vitam, moresque

Sermo duodecimus p. 661.

H 3 „ que

(a) Ibid. pag. 659.
(b) Matth. 26. 13.
(c) Serm. 11. pag. 660.

THEODOR. „ que instituere . . . & has pro viribus servare, ad easque conari „ animæ speciem componere, atque effingere . . . & ea diligere, „ odiove prosequi, quæ Dominus ipse diligit, aut odio habet „ (*a*) . . . . Invenimus Platonem, aliosque nonnullos, qui ejus „ philosophiam sectati sunt, huic sermoni consentientes (*b*) . . . . „ Fatetur enim & ipse, posse nos in bonis affectionibus Creatorem „ Deum imitari (*c*) . . . De justitia quoque, & injustitia Socra- „ tes, & Plato doctrinam tradidere laudabilem illam prorsus, ra- „ tionique consentaneam, & humanæ naturæ congruentem. Mo- „ ralem siquidem disciplinam mortales omnes natura ipsa perdo- „ cuit. Creator enim Deus cum hominem formasset, naturæ in- „ didit bonorum, malorumque discretionem (*d*) ". Verum has leges observasse nec ipsi inveniuntur sapientiores inter Gentiles Philosophi; imo licet eas probe nossent, & prædicarent, servi tamen facti sunt voluptatis; adeo ut „ Diogenes publice cum mere- „ tricibus congrederetur, pessimumque exemplum spectatoribus præ- „ beret (*e*) ": Nec dissimilia patrarunt Crates Thebanus, aliique plures. At Sacræ Literæ " castitatem laudant . . . . & castas „ nuptias lege sanciunt, ut quæ genus augeant, & a libidine libe- „ rent eos, qui casti esse volunt. Fornicationem vero, & aliam „ omnem incontinentiam damnant (*f*) "; & innumeri proferri possunt harum legum accuratissimi custodes. Et hic est scopus duodecimi, & postremi Sermonis Theodoreti de curandis Græcorum affectionibus (1).

A R-

(a) *Ibid. pag.* 662. (b) *Ibid. pag.* 664.
(c) *Ibid. pag.* 665. (d) *Ibid. pag.* 669.
(e) *Ibid. pag.* 670. (f) *Ibid. pag.* 675.

(1) Præter recensita Theodoreti opera habentur etiam in Appendice Tomi IV. quæ sequuntur. I. Oratio de divina, & sancta Caritate, quæ in quibusdam exemplaribus Philotheo, sive Religiosæ Historiæ non abs re subjicitur. II. Adversus Nestorium liber ad Sporacem, cujus pars prior extat lib. 4. Hæreticar. Fabul. *cap.* 12. III. Epistola 125. ad Joannem Episcopum Germaniciæ. IV. Librorum 27. quos adversus Eutychianos scripserat, argumenta ex Photii Bibliotheca num. 46. V. Reprehensio anathematismorum Cyrilli, quæ post acta Synodi Ephesinæ legitur cum responsionibus Cyrilli.

THEODOR.

ARTICULUS TERTIUS.

Præcipua Theodoreti documenta, Dogmata, Disciplinam, Moresque spectantia.

De Sacra Scriptura.

HISTORICI Bibliorum libri non minus, quam Prophetici gratia Spiritus Sancti conscripti sunt: „ Prophetiæ autem „ est non solum futura prædicere, verum etiam & præterita, & „ præsentia narrare; quandoquidem divinus Moyses, quæcumque „ a prima origine a Deo condita sunt, & ab eo, ut essent, acce- „ perunt, manifestissime nobis aperuit, non ab hominibus hanc „ doctrinam, sed a gratia Spiritus Sancti edoctus . . . Sic etiam „ divinus David . . . & beneficiorum a Deo jam olim collato- „ rum meminit, & longis post sæculis futura præmonstrat (*a*) . . . „ Psalmos autem non omnes ipsius David quidam esse dixerunt; „ sed quosdam aliorum . . . Ego autem de his sane nihil affirmo. „ Quid enim mea refert, sive hujus omnes, sive aliorum aliqui sint, „ cum constet, divini Spiritus afflatu universos esse conscriptos? „ Etenim non ignoramus, & divinum David Prophetam fuisse, & „ illos itidem prophetas in Paralipomenon historia nuncupari. „ Prophetæ autem est linguam præbere ministram gratiæ Sancti „ Spiritus, ut legitur in Psalmis (*b*): *Lingua mea calamus scri-* „ *bæ velociter scribentis* (*c*) ". Et alibi generatim dicit: *David suscepta Sancti Spiritus operatione conscripsit* (*d*). De inscriptionibus vero Psalmorum hæc habet: „ Inscriptiones Psalmorum qui- „ dam falsas esse dixerunt . . . . Mihi quidem temeritatis videtur „ invertere inscriptiones, quæ jam olim Ptolomæi, qui post Ale- „ xandrum in Ægypto regnavit, temporibus circumferebantur, „ quasque septuaginta omnes seniores in græcam linguam transtule- „ re, sicut reliquam omnem Scripturam. Annis autem ante in- „ terpretationem istam centum, & quinquaginta mirabilis Esdras „ cælestis gratiæ plenus sacros libros descripsit, qui partim per Ju- „ dæorum incuriam, partim vero per impietatem Babyloniorum „ fuerunt depravati. Quod si & hic a Spiritu Sancto afflatus ho- „ rum voluminum memoriam renovavit, & illi non sine divino „ afflatu in græcum sermonem consensione maxima converterunt; „ atque inter cætera etiam inscriptiones interpretati sunt (*e*) ". Citat primum, secundum, & tertium Machabæorum librum, nec non Susannæ historiam (*f*), & Danielis in lacu leonum (*g*); nec

(a) *Præf. in Psal. pag. 395. Tom. 1.*
(b) *Ibid. pag. 396. Tom. 1.* (c) *Psal. 44.*
(d) *Præf. in epist. S. Pauli Tom. 3. pag. 2.*
(e) *Præf. in Psal. pag. 396. Tom. 1.*
(f) *In Daniel. pag. 682. 689. 678. Tom. 2. & epist. 110. p. 979. Tom. 3.*
(g) *Epist. 145. pag. 979. Tom. 3.*

THEODOR. nec non hymnum trium puerorum in fornace Babylonis (*a*). Putat Theodoretus, Syrorum, sive Chaldæorum linguam primævam fuisse (*b*). Noe ebrietatem ab imperitia profectam esse, non ab intemperantia (*c*). „ Didicisse ab iis, qui ex Assyria veniunt, es„ se illic fontes, qui bitumen cum aqua effundunt . . . & hujus „ rei inspectores effregisse particulam aliquam turris Babel, & „ probe novisse, bitumen esse coctilibus lateribus substratum, asse„ rentes alioquin penuriam esse lapidum in Assyria, & ob eam „ rem lateribus uti pro lapidibus. Atqui sine lapidibus quomodo „ viva calx confici potest (*d*) "? Jacob mentitum non esse, cum se dixit Esau: „ Emerat siquidem privilegia primogenituræ; „ Vere igitur se ipsum appellabat primogenitum (*e*) ". Job originem suam traxisse ab Esau (*f*); Moysem celebrium Magorum Pharaonis Janne, & Jambre nomina „ didicisse non ex divina Scri„ ptura, sed ex non scripta Judæorum doctrina, aut ei potius reve„ lata gratia Spiritus Sancti (*g*). Prophetas mille quingentis „ amplius annis Philosophos antecessisse (*h*). Solis miraculum per„ vasisse universum orbem terræ, & omnibus fuisse cognitum, „ Solem retrocessisse in horologio Achaz. Quamobrem Rex „ Babyloniorum misit & legatos, & dona ad Regem Judæo„ rum (*i*) ".

De Scripturarum versione. Pluribus in locis hebraicum textum citat (*k*), Syriacum, & versionem Symmachi, Aquilæ, & Theodotionis (*l*), & Exapla Origenis. Dicit, „ universam, quæ sub Sole est, terram sermonibus „ propheticis & apostolicis refertam esse (*m*); & hebraicam lin„ guam non modo in Græcorum linguam versam esse, sed etiam „ in Romanorum, Persarum, Ægyptiorum, & Indorum, & Ar„ meniorum, & Scytharum, ac Sarmatarum, atque uno verbo in „ linguas omnes, quibus ad hunc diem nationes utuntur (*n*) ".

De lectione Sacræ Scripturæ. Exponens illa Isajæ verba: *Haurietis aquas cum lætitia de fontibus Salvatoris*, scribit: „ Fontes salutares divinas vocat Scriptu„ ras, ex quibus hauriunt cum lætitia, qui sincere crediderunt (*o*) ". Hinc Matronam consolaturus in obitu conjugis hortatur, „ ut tri„ stitiæ dolorem cogitatione vincat, & divinorum Eloquiorum „ carmen

(a) *In Daniel. pag.* 583. *Tom.* 2.
(b) *In Genes. pag.* 47. *Tom.* 1. *quæst.* 60.
(c) *Ibid. pag.* 44. *quæst.* 56.
(d) *Ibid. quæst.* 59. *pag.* 47.
(e) *Ibid. quæst.* 81. *pag.* 59.
(f) *Ibid. quæst.* 93. *pag.* 65.
(g) *In Epist. ad Timoth. cap.* 3. *pag.* 501. *Tom.* 3.
(h) *Serm.* 5. *de nat. hom. pag.* 854. *Tom.* 4.
(i) *In* 4. *Reg. quæst.* 52. *Tom.* 1. *pag.* 357.
(k) *In Jerem. cap.* 31. *pag.* 226. *Tom.* 2.
(l) *In Psal.* 73. *p.* 694. *Tom.* 1. *&* *in psal.* 25. *pag.* 492.
(m) *Serm.* 5. *de nat. hom. pag.* 555. *Tom.* 4.
(n) *Ibidem.* (o) *In Esaj. cap.* 12. *pag.* 58. *Tom.* 2.

THEODOR.

„ carmen animæ admoveat. Hujus enim rei gratia (subdit) „ a cunabulis veluti mamillam quamdam Sacrarum Scripturarum „ meditatione haurimus ; ut cum morbus nos invaserit, salutare „ pharmacum Spiritus disciplinam adhibeamus (*a*) ".

De Trinitate.

„ Dei Patris, & unigeniti Filii, & Sanctissimi Spiritus unam „ substantiam dicimus, sicut a Scriptura veteri, & nova, & a „ Patribus Nicææ congregatis edocti sumus (*b*). Secundum Pa„ trum doctrinam substantia, & hypostasis differunt, sicut com„ mune, & proprium; vel genus, & species, & individuum (*c*). „ Sicut nomen *homo* commune est toti huic naturæ ; ita divinæ „ substantiæ nomen Sanctam Trinitatem significare accipiamus : „ Hypostasim vero personam aliquam designare, vel Patris nem„ pe, vel Filii, vel Spiritus Sancti. Nam hypostasim & perso„ nam, & proprietatem idem significare dicimus. Quæcumque „ ergo de natura divina dicuntur, communia sunt Patris, & Fi„ lii, & Spiritus Sancti, ut Deus, Dominus, Conditor, omnipo„ tens, & quæ his similia. Quæ autem hypostases, seu perso„ nas designant, ea Sanctæ Trinitati communia non sunt; ut no„ men Pater, & Ingenitus propria sunt Patris ; nomen quoque „ Filius, & Unigenitus, & Verbum non Patrem significant, nec „ Spiritum Sanctum, sed Filium: Spiritus vero Sanctus, & Para„ cletus Spiritus personam designat . . . . Quando Sacra Scriptura „ Spiritum vocavit Patrem, & Filium, significare voluit, divinam „ naturam esse incorpoream, & circumscribi non posse : Spiritum „ autem Sanctum solam Spiritus personam appellat (*d*). Credi„ mus itaque in unum Deum Patrem, & Filium, & Spiritum „ Sanctum (*e*). Et in Sancta Trinitate tres intelligimus hypo„ stases, easque sine confusione unitas, & per se subsisten„ tes (*f*) ".

De Incarnatione.

„ Simon, & Basilides, & Valentinus, & Bardesanes, & „ Marcion, &, qui ab insania nomen habet, Manes Deum tan„ tummodo appellat Christum Dominum, qui humani habeat ni„ hil, sed phantasma, & specie velut homo apparuerit homini„ bus. Qui vero Arium sectantur, & Eunomium, Deum Ver„ bum ajunt carnem dumtaxat assumpsisse, animæ vires ipsum & „ in corpore supplevisse. Apollinaris autem animatum quidem „ corpus Dominicum vocat ; sed mentem peractæ salutis exortem „ facit, nescio unde animæ, mentisque divisionem edoctus . . . E „ contra Photinus, & Marcellus, & Paulus Samosatenus homi„ nem solum esse ajunt Dominum nostrum, ac Deum (*g*). Pri-

„ mus

(a) *Epist.* 14. *pag.* 906. *Tom.* 3.
(b) *Dialog.* 1. *pag.* 4. *Tom.* 4.
(c) *Ibid.* (d) *Ibid. pag.* 5.
(e) *Epist.* 145. *pag.* 129. *Tom.* 3.
(f) *Quæst.* 20. *in Genes. pag.* 19. *Tom.* 1.
(g) *Epist.* 104. *pag.* 975. *Tom.* 3.

,, mus Nestorianæ novitatis gradus fuit, non oportere, Sanctam
THEODOR. ,, Virginem, quæ Dei Verbum peperit . . . Deiparam confiteri,
,, sed Christiparam dumtaxat; cum tamen antiquissimi orthodoxæ
,, fidei prædicatores juxta traditionem Apostolicam Deiparam do-
,, cuerint nominare, & credere Domini Matrem . . . . Ne videar
,, autem inanibus conviciis hæc in illum jactare, illum ipsum suis
,, verbis testem producam . . . . In Orthodoxorum enim Ecclesia
,, has voces edidit: *Non peperit Maria Deum, sed hominem pepe-*
,, *rit Divinitatis instrumentum.* Et rursum: *Culpa vacat Genti-*
,, *lis, qui Deis Matrem inducit* (a) ". Eutyches cum Valentino
docebat, Verbum nihil ex Matre sumpsisse; sed per eam dumtaxat
tamquam per canalem transisse, ipsumque in carnem esse mutatum;
proinde Divinitatem ipsam mortuam, sepultamque fuisse, ac de-
mum resurrexisse.

De Angelis, & Dæmonibus.

,, Non meminit Moyses creationis Angelorum, quia Hebræi
,, solidæ, vel constantis virtutis nihil habebant . . . . Quod si tam
,, facile sibi Deos finxerunt e jumentorum simulacris; quid non
,, perpetraturi fuissent, invisibilis naturæ notitiam assecuti (*b*) "?
Angelos una cum Cælo, & terra creatos esse docet . . . ,, Si quis
,, tamen Angelorum turbas ante cælum, & terram conditas esse
,, dixerit; hic (subdit) non effundet verbum pietatis (*c*). An-
,, gelorum myriades innumeræ (*d*). Immortales sunt (*e*). Ex-
,, pers corporis eorum natura (*f*). Quidam nimis stupidi, & sto-
,, lidi existimarunt Angelos fuisse, de quibus dicitur in Genesi,
,, accepisse sibi uxores, putantes suæ forsan intemperantiæ patroci-
,, nium se habituros. Illi itaque, qui eo loci filii Dei dicuntur,
,, sunt filii Seth, qui permixti sunt cum filiabus de cognatione Cain
,, (*g*) . . . . Ministerium Angelorum est hymnorum decantatio
,, (*h*) . . . Illorum linguæ non sensu, sed intelligentia percipiun-
,, tur, per quas & universorum Deum laudant, & inter se collo-
,, quuntur (*i*) . . . Illorum ministerio Deus dignos homines be-
,, neficiis afficit, & indignos plectit (*k*). Ex Angelis quidam
,, præsunt gentibus; quibusdam singulorum hominum concredita
,, est cura, ne eos lædant, damnoque afficiant infesti Dæmo-
,, nes (*l*) ".

De Libero arbitrio.

,, Deus omnia procul videt; non tamen affert necessitatem, ut
,, virtu-

(a) *Contr. Nest. Tom.* 4. *pag.* 697. *& seq.*
(b) *Quæst.* 2. *in Genes. Tom.* 1. *pag.* 3.
(c) *Ibid. quæst.* 4. *pag.* 6.
(d) *Hæret. Fabul. lib.* 4. *pag.* 267. *Tom.* 4.
(e) *In Genes. quæst.* 47. *Tom.* 1. *pag.* 38.
(f) *Ibid. pag.* 5. *quæst.* 3.
(g) *Ibid. quæst.* 47. *pag.* 39.
(h) *Hæret. Fabul. lib.* 5. *Tom.* 4. *pag.* 267.
(i) *In Epist. ad Oriental. cap.* 12. *Tom.* 3. *pag.* 185.
(k) *In psal.* 103. *Tom.* 1. *pag.* 808.
(l) *Hæret. Fabul. lib.* 5. *Tom.* 4. *pag.* 268.

„ virtutem hi exerceant, illi autem ut otiosam vitam agant. Etenim si ad utrumvis eorum ipse vim afferret, non jure vel hunc laudat, & coronat, vel illum in supplicium decernit. Si autem justus est Deus, adhortatur quidem ad ea, quæ honesta sunt, & prohibet contraria; laudat autem eos, qui bona faciunt, & punit eos, qui sua sponte vitium amplectuntur (*a*) . . . Cum humana natura arbitrii habeat libertatem, qui crediderunt, salutem sunt consecuti; qui vero non crediderunt, gehennæ facti sunt auctores. Sic & Judas cum videret, siquidem Apostolus erat, excæcatus est: Divinus autem Paulus, cum antea cæcus esset, visum recepit. Sic & per adventum Salvatoris Judæorum plurimi excæcati sunt: Gentes autem visum acceperunt (*b*) ". Et super illa verba Ezechielis (*c*): *Dabo vobis cor novum, & spiritum novum dabo vobis*, scribit Theodoretus: „ Per hæc mentis mutationem significavit: ad meliora enim cor nostrum inclinavit . . . Illud vero *dabo* nequaquam liberum arbitrium lædit: verbis enim, & operibus, & infinitis adhibitis miraculis non Judæis tantum, sed etiam omnibus gentibus, ut ad pietatem accederent, persuasit, non coegit; & tamen, quamvis non coegerit, sed persuaserit, se ait dedisse animos ad meliora propensiores; quippe ipse auctor hujusce rei tum his, quæ dixit, tum quæ fecit, effectus: *Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor novum* (*d*). Est ejus gratiæ, quod feliciter cessit prædicatio Apostolorum: nisi enim cooperetur, noster labor est inanis (*e*) ". Omnia a Dei omnipotentia esse expectanda docet Theodoretus scribens: „ Fer opem male affectis: quandoquidem tu solus calamitates solvere potes; auxilia autem hominum cum tu non faves, vana sunt. Idcirco merito subjunxit: *In Deo faciemus virtutem, & ipse ad nihilum deducit tribulantes nos* (*f*): ejus opem, inquit, imploremus; & hac freti simus. Ipsa namque sola ad res tristes dissolvendas satis est, atque ad inimicorum nostrorum potentiam evertendam (*g*) ". THEODOR.

„ Una quidem per totum orbem, atque mare est Ecclesia; propterea orantes dicimus: *Pro sancta, & unica Catholica, & Apostolica Ecclesia, quæ a finibus usque ad fines terræ* . . . Et licet infinitæ, & innumerabiles sint Ecclesiæ in Insulis, & in Continenti, simul omnes in unam rediguntur, verorum dogmatum unitæ consonantia (*h*). Nec ex hominibus perfectis tota constat, sed habet etiam ignavos, & qui remissam vitam amplexi „ sunt, De Ecclesia.

(a) *In Epist. ad Rom. cap.* 8. *Tom.* 3. *pag.* 69.
(b) *In Exod. quæst.* 12. *Tom.* 1. *pag.* 83.
(c) *Ezech.* 36. 36.
(d) *In Ezech. cap.* 36. *Tom.* 2. *pag.* 500.
(e) *In Epist. ad Corinth. cap.* 1. *Tom.* 3. *pag.* 152.
(f) *Psal.* 59. 14. (g) *In Psal.* 59. *Tom.* 1. *pag.* 629.
(h) *In Psal.* 47. *Tom.* 1. *pag.* 380.

THEODOR.

„ sunt, & qui voluptatibus servire decreverunt (*a*). Nobis salus „ per Ecclesiam provenit; qui vero extra illam sunt, non fruuntur „ æterna vita (*b*)".

De Primatu S. Petri, & Romana Ecclesia.

S. Petrum Theodoretus *Principem* appellat *Apostolorum* (*c*); sed addit: „ Illum Deus errare, ac fluctuare permisit, duo eadem „ opera docens, nec fidere se ipsis, & fluctuantes firmare (*d*)". De Romana vero Ecclesia sic sentit, & scribit ad Renatum: „ O- „ ro Sanctitatem tuam, Sanctissimo, ac beatissimo Archiepiscopo „ (Romano) persuadeas, ut Apostolica auctoritate utatur, & ad „ Concilium vestrum advolare præcipiat. Habet enim Sanctissima „ illa Sedes Ecclesiarum, quæ in toto sunt orbe, principatum „ multis nominibus; atque hoc ante omnia, quod ab hæretica ta- „ be immunis mansit, nec ullus contraria sentiens in illa sedit, sed „ apostolicam gratiam integram conservavit (*e*)".

De obedientia Potestatibus præstanda.

„ Sive est Sacerdos aliquis, sive Antistes, sive monasticam vitam „ professus iis cedit, quibus mandati sunt Principatus (*f*). Princi- „ pibus tamen non in omnibus parendum est; sed vectigal qui- „ dem, & tributum conferendum est, & honor, qui eis conve- „ nit, tribuendus: at si, ut impie agas, jusserint, aperte contra- „ dicendum (*g*)".

De Circumcisione, & Baptismo

Circumcisionem dedit Deus Hebræis, „ ne hominibus impiis „ permixti macularent nobilitatem, sed in signum intuentes, inde- „ lebilem memoriam ejus, qui dedit illud, conservarent. Atque „ hoc esse verum, testatur desertum. Nam cum in eo degerent qua- „ draginta annis, superfluam existimabant Circumcisionem; nempe „ a cæteris gentibus segregati, & quod secum inter se versaren- „ tur . . . Quod si Judæi gloriantur de Circumcisione, discant, & „ certo sciant, quod etiam Ismael semiservus, & Idumæi, & qui „ ex Cetura orti sunt; quia & Ægyptii quoque didicerunt ab I- „ sraelitis circumcidi. Non igitur Circumcisio justos reddit. Isti „ enim omnes tamquam impii a divina Scriptura notantur. Ergo „ neque Abraham Circumcisio justificavit; sed fides illum justum „ declaravit, & illustriorem reddidit virtus. Circumcisio autem „ data est veluti signum fidei (*h*). Baptismus vero non solum re- „ missionem donat veterum peccatorum, sed spem etiam ingerit „ promissorum bonorum, mortisque Dominicæ, & resurrectionis „ efficit participes, & doni Spiritus participationem largitur, & „ filios Dei reddit . . . sed & hæredes Dei, & cohæredes Christi „ (*i*). Qui ad Sacrum Baptisma accedunt, per manum Sacerdo- „ talem

(a) *In Psal.* 39. *Ibid. pag.* 552.
(b) *In Josue quæst.* 2. *Tom.* 1. *pag.* 197.
(c) *Epist.* 77. *Tom.* 3. *pag.* 947.
(d) *Ibidem.* (e) *Epist.* 116. *Tom.* 3. *pag.* 989.
(f) *In epist. ad Rom. cap.* 13. *Tom.* 3. *pag.* 94.
(g) *Ibid. in epist. ad Tit. cap.* 3. *pag.* 513.
(h) *In Genes. quæst.* 68. *Tom.* 1. *pag.* 53.
(i) *Hæret. Fabul. lib.* 5. *Tom.* 4. *pag.* 292.

„ talem Spiritus gratiam accipiunt (*a*); & fidem Nicænam a „ Sanctis Patribus expositam ediscere jubentur; & eos instruimus, „ sicut justi sumus, & baptizamus in nomine Patris, & Filii, & „ Spiritus Sancti, singulariter unumquodque nomen proferen- „ tes (*b*)". THEODOR.

„ Medicabilia sunt, etiam quæ post Baptismum fiunt, vulnera. „ Medicabilia autem, non ut olim, per solam fidem data remis- „ sione; sed per multas lacrymas, & fletus, & luctus, & jejunia, „ & orationem, & laborem commissi peccati magnitudini respon- „ dentem. Qui autem sic affecti non sunt, eos nec desperare do- „ cti sumus, nec illis facile sacra impertiri. *Nolite*, inquit, *san- „ ctum dare canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos*. Has „ Ecclesia de pœnitentia leges habet (*c*)". De Pœnitentia.

„ Cum Christo in Baptismo consepelimur, & una cum eo re- „ surgimus, & corpus ejus comedimus, & sanguinem bibimus „ (*d*). Non ii soli, qui sunt consecrati, sunt participes Domini- „ ci Corporis, & Sanguinis; sed omnes, qui sunt Sanctum assecu- „ ti Baptismum (*e*). Non soli Sacerdotes, sed omnes, qui in „ Dominum crediderunt, per Sanctissimi Corporis participationem „ cælestem civitatem adipiscuntur (*f*). Recolite sacram illam, & „ ex omni parte sanctam noctem, in qua & typico Paschati fi- „ nem imposuit, & verum typi archetypum ostendit, & salutaris „ Sacramenti portas aperuit, & non solum undecim Apostolis, sed „ etiam Judæ proditori pretiosum corpus, & sanguinem impertiit „ (*g*)". Cum D. Paulus dicit: *Quicumque manducaverit panem hunc, & biberit Calicem Domini indigne, reus erit corporis, & sanguinis Domini*, significat, „ quod quemadmodum „ tradidit quidem illum Judas, ipsi autem insultaverunt Judæi, „ ita eum ignominia, & dedecore afficiunt, qui sanctissimum ejus „ corpus immundis manibus accipiunt, & in pollutum os immit- „ tunt" (*h*). Refert Theodoretus testimonium S. Ignatii Martyris, qui de quibusdam hæreticis loquens scribebat: *Eucharistiam, & oblationem non admittunt, quod non confiteantur, Eucharistiam esse carnem Salvatoris nostri Jesu Christi, quæ pro peccatis nostris passa est, quam Pater benignitate sua resuscitavit*. Ex quo patet, Fideles tunc temporis credidisse, Eucharistiam vere, & realiter carnem Christi continere (*i*). „ Quod autem præcipitur, ut „ agnus Paschalis in una domo manducetur, observant fideles, qui „ in so- De Eucharistia.

(a) *In Epist. ad Hebr. cap.* 6. *Tom.* 3. *pag.* 618.
(b) *Epist.* 145. *Tom.* 3. *pag.* 1023.
(c) *Hæret. Fabul. lib.* 5. *Tom.* 4. *pag.* 316.
(d) *In Epist. ad Ephes. cap.* 5. *Tom.* 3. *pag.* 316.
(e) *In* 1. *Reg. quæst.* 52. *Tom.* 1. *pag.* 253.
(f) *In epist.* 1. *ad Ephes. cap.* 2. *Tom.* 3. *pag.* 441.
(g) *Ibid. cap.* 11. *pag.* 175. (h) *Ibid. pag.* 176.
(i) *Dial.* 3. *pag.* 154. *Tom.* 4.

THEODOR. „ in sola Ecclesia divina sumunt mysteria, execrationi habentes „ hæreticorum cœtus (*a*) ". Post salutare Baptisma agni immaculati participatio peragebatur (*b*). Fideles ad Sacram Mensam accedentes Eucharistiam in manibus accipiebant. *Quomodo*, ajebat S. Ambrosius Theodosio Imperatori post Thessalonicensium cædem, *manus extendes injustæ cædis sanguine adhuc stillantes? Quomodo hujusmodi manibus sacrosanctum Domini corpus accipies? Quomodo pretiosum ori sanguinem admovebis* (*c*)? . . . Quoad requisitas præparationes, ut quis digne Eucharistiam sumat, scribit Theodoretus, explicans illa Apostoli verba: *Probet autem se ipsum homo:* „ Tui ipsius judex esto, actuumque tuorum exactus arbiter, „ conscientiam scrutare, ac tunc donum suscipe, idest Corpus „ Christi: *Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi* „ *manducat, & bibit*; non solum enim salutem inde non assequeris, si præter fas acceperis, sed tuæ etiam in eum petulantiæ „ pœnas dabis (*d*) ".

De Sacrificio. „ Victimarum ratione carentium cædes finem cepit: Solus autem immaculatus Agnus sacrificatur, qui tollit peccata mundi „ (*e*) ". Offerebatur quandoque hoc Sacrificium etiam in privatis domibus. Notandum, quod hac de re scribit Theodoretus: „ Vicus apud nos est, cui nomen Homerus; ad hunc angustam „ domunculam cum extruxisset divinus Mares, inclusus in ea mansit annos triginta septem . . . Unde & corporis, & animæ castimoniam conservavit, quod mihi aperte ipsemet innuit . . . . „ Obstructam enim januam patefacere me jubebat; ingressumque „ amplexabatur, & prolixa oratione de philosophia disserebat . . . „ Cum autem spiritualis, mysticique Sacrificii videndi desiderio „ diurno teneretur, negavit, ut illic divini doni fieret oblatio. „ Ego vero libenter obtemperavi, & sacra vasa adferri jussi (nec „ enim procul aberat locus), Diaconorumque manibus utens pro „ altari mysticum, & divinum, ac salutare Sacrificium obtuli. Ille „ autem spiritali refertus voluptate, Cælum ipsum videre se existimabat; nec tali se unquam lætitia perfusum ajebat fuisse (*f*) ".

De Ordine. „ Episcopos appellavit S. Paulus Presbyteros: utrumque enim „ nomen habebant illo tempore; tres enim ordines distinguit, „ Diaconos, Presbyteros, Episcopos (*g*) ". Episcopi etiam Apostoli nomine donabantur, & Presbyteris superiores habitos fuisse, nullus est ambigendi locus. Præter Episcopos, Presbyteros, & Diaconos Theodoretus inter ministros Ecclesiæ recenset Subdiaconos

(a) *In Exod. quæst. 24. Tom. 1. pag. 91.*
(b) *In Jos. quæst. 12. Ibid. pag. 198.*
(c) *Hist. Eccl. lib. 5. cap. 17. Tom. 3. pag. 727.*
(d) *In 1. ad Corinth. cap. 11. Tom. 3. pag. 176.*
(e) *In Malach. cap. 1. Tom. 2. pag. 935.*
(f) *Hist. Relig. cap. 20. Tom. 3. pag. 853. & seq.*
(g) *Epist. ad Philip. cap. 1. Tom. 3. pag. 323.*

nos (*a*), & Lectores (*b*). „Oportet prius (scribit) examinare vi- THEODOR.
„ tam ejus, qui ordinatur; deinde in ipsum invocare gratiam Spi-
„ ritus (*c*)". Ordinatio per manus impositionem peragebatur, nec fieri poterat, ut his eadem manus fieret impositio (*d*).

De Matrimonio.

Nicolaitæ communes habebant uxores. Hi primi Sæculi hæretici a Nicolao ex septem Diaconibus uno nomen sumpsere. At S. Clemens Alexandrinus, & post illum Theodoretus rem sic narrant: „ Nicolaum, cum formosam haberet uxorem, accusatum „ fuisse apud Apostolos, quasi zelotypiæ morbo laboraret: illum „ autem, dum opinionem hanc amovere conatur, in medium uxo- „ rem adduxisse, & permisisse, ut ea frueretur qui vellet; non „ hoc lege aliqua decernentem, sed ut accusatorum calumniam re- „ dargueret. Inde nonnulli id, quod ab illo prædicta causa ge- „ stum fuerat, pessime accipientes, communes habere uxores sanxe- „ runt. At Nicolaum Clemens temperantia insignem fuisse refert, „ ac filium cœlibem, filias virgines permansisse (*e*). Saturninus „ nuptias primus omnium Diaboli doctrinam appellavit (*f*). En- „ cratitæ nuptias scortationem dicebant, & legitimam conjunctio- „ nem diabolicam appellabant (*g*). Montanus Matrimonium sol- „ vi constituit (*h*). Novatiani, qui secundas nuptias inierant, a „ sacris Mysteriis repellebant (*i*); quippe qui secundas nuptias vi- „ tuperabant (*k*). Si malum esset Matrimonium (scribit Theo- „ doretus), minime illud a principio constituisset Deus, nec libe- „ rorum susceptionem benedictionem vocasset. Propterea etiam ve- „ teres plures habere uxores non vetuit, ut genus humanum auge- „ retur. Ea de causa viri religiosi, cum plurium filiorum patres „ esse cuperent, duabus, tribus, ac pluribus uxoribus jungebantur „ (*l*). Apostolus tantum abest, ut prohibeat Matrimonium, ut „ etiam eum, qui dissolvit, dominicis legibus cohibeat (*m*), etiam „ cum Infidelibus contractum. Secundam etiam conjunctionem per- „ mittit (*n*); sed fornicationem, & omnem immunditiam ve- „ tat (*o*)".

De Martyribus.

„ Si Cælum (inquit Theodoretus) sedes est illorum, qui vi- „ tam pie duxerunt; hanc profecto Martyres sortem obtinent, qui- „ bus pium nihil magis esse potest (*p*)". Ibique docet, „ ho- „ minum

---

(a) *Ibid. epist.* 10. *pag.* 904.
(b) *Epist.* 125. *pag.* 703. *Tom.* 4.
(c) *Epist. ad Timoth. cap.* 5. *Tom.* 3. *pag.* 485.
(d) *Hist. Relig. cap.* 13. *Tom.* 3. *pag.* 856.
(e) *Hæret. Fabul. lib.* 3. *Tom.* 4. *pag.* 226.
(f) *Ibid. pag.* 194. (g) *Ibid. pag.* 208.
(h) *Ibid. pag.* 223. (i) *Ibid. pag.* 229.
(k) *In* 1. *ad Corinth. cap.* 7. *Tom.* 3. *pag.* 156.
(l) *Hæret. Fabul. lib.* 3. *Tom.* 4. *pag.* 307.
(m) *Ibid. pag.* 309. (n) *Ibid. pag.* 310.
(o) *Ibid. pag.* 311.
(p) *Serm.* 8. *de Martyr. Tom.* 4. *pag.* 599.

THEODOR. „ minum curare negotia, & Sanctorum animas, licet corporibus „ solutas, humanarum rerum curam gerere; & quia pietate claruerunt, proque ea cæsi sunt, malorum depulsores, & medicos nominamus, ut Dei amicos, servosque benevolos libertate utentes, bonorumque inopiam nobis promittentes (*a*). His tamen nec hostias Martyribus, nec libamina deferimus, sed ut Sanctos Dei amantes honoramus (*b*). Illorum animæ Cælum obambulant, & Angelorum choris intersunt. Et Urbes, ac vici eos inter se partiti animarum illos servatores, corporumque medicos appellant, venerantur que tamquam urbium præsides, atque custodes, & eorum apud Deum interventu divina per eos munera consequuntur. Sectis eorum corporibus integra, & indivisa gratia perseverat, & tenues illæ, ac tantillæ reliquiæ totam habent virtutem: quæ enim adstat gratia, dona distribuit, & fide supplicantium liberalitatem metitur (*c*). Martyrum templa clara, & conspicua cernuntur, ubi frequentes conventus habentur; & qui integra sunt valetudine, hanc sibi conservari, qui autem morbo quopiam conflictantur, hunc depelli petunt. Quod vero votorum compotes fiant, alii manuum simulacra suspendunt, alii oculorum, alii pedum ex argento, auroque confecta (*d*) “.

De signo Crucis. Tum Græci, tum Romani, & Barbari, qui Christum Deum agnoscebant, signum Crucis magna veneratione prosequebantur (*e*). Hinc narrat Theodoretus, quod „ Julianus Apostata a quodam, qui se futura prædicturum pollicebatur, deductus in Delubrum Idolorum, & in adyta intromissus, cum fallaces ille Dæmones invocasset, & hi, qua solent, specie apparuissent, coegit ipsum timor, fronti signum Crucis imprimere. At illi, conspecta figura Domini trophæi, & stragis suæ memores confestim evanuere. Tum præstigiator, causa fugæ intellecta, Julianum objurgat. Qui & metum, in quo fuerat, exposuit, & vim Crucis admirari se dixit, cujus figura exterriti Dæmones aufugissent. Cave, hoc putes, vir bone, ait præstigiator. Non enim timuerunt, ut tu dicis; sed factum tuum detestati abierunt. Ita circumventum miserum initiavit mysteriis, & horrendo scelere implevit (*f*) “. Qui & laudans patientiam Sancti Limnæi Anachoretæ, narrat, „ colicæ maximis doloribus cruciatum oratione, Crucisque signo sibi medicinam fecisse; & a viperæ veneno, quæ supra decem morsus illi intulerat, non alio usum pharmaco, nisi oratione, & signo Crucis, incolumem evasisse (*g*) “. Ex ipso Theo-

(a) *Ibid. pag.* 602. (b) *Ibid. pag.* 549.
(c) *Ibid. pag.* 593. (d) *Ibid. pag.* 605.
(e) *Serm. de Provident.* 6. *Tom.* 4. *pag.* 580.
(f) *Hist. Eccl. lib.* 3. *cap.* 1. *Tom.* 3. *pag.* 637.
(g) *Hist. Relig. cap.* 22. *Tom.* 3. *pag.* 870.

Theodoreto quoque addiscimus, fideles sumpto poculo non prius bibere, quam salutare signum illi imprimerent (*a*). **THEODOR.**

„ Julianus (narrat Theodoretus) cum expeditionem pararet in „ Persas, ad universa Imperii Romani Oracula fidissimos suorum „ misit: ipse vero Pythium Daphnæum oravit, ut quæ eventura „ essent, ostenderet. Respondit ille, obstare vaticiniis vaticinos „ mortuos, quos alio prius transferri oporteat, tum oracula funde- „ re... Erant porro in eo tum loco triumphantis Martyris Baby- „ læ, & adolescentum, qui cum eo decertarant, Reliquiæ. Satis- „ que apparebat, falsum vatem a consueto mendacio illius gratia „ prohiberi (*b*) “. Siquidem, ut alibi dicit Theodoretus, „ Cru- „ cifixi Martyr S. Babylas non patiebatur ab Apolline Daphnæo „ quidquam prædici, atque solitis præstigiis irretiri, & ejus cine- „ res frænum vati mendacissimo injecerunt (*c*) “. Eodem impe- rante Apostata, „ Sebaste Gentiles Joannis Baptistæ arcam ape- „ ruerunt, & ossibus combustis cineres dissiparunt (*d*). Sed Dei „ providentia factum est, quosdam de Hierosolymis ex Monasterio „ Philippi hominis Dei orationis illuc causa per idem tempus ve- „ nisse. Qui cum tantum nefas fieri viderent, mori gratius haben- „ tes . . . inter eos, qui ossa ad cremandum legebant, mixti di- „ ligentius, inquantum res patiebatur, ac religiosius congregantes, „ furtim se subtraxere, & ad Religiosum Patrem Philippum reli- „ quias pertulere. Ille . . . . . ad Pontificem Maximum tunc „ Athanasium hostiæ immaculatæ reliquias per Julianum Dia- „ conum suum, postea etiam Palæstinæ urbis Episcopum mittit. „ Quas ille susceptas, paucis arbitris, subcavato Sacrarii pariete „ inclusas, prophetico spiritu profuturas generationi posteræ con- „ servavit (*e*) “. Vaticinium comprobavit eventus. Nam Theo- philus Alexandrinus, Athanasii aliquando in Episcopatu successor, Serapidis Templo everso, & prophanis ædibus complanatis, ex uno latere Martyrium, ex altero construxit Ecclesiam (*f*), & in priore loco Reliquias Præcursoris collocavit. **De Reliquiis.**

Tanta erat S. Simeonis Stylitæ virtutum fama, „ adeoque ce- „ lebris erat Romæ vir sanctus, ut in omnibus officinarum vesti- „ bulis parvas ejus imagines artifices statuerent, tutelam ex his „ quandam sibi, & præsidium comparantes (*g*) “. Quod factum in Concilio Nicæno Secundo ad confirmandum Imaginum cultum narratum legitur (*h*). **De Imaginibus.**

Tricalet. Tom. VI. I Anti-

(a) *Hist. Eccl. cap.* 13. *Ibid. pag.* 851.
(b) *Ibid cap.* 6. *pag.* 644.
(c) *Serm.* 10. *de Oracul. pag.* 632. *Tom.* 4.
(d) *Hist. Eccles. cap.* 3. *Tom.* 3. *pag.* 641.
(e) *Ruf. lib.* 2. *cap.* 28. *pag.* 301. *Ed. Ver.*
(f) *Ibid. cap.* 27.
(g) *Hist. Relig. n.* 26. *pag.* 882. *Tom.* 3.
(h) *Conc. Nicæn.* 2. *act.* 4. *Tom.* 4. *Concil. Ard. pag.* 218.

THEODOR.

De Peregrinationibus.

Antiquiorem ſacrarum Peregrinationum uſum pluribus in locis prædicat Theodoretus. Nam narrat, „ S. Simeonem priſcum A„ nachoretam ad Sinæum montem proficiſci decreviſſe: quo cogni„ to, eximii viri permulti advolarunt, peregrinationis ſocios ſe ad„ jungere cupientes (*a*). Et S. Petrus Eremita abiit in Palæſti„ nam, ut conſpectis locis, in quibus ſalutaris Paſſio ſuſcepta eſt, „ Servatorem Deum in illis adoraret (*b*) ". Et ſanctæ mulieres Marana, & Cyra, „ cum victricis Theclæ Templum, quod in „ Iſauria eſt, viſere voluiſſent, ut caritatis in Deum flammas un„ dique accenderent, jejunæ ierunt, redieruntque (*c*)". Ipſe quoque Theodoretus narrat, „ ſe Hieroſolymam petiiſſe, ubi ſuis ocu„ lis vidit ſolitudinem, & Chriſti prædictionem, quam auditu „ acceperat, oculis eſt intuitus, veritatemque laudavit, & adora„ vit (*d*) ".

De Monachis.

Theodoretus monaſticam vitam appellat „ Philoſophiæ magi„ ſtram, & quæ illam vitæ inſtitutionem imitata eſt, quæ agitur „ in Cælis, licet laboribus refertiſſima. Hi corpus ſudoribus, & „ afflictionibus edomant, in luctu, & lacrymis omnem vitam con„ ſumunt, delicias jejunium exiſtimant, ſomnum ſuaviſſimum la„ borioſas vigilias, molle ſtragulum duritiem ſoli (*e*)". Hinc deducit, „ manifeſtum eſſe, ſolum amorem Dei effeciſſe, ut ſancti „ illis in laboribus, jejuniis, vigiliis terminos naturæ ſupera„ rent (*f*). Nonnullis cibus erat, non qui cum labore naſcitur, „ & ſeritur, ſed qui ſua ſponte producitur . . . uſum quoque la„ narum ſuperfluum ducebant, earumque vicem aſperrimi caprarum „ villi explebant, ex quibus & tunica illis fiebat, & ſimplex ami„ culum (*g*). Nonnulli ſemel tantum in hebdomada cibum ca„ piebant: cibus autem erat panis miliaceus, & obſonium ſa„ les (*h*). Nonnulli tres panis uncias ſingulis diebus ſumebant „ (*i*). Aliquibus cibus erat farina aqua madefacta: in hunc mo„ dum ſolebant totum unius menſis cibum de induſtria miſcere, „ ut ſitum contraheret, & male oleret. Cupiebant enim, hoc ge„ nere alimenti hebetari corporis appetitus (*k*). Et tamen cum „ tantis laboribus, & jejuniis corpus ſuum conficerent, aliorum „ tamen curam inexplebilem gerebant. Adventantibus enim ad eos „ pere-

(a) *Hiſt. Rel. n. 6. Tom. 3. pag.* 808.
(b) *Ibid. n. 9. pag.* 820.
(c) *Ibid. n. 29. pag.* 894.
(d) *Serm. de Jud. Tom. 4. pag.* 659.
(e) *Præf. ad Hiſt. Relig. Tom. 3. pag.* 760. *& ſeq.*
(f) *Serm. de Carit. Tom. 4. pag.* 683.
(g) *Hiſt. Relig. n. 1. pag.* 765.
(h) *Ibid. n. 2. pag.* 733.
(i) *Ibid. n. 3. pag.* 785.
(k) *Ibid. n. 3. pag.* 793.

„ peregrinis & lectus erat paratus, & panes mundi, selectique „ offerebantur, & vinum odoriferum, & pisces, & olera, & „ quæcumque his adjungi solent: sed cum illis non epulaban- „ tur (*a*)“.

THEODOR.

De nonnullis Disciplinæ ritibus.

Pleræque Ecclesiæ copiosis abundabant reditibus. Horum non exiguam partem in publicis ædificiis consumpsit Theodoretus, porticus excitavit, lavacra, & pontes extruxit, & publici usus alia procuravit (*b*). Pontes duos maximos extruxit, balneorum publicorum gessit curam, & cum ex alluente flumine aquam haurientem civitatem nactus esset, aquæductum condidit, & carentem aquis civitatem aquis replevit (*c*). Episcoporum grave munus, & laboriosum erat litigantium controversias audire, & dirimere. Monachi ad Episcopatum assumpti vitæ monasticæ rationem non mutabant (*d*). S. Aphtonius sedem conscendens Pontificalem nec pallium mutavit asceticum, nec tunicam caprarum ex pilis contextam, cibisque iisdem usus, queis ante Episcopatum vescebatur (*e*). Theodoretus de Nicomediensi Eusebio sic scribit: „ Eusebius impietatis propu- „ gnator parvi faciens sanctiones, quarum auctor ipsemet cum aliis „ Episcopis fuerat, Nicomedia relicta, Constantinopolitanam in- „ vasit, vetante palam canone, tum Episcopos, tum Presbyteros „ ab una civitate ad aliam transire (*f*)“. Narrat etiam, „ Fla- „ vianum, & Diodorum, quamvis Sacerdotii munus nondum ade- „ ptos, primos fuisse, qui psallentium choros duas in partes divi- „ sos hymnos Davidicos alternis vicibus canere docuerunt. Quod „ quidem Antiochiæ fieri cœptum ubique deinceps obtinuit, & ad „ ultimos terræ fines pervasit (*g*)“. At Socrates ritum hunc invectum dicit in Ecclesia Antiochena a S. Ignatio Martyre, ex qua postea ad alias propagatus est (*h*). Quod si verum foret, dicendum superesset, Diodorum, & Flavianum consuetudinem hanc forrassis persecutionibus interceptam restaurasse. In Ruralibus Ecclesiis „ fideles sub gallorum cantu ad templum se conferebant, „ Domino universorum laudes oblaturi, nec incipiente tantum die, „ verum etiam desinente sic faciebant (*i*). Orationem Dominicam „ nonnisi initiatos docebant: nullus enim eorum, qui initiati non „ sunt, dicere audent: *Pater noster*, cum adoptionem filiorum non- „ dum susceperint (*k*)“.

De erroribus Theodoreto falso tributis.

Accusatur Theodoretus, non personæ solum Nestorii, sed ejus

 etiam

(a) *Ibid. n.* 17. *pag.* 849.
(b) *Epist.* 79. *Tom.* 3. *pag.* 950.
(c) *Epist.* 81. *Ibid. pag.* 954.
(d) *Hist. Relig. n.* 17. *Tom.* 3. *pag.* 849.
(e) *Ibid. n.* 5. *pag.* 805.
(f) *Hist. Eccl. lib.* 1. *cap.* 18. *Tom.* 3. *pag.* 565.
(g) *Ibid. lib.* 2. *cap.* 19. *pag.* 622.
(h) *Socrat. Hist. lib.* 2. *cap.* 19. *pag.* 313.
(i) *Hist. Relig. n.* 30. *Tom.* 3. *pag.* 894.
(k) *Hæret. Fabul. lib.* 5. *Tom.* 4. *pag.* 316.

THEODOR. etiam erroribus adhæsisse, duas in Christo personas admittentis. At ille hanc a se criminationem luculenter depellit, scribens Eusebio Ancyrano Episcopo: „ Qui Marcionis, & Valentini, & Ma-„ netis, aliorumque Docetarum hæresim hac nostra tempestate re-„ novant, ægre ferentes hæresim a me suam aperte confuta-„ ri, Imperatoris aures circumvenire conati sunt, hæreticos nos „ appellantes, & unum D. N. J. C. incarnatum Deum Verbum „ in duos filios dividere calumniantes . . . Ego vero ab execranda „ hac sententia tantum absum, ut, cum aliquos ex Sanctis Patri-„ bus, qui apud Nicæam convenerant, adversus Arii vesaniam dis-„ putantes ob susceptum contra illum certamen coactos, nimia „ usos divisione animadverto, ægre feram, & divisionem hujusmodi „ non admittam (*a*) ". Protestatur, se „ Sanctorum Patrum ve-„ stigia sequi cupere, & optare, & Evangelicam doctrinam, quam „ compendio nobis tradidere, qui apud Nicæam convenere San-„ ctissimi Patres, studere illibatam conservare. Et sicut unum esse „ credo Deum Patrem, & unum Spiritum Sanctum ex Patre pro-„ cedentem; sic & unum Dominum Jesum Christum Filium Dei „ unigenitum, ante omnia sæcula ex Patre genitum, splendorem „ gloriæ, & characterem divinæ substantiæ, propter humanam sa-„ lutem incarnatum, & hominem factum, & secundum carnem na-„ tum ex Maria Virgine . . . Si quis Sanctam Virginem *Deipa-„ ram* non dixit, aut purum hominem vocat D. N. J. C. vel in „ duos filios dividit unum unigenitum, & primogenitum omnis „ creaturæ, a spe in Christum excidat, & dicat omnis populus: „ Fiat Fiat (*b*) ". Addit: „ Qui in duas personas incarnatum „ Deum Verbum dividunt, Apostolum audiant dicentem: *Unus „ Dominus Jesus Christus, per quem omnia* (*c*). *Unus Dominus, „ una Fides, unum Baptisma* (*d*); & ipsum Dominum dicen-„ tem: *Nemo ascendit in Cælum, nisi qui descendit de Cælo, Fi-„ lius hominis, qui est in Cælo* (*e*) . . . Sancti quoque Baptis-„ matis traditio unum esse Filium nos docet, sicut unum Patrem, „ & unum Spiritum Sanctum (*f*) . . . Nos unum etiam post in-„ carnationem Filium Dei adoramus; & eos, qui aliter sapiunt, „ *impios* vocamus (*g*) ". Objicitur etiam Theodoreto, tamquam falsas rejecisse has voces, *Deus passus*, *Deus mortuus*, quamvis & in Scripturis habeantur, & communi Ecclesiæ, ac fidelium sensu adprobentur; imo ex doctrina profluant ab ipso Theodoreto in suis Dialogis admissa; scilicet, *unionem nomina facere communia* (*h*). Verum facile mens Theodoreti explicatur; nimirum has voces

(a) *Epist.* 82. *Tom.* 3. *pag.* 955.
(b) *Epist.* 81. *pag.* 954.
(c) 1. *ad Corinth.* 8. 6.
(d) *Ad Eph.* 4. 5. (e) *Joan.* 3. 13.
(f) *Epist.* 84. *pag.* 961. *Tom.* 3. (g) *Epist.* 104. *pag.* 976.
(h) *Dialog.* 4. *pag.* 151. *Tom.* 3.

voces illum reprehendere *in sensu*, ut vocant, *reduplicativo*; idest intellectas de ipsa divinitate, ut si quis diceret, *Deum ut Deum esse passum*, *&* *mortuum*. Nam aperte confitetur, „ Christum ut „ hominem passionem sustinuisse; ut Deum pati non potuisse (*a*). „ Divina natura (subdit) passa non est, sed corpus a Verbo as- „ sumptum perpessum est (*b*). Christus non solum homo est, sed „ etiam Deus: passus autem ut homo, non ut Deus; & hoc nos „ perspicue docuit Apostolus, & nos sæpe diximus (*c*) “.

Theodor.

Culpatur etiam, quasi negaverit, Spiritum Sanctum a Filio existentiam accipere, aut a Patre per Filium, proinde a Filio minime procedere. At illum nonnulli excusant dicendo (*d*), solum negasse, Spiritum Sanctum Filii esse creaturam, sicut docebant Eunomiani (1).

Cæterum Theodoretus ita Nestorio adhæsit, ut personam defenderit, non errores. Si a Joannis Antiocheni communione se sejunxit, id non sine causa factum est, ob illicitas ab ipso factas ordinationes. Si denique Cyrillum oppugnavit, illud in causa fuit, quod mentem, & sensum Sanctissimi Doctoris non probe intellexerit. Primus omnium fuit, qui a Schismate ob has exortas controversias recessit, aliosque retrahere, & ad unionem revocare studuit. Denique pacem, & concordiam iniit cum Joanne Antiocheno, & S. Cyrillo, & in pace, ac communione Ecclesiæ sancte obiit, Orthodoxus habitus & ab Episcopis Synodi Chalcedonensis, a S. Leone Papa, & ab Imperatore Marciano, qui in quadam lege lata pridie Nonas Julii anni 452. illum S. Flaviano jungit, & inter fideles Fidei custodes annumerat (*e*). V. Synodus Generalis scripta quidem Theodoreti proscripsit; at personæ nullam notam inussit; & S. Gregorius Magnus illum cum Synodo Chalcedonensi in honore habere professus est (*f*).

I 3 AR-

(a) *Ibid. pag.* 125.
(b) *In Cant. Tom.* 1. *pag.* 1057.
(c) *Dial.* 3. *Tom.* 4. *pag.* 141.
(d) *Tournely de Trinit. pag.* 290.
(1) Difficile admodum est, Theodoretum ab hac erronea opinione vindicare. Legatur Petavius.
(e) *Tom.* 4. *Concil. pag.* 865.
(f) *Vid. Ceillier. Tom.* 14.

THEODOR.

ARTICULUS QUARTUS.

Asceticæ Vitæ spiritualia documenta.

Dei nomen non fine ratione pronuntiandum. I. PUTO divinam legem ſtatuere, ne quis nomen Dei pronuntiet ſine aliqua ratione, aut docendi, aut orandi, aut neceſſariæ cujuſpiam occaſionis. Solent enim nonnulli etiam ludentes, & ridentes, ut inciderit, reverendum nomen Dei lingua proferre; hoc arbitror divina lege prohiberi. (*Quæſt.* 41. *in Exod.*)

Deus unice diligendus. II. Quid ſignificat illud: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & quæ ſequuntur? Manifeſte nos docuit Dominus, neminem poſſe duobus dominis ſervire. Et hoc igitur loco docemur dilectionem non partiri in Deum & aurum, in Deum & uxorem, in Deum & liberos, in Deum & amicos; ſed totam dilectionis vim Creatori Deo conſecrare. Deinde ſecundum Creatorem, quæ unicuique conveniant impartiri, & parentibus, & uxori, & liberis, & fratribus, & amicis. Siquidem pertinet ad dilectionem Dei, hæc etiam præſtare. Qui enim diligit me, inquit, mandata mea ſervabit. Mandata vero Dei iſta præcipiunt. (*Quæſt.* 3. *in Deut.*).

Veritatis amor. III. Et ſi pro pietate certantibus nullum propoſitum eſſet præmium, poterat ipſa per ſe veritas amatoribus ſuis perſuadere, ut in ſubeundis pro illa periculis ſummam lætitiam præ ſe ferrent. (*Epiſt.* 21. *ad Euſebium* ....)

Divinæ providentiæ acquieſcendum. IV. Fertilitas, & ſterilitas terræ, ſecunda navigatio, & naufragium a divina pendent providentia. Quare in iis, quæ ab ea fiunt, acquieſcere omnes oportet, nec cauſas curioſius inquirere: incomprehenſibilis enim eſt divinæ gubernationis ratio. (*Hæretic. Fabul. lib.* 5. *cap.* 10.)

Pœnitentiæ leges. V. Medicabilia ſunt etiam, quæ poſt Baptiſmum fiunt vulnera: medicabilia autem non ut olim per ſolam fidem data remiſſione: ſed per multas lacrymas & fletus, & luctus, & jejunia, & orationem, & laborem commiſſi peccati magnitudini reſpondentem. Qui enim ſic affecti non ſunt, eos nec deſperare docti ſumus, nec illis facile ſacra impartiri. Nolite, inquit, dare ſanctum canibus, nec projiciatis margaritas ante porcos. Has Eccleſia de pœnitentia leges habet. (*Ibid. cap.* 28.)

Paupertatis utilitas. VI. Divitiarum affluentia, avaritiæ faci materiam miniſtrat; & malitia ſi opes adjutrices nacta fuerit, ingentem flammam incendit, dumque voluntati vires accedunt, malum reddunt intolerabile: virtutis autem cultores in paupertate vivunt. (*De provid. Orat.* 6.)

Qui vere ſint beati. VII. Initium bonorum eſſe ajunt (ſacra Evangelia) laudabilem timorem Dei. Initium enim ſapientiæ timor Domini, ut Salomon, & ejus Pater docent. Finem vero vitam divinis legibus excultam. Beati enim immaculati in via, qui ambulant in lege Domini: Bea-

ti, qui


ti, qui scrutantur testimonia ejus, in toto corde exquirunt eum. Hoc idem nos in Evangeliis docuit universorum servator: Beatos enim vocat, non divites, & deliciis fruentes, & quibus prospere fluunt omnia, sed pauperes spiritu, & mites, & misericordes, & qui esuriunt, sitiuntque justitiam, quique ob aliquod bonum adversi quidpiam patiuntur, & iis, qui in his, aliisque ejusmodi naviter se gesserint, Cælorum regnum pollicetur. (*Serm.* 21.) THEODOR.

VIII. Oportet non solum scire quid de Deo sentiendum sit, verum etiam ad illius leges vitam, moresque instituere . . . Imitatur autem, quantum licet, universorum Deum is, qui ea diligit, odioque pariter prosequitur, quem Dominus ipse diligit, & odio habet. Quæ vero illi invisa, quæve grata sint, divinæ leges manifeste docent. (*Serm.* 12.) Ad Dei leges vita nostra instituenda est.

IX. Probet autem seipsum homo, sive de pane illo edat, & de calice bibat. Tui ipsius judex esto, actuumque tuorum exactus arbiter conscientiam scrutare; ac tunc donum suscipe. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Non solum enim salutem inde non assequeris, si præter fas acceperis, sed tuæ etiam in eum petulantiæ pœnas dabis. (*In Epist.* 1. *Corinth. c.* 11.) Conscientia examinanda ante Eucharistiæ susceptionem.

X. Quo magis in rebus divinis versatus quis fuerit, eo magis accendit flammam dilectionis. (*In Orat. de Carit.*) Divini amoris flamma.

XI. Velim ne humanis rationibus inquisitionem veritatis subjicias, sed Apostolorum, & Sanctorum, qui hos secuti sunt, vestigia inquirunt, &c. (*Dialog.*) Veritas in sacris libris, ac SS. Patribus quærenda.



CAPUT XXV.

S. LEO PAPA

COGNOMENTO MAGNUS,

Ecclesiæ Doctor.

ARTICULUS PRIMUS.

Vitæ S. Leonis Breviarium.

S.LEO MAG.

Nativitas, & gesta usque ad Episcopatum.

S. LEO, cui animi virtutes, & ornamenta, nec non præclara in Ecclesiæ utilitatem gesta merito Magni cognomentum promeruerunt, Romæ natalem sortitus est. Non desunt tamen, qui in Thuscia natum dicunt, sed levibus innixi momentis, cum ipse Romam *patriam* suam appellet (*a*); quod confirmat & S. Prosper Leoni æqualis, & familiaris (*b*). Ejus familia penitus ignoratur, cum illud tantummodo constet, Patrem habuisse Quintinum nomine (*c*). De anno quoque ejus natali nihil in antiquis monumentis scriptum reperitur, nec quidquam certi conjicere licet ex iis, quæ de ejus vita nobis supersunt, neque ex ætate qua decessit. Primum Romanæ Ecclesiæ Acolythus fuit, postea vero Diaconatus, vel etiam Archidiaconatus officio functus est sub Cælestino Papa (*d*). Cassianum, ut opus suum *de Incarnatione* scriberet, suis adhortationibus impulit, ut ipsemet Cassianus in nuncupatoria testatur Epistola. Ad illum etiam S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus literas dedit, ut per eum Cælestinus de ambitiosis Juvenalis Hierosolymitani Episcopi Palæstinæ Provinciæ principatum ambientis prensationibus certus fieret, atque ab illius subreptione sollicite caveret (*e*). Ex quo patet, S. Leonem Cælestino velut primarium Ministrum adfuisse, atque ad ipsum in primis delata operosiora negotia, de quibus Pontificem instrui necesse erat.

Summus Pontifex eligitur. Gesta in Pontificatu.

Interea militares tumultus Imperium premebant, imperante tunc tem-

(a) *Epist. 27. ad Pulch. cap. 4. pag. 143. Ed. Ven.*
(b) *In Chron. Valent. V. & Anatol. Coss.*
(c) *Baron. ad an. 440.*
(d) *Gennad. de Vir. Illust. cap. 61.*
(e) *Epist. 92. Ed. Ven. cap. 4. pag. 194.*

temporis Placidia Constantii Vidua cum Valentiniano Tertio ejus filio, qui solum annum vigesimum primum ætatis suæ attigerat. Tumultuum vero in causa erant Aetius, Albinusque Duces Exercitus Romani, qui in Galliis dissidebant, odiaque eruptura erant ad bellum intestinum, si foverentur. Impendenti malo accurrit S. Leo, qui relicta Roma adiit exercitum, & cum Ducibus de obliterandis injuriis egit, monuitque ne bella cierent intestina, dum hostes ad fores fremerent, & tantum valuit, ut animos sapientia placare, & gratiam inter Duces posset reconciliare (*a*). Interim Sixtus diem extremum obiit circa Augusti dimidium anno 440. Leone absente, ac in Galliis agente. Ecclesia vero Romana suo viduata Pastore clare ostendit in electione Archidiaconi Leonis, quam sapienter de Viris optime meritis sentiret, & quadraginta & amplius diebus sine Antistite esse maluit, quam alium ejus loco deligere, sed admirabili pace & patientia adventum ejus expectavit (*b*). Continuo legatio honorifica ad eum missa est, ut totius Cleri suffragia, voluntatemque Populi Romani, ac omnium bonorum vota cognosceret, rogareturque omnium nomine, ut reditum maturaret, Ecclesiamque sua præsentia solaretur. Venit itaque Romam, & acclamatione populi, totiusque Cleri lætitia exceptus, tandem ordinatus est Episcopus Romanæ Ecclesiæ die 29. Septembris anni 440. quæ Dominica erat. Gaudio quidem afficiebatur, non quod potentiorem Cathedram nactus Orbi Christiano emineret, sed quod pluribus famularetur, inserviretque. *Non tam præsidere* (inquiebat), *quam servire gaudemus* (*c*). Sed retinebat gaudium illud metu peccandi in tanta negotiorum turba, & magnitudine muneris, quod innumeris sciebat esse obnoxium periculis. *Ipsa* (subdit) *operis magnitudo creberrima est offensionis occasio* (*d*). Sed iterum sollicitudinem suam solabatur, intelligens „ quantum sibi possent reverentiæ, amoris, „ & fidei studia plebis suæ impendere, animarum salutem pastorali „ sollicitudine cupienti, quæ tam sanctum de eo judicium protu- „ lerat (*e*) ". Nec eum spes fefellit; nam ad opera pietatis Populum exhortans, experimento didicit, libenter eum suscipere quod monebat (*f*). Et iterum de sua electione sic scribit: „ Quid tam „ insolitum, tam pavendum, quam labor fragili, sublimitas humi- „ li, dignitas non merenti? Et tamen non desperamus, neque de- „ ficimus, quia non de nobis, sed de illo præsumimus, qui opera- „ tur in nobis (*g*) ".

Sæpissime, ac præsertim in Majoribus Solemnitatibus sermonem ad popu-

S. Leo Mag.

(a) *Prosp. ad ann.* 440. 441.
(b) *Id. ibidem.*
(c) *Serm.* 4. *Ed. Ven. cap.* 5. *pag.* 5.
(d) *Ibid. cap.* 2.
(e) *Serm.* 1. *cap.* 1. *pag.* 1. *Ed. Ven.*
(f) *Serm.* 14. *cap.* 1. *pag.* 10. *Ed. Ven.*
(g) *Serm.* 2. *cap.* 1. *pag.* 2. *Ed. Ven.*

S. LEO MAG. populum habebat, & recurrente suæ Consecrationis die homiliam recitabat. Ignoratur vero, quo pacto scribere potuerit Sozomenus, S. Leonem hocce ad populum concionandi munus in se primum recepisse, cum in ea Urbe nec Episcopus, nec alius quisquam in Ecclesia populum doceret (*a*); cum contrarium omnino constet tum ex ipsis S. Leonis Sermonibus, in quibus frequenter repetit munus Episcopi esse docere, & instruere populum, & in Sermone habito in Natali Sixti III. Prædecessoris sui, postquam dixit: „ Magni„ ficus structor parietum, sed magnificentior ædificator animorum, „ ultraque sui terminos opera pietatis extendens, ut utilitatibus „ Institutionum ejus etiam in ipso frueretur devota posteritas; & „ habitando quod condidit, & faciendo quod docuit". Multoties etiam repetit officii sui esse sermonem habere ad populum, sibique metuit imputari ad culpam, si huic ministerii sui parti defuerit. Hinc & S. Gregorius primus ejus in Episcopatu Successor generatim ajebat: „ Præconis officium suscepit quisquis ad Sacerdotium „ accedit (*b*)". Leoni prima quoque cura fuit adsciscere sibi homines eruditione & doctrina præclaros, rerum Ecclesiasticarum peritia, & morum integritate insignes, quorum consiliis rem gereret. Inter quos Prosper Aquitanus primas partes obtinebat, & qui Leoni, sicut olim Damaso Hieronymus, fuit a consiliis, epistolisque.

Cum Romanæ Ecclesiæ clavum moderandum suscepit S. Leo, Catholica Fides multis undique oppugnabatur erroribus; in Oriente siquidem Nestorianæ reliquiæ insurgebant, in Occidente vero a Pelagianis divexabatur, & Romæ Manichæi occulte quidem, sed callide aliis virus suum instillare nitebantur. Pelagianos autem insectatus est jubens, ne in Ecclesiam recipiantur, nisi prius „ da„ mnent apertis professionibus suis superbi erroris Authores, & „ quidquid in doctrina eorum universalis Ecclesia exhorruit, dete„ stentur, omniaque Decreta Synodalia, quæ ad excisionem hujus „ hæreseos Apostolicæ Sedis confirmavit auctoritas, amplecti se, & „ in omnibus approbare, plenis, & apertis, ac propria manu sub„ scriptis protestationibus eloquantur (*c*)". Concilium in Hispaniis cogi jussit, ut renascentem Priscillianistarum hæresim confestim comprimeret. Per Legatos suos Synodo Chalcedonensi, quæ quarta Œcumenica est, præfuit: & in ea lecta fuit Epistola, quam *de Incarnatione Domini* ad Flavianum scripserat S. Leo, & quam Galliæ Episcopi summis laudibus celebraverant, qua lecta, & ab omnibus audita, conclamaverunt Patres: „ Petrus per Leonem ita „ loquutus est; Apostoli ita docuerunt: pie, & vere Leo docuit". Acta omnia Concilii ad S. Leonem transmissa sunt per Patres, rogantes, ut illis approbationem suam non denegaret. Ea tamen sola

(a) *Soz. lib. 7. cap. 19.*
(b) *Lib. 1. epist. 14.*
(c) *Epist. 6. Ed. Ven. cap. 2. pag. 115.*

sola confirmavit S. Pontifex, quæ ad fidei causam pertinebant; S. Leo Mag.
nam Legati ab ipso directi „ tantum fuerant, ut excisis hæresi-
„ bus Catholicæ essent fidei defensores (*a*)“; & ob solam causam fidei generale Concilium congregatum fuisse scribit. At vigesimum octavum Canonem, qui secundum locum post Romanum Pontificem Constantinopolitano Præsuli tribuebat, adduci non potuit S. Leo neque Imperatoris, neque Augustæ, neque Juliani Coensis Legati sui, neque Patrum Chalcedonensium sollicitis precibus, ut confirmaret, sed tanquam Concilio Nicæno contrarium omnino rejecit, scribens: „ Quæ (Nicæni Concilii) Decreta, si ut oportet, a cunctis Pontificibus intemerata serventur, per universas Ecclesias tranquilla erit pax, & firma concordia: nullæ de mensura honorum dissensiones, nullæ de Ordinationibus lites, nullæ de Privilegiis ambiguitates, nulla erunt de alieni usurpatione certamina, sed æquo jure caritatis rationabilis & morum, & officiorum ordo servabitur (*b*). Habeat quidem (subdit) Constantinopolitana Civitas gloriam suam . . . Non dedignetur Regiam Civitatem, quam Apostolicam non potest facere sedem . . . . Privilegia Ecclesiarum Sanctorum Patrum Canonibus instituta, & venerabilis Nicænæ Synodi fixa Decretis nulla possunt improbitate convelli, nulla novitate violari (*c*) . . . . Non convellantur Provincialium jura Primatuum, nec privilegiis antiquitus institutis Metropolitani fraudentur Antistites. Nihil Alexandrinæ Sedi pereat dignitatis, nec Dioscoro impietatis suæ pertinacia corruente splendor tantæ Ecclesiæ tenebris obscuretur alienis . . . Antiochena quoque Ecclesia in gradu tertio collocata, numquam fiat inferior . . . Sexagesimus fere annus hujus conniventiæ esse jactatur . . . . frustra cupiens id sibi prodesse, quod etiamsi quisquam ausus est velle, nunquam tamen potuit obtinere (*d*)“. At hic vigesimus octavus Canon postea progressu temporis vim obtinuit faventibus Imperatoribus, & renitentibus Romanis Pontificibus Leonis Successoribus, & Constantinopolitanus Patriarcha Episcopis Alexandrinis, & Antiochenis prælatus fuit, ac jurisdictionem in Diœcesibus Ponti, Asiæ, & Thraciæ obtinuit.

Anno 452. Hunnorum Rex Attila cognomento flagellum Dei, Atilæ obsistit an. 452.
magnis & semper victricibus copiis Italiam ingressus est, & Thracia, Illyrico, Macedonia, Pannonia, Germania, & Galliis devastatis, Romæ direptionem minabatur, ad quam captis & direptis Aquileja, Ticino, Mediolano, Ravenna, Mantua, Cremona recto itinere properabat. Nihil in tanto discrimine salubrius consilium visum est, quam ut per Legatos pax a truculentissimo Rege expe-

(a) *Epist. 92. cap. 5. pag. 194. Ed. Ven.*
(b) *Epist. 79. cap. 2. pag. 184. Ed. Ven.*
(c) *Epist. 78. cap. 3. pag. 183. Ed. Ven.*
(d) *Epist. 79. cap. 2. pag. 184. Ed. Ven.*

S. LEO MAG.

expeteretur. Missus itaque S. Leo, qui ad eum venit, illique obvius factus est in agro, ubi Mincius amnis commeantium frequentatione transitur. Summi Sacerdotis præsentia & majestate Rex gavisus est, eique benignam præbuit aurem. Sic itaque orantem audivit: „ En Princeps, quem victoriarum & frequentia & celeri- „ tas jam Regem Regum, & universi Dominum effecere, Se- „ natum, Populumque Romanum olim Orbis Terrarum domito- „ rem, nunc victum cernis clementiam tuam efflagitare. Nihil „ tibi contingere poterat gloriosius, futurisque sæculis memorabi- „ lius, quam genibus tuis cernere provolutum Populum illum, qui „ tot Reges & Gentes ante se prostratas vidit. Gloriari merito „ poteris in uno Romano Populo universum Orbem a te devi- „ ctum. Nihil supra jam superest, quam ut te ipsum vincas, & „ supra omne humanæ magnitudinis fastigium evectus, propius „ Deum exhibere non potes, quam illis quos perdere posses par- „ cendo. Vim potentiæ tuæ tibi obsistentibus ostendisti, modo il- „ lis clementiam tuam ostende, qui se victos sponte profitentur, „ & tuas subire leges non detrectant “. Quibus verbis commotus Attila excitatum deposuit furorem, & rediens qua venerat, ultra Danubium promissa pace discessit.

Chalcedonense Concilium confirmat.

Cum S. Leo Canoni in favorem Episcopi Constantinopolitani assentire detrectaret, hinc Schismatici ansam arripuere dicendi, minime a S. Leone adprobatum confirmatumque Concilium Chalcedonense, ejus proinde Decreta, utpote a Sede Apostolica minime adprobata, non plurimi facienda. Qui ita obloquebantur, Eutychetis Sectatores erant, hostesque Concilii, quorum artes ut eluderet, duas ad Synodum Epistolas fecit, unam Anatolio exhibendam, alteram Marciano Imperatori, in qua Episcopis testabatur, Decreta Synodi fuisse toto corde complexum, subdens tamen, se hæc scribere, non quod necesse esset, sed „ ne per malignos Interpretes dubitabile vi- „ deatur, utrum quæ in Synodo Chalcedonensi per unanimitatem ve- „ stram de fide statuta sunt, approbem . . . Fraterna itaque uni- „ versitas, & omnium fidelium corda cognoscant, me non solum „ per fratres, qui vicem meam exsecuti sunt, sed etiam per ap- „ probationem gestorum Synodalium propriam vobiscum uniisse „ sententiam, in sola videlicet causa fidei . . . . Unde si quis un- „ quam ausus fuerit, vel Nestorii tueri perfidiam, vel Eutyche- „ tis, ac Dioscori impium dogma defendere, a Catholicorum com- „ munione resecetur “. Subdit tamen: „ De custodiendis quoque „ Sanctorum Patrum statutis, quæ in Synodo Nicæna inviolabili- „ bus sunt fixa Decretis, observantiam vestræ Sanctitatis admoneo... „ Quantumlibet enim extortis assentationibus sese instruat vanita- „ tis elatio, & appetitus suos Conciliorum nomine æstimet robo- „ randos, infirmum atque irritum erit quidquid a prædictorum „ Patrum Canonibus discreparit (a) “.

Anno

(a) *Epist.* 87. *cap.* 1. & 2. *pag.* 190. *Ed. Ven.*

Anno 455. Valentinianus III. ex Theodosii stirpe postremus a Trisila Aetii milite confossus interiit. Maximus vero Imperium Occidentale occupat, adsciscitque sibi uxorem Eudoxiam nesciam parricidii. Fœmina magni animi, certior facta postmodum, opera Maximi Valentinianum interfectum, Mariti necem ulcisci statuit, & ultra modum iræ indulgens etiam excidio urbis vindictam parat. Gensericum Wandalorum Regem ex Africa accersit. Perculsi itaque Romani tam terribili nuntio nobilibus simul ac popularibus ex urbe fugientibus, & ipse Maximus fugam parabat, cum a Valentiniani servis cæsus est septuagesimo septimo Imperii sui die, Junii duodecimo anni 455. Post triduum Gensericus urbem repente aggreditur, ingrediturque. Wandalo it obviam S. Leo, & urbem ingredienti occurrit, Regem pluribus alloquitur. Rex barbarus ferro & incendio delere urbem parabat; at Sanctus Pontifex obtinuit, ut direptione contentus, igne, & cæde abstineret. Romanas igitur opes abstulit Gensericus, multaque captivorum millia in Africam abduxit. S. Leo Mag.

Antiquiorum Canonum studiosus defensor, ac custos S. Leo plura & ipse statuit Decreta utillima ac sanctissima. Vetuit Episcopis, ne in Clerum suum adsciscerent alienæ Diœceseos Clericos, ne Bigamos ordinarent, & ne Baptismum solemnem darent aliis diebus, quam Paschæ, & Pentecostes. Censuit Episcopum ab inferiori Sede ad superiorem conscendere tentantem utraque esse privandum. Clericos per omnem gradum ascendere jubebat, antequam ad Diaconatum, vel Presbyteratum promoverentur, ut prius optime addiscerent, quæ postmodum alios docere debebant. Demum Sanctissimus Pontifex post multos labores pro Christo perpessos, acresque pugnas adversus hostes fidei, scriptis, dictisque debellatas hæreses, servatamque Italiam a Barbaris, moritur. Ejus obitus diem vetustissima Martyrologia signant 4. Idus Novembris anni 461. expletis in Pontificatu annis 21. mense uno, diebus tredecim. Numquam Romana Sedes in minimo fastu tanta majestate resplenduit, quam tanto sedente Pontifice. Nullus Pontifex majori fuit in honore, veneratione, & existimatione habitus S. Leone, qui humilitate, sapientia, modestia, caritateque emicuit (1). Disciplinæ studium in S. Leone. Mors S. Leonis.

Ex Operibus S. Leonis nobis supersunt Sermones nonaginta sex in præcipuis anni Festivitatibus, nec non Epistolas 141. Hic primus est Pontifex, cujus Opera in unum collecta habeantur. Stylus sublimis est, & elegans, elucetque in omnibus ejus Scriptis ingenium acre, & rectum, mentis candor, & animi robur invictum. Ipsi etiam tribuuntur Libri *de Vocatione Gentium*, & Epistola *ad Virginem Demetriadem*. Inter S. Leonis Operum Editiones optima est Operum Catalogus.

(1) Summus Pontifex Benedictus XIV. S. Leonem inter Ecclesiæ Doctores adnumerandum statuit Bulla *Militantis Ecclesiæ* data Romæ anno 1754. Idibus Octobris.

S. LEO MAG. est Lugdunensis anni 1700. in folio (1). Maimburgus Societatis Jesu historiam Pontificatus S. Leonis conscripsit.

Opera S. Leonis Magni Italiæ donata hæc recensentur. I. *Sermones aliquot a Philippo Bartholomæo Corsini, ex latino in etruscam linguam versi.* Florentiæ 1485. Item versi a Gabriele Foresto Brixiano. Venetiis sub signo Spei 1547. In priori Editione Florentina in calce habentur italice versæ binæ epistolæ S. Leonis I. *ad Anatolium*, II. *ad Leonem Imperatorem*. III. *Tres* quoque *Sermones* habentur in libro, cui titulus: *Varj Sermoni di Santo Agostino ed altri Catolici ed antichi Dottori, utili alla salute dell' anime, messi insieme* e fatti volgari da Monsig. *Galeazzo Vescovo di Sessa.* Venetiis apud Gabrielem Giolito de Ferrari e fratelli 1556. *Ex Argelato & Paitono.*

ARTICULUS SECUNDUS.*

Operum S. Leonis Analysis.

Sermo de Natali, seu Ordinatione sua T. 1. p. 1. Ed. Ven.

PRIMUS S. Leonis Sermo habitus ab eo fuit, non ipso die Consecrationis, ut Antiquiores nonnulli existimarunt, multoque minus assignari posse diei anniversario putat Quesnellus, eo quia recentioris suæ electionis mentionem habeat; putat proinde habitum die octava suæ Consecrationis (2). Primo tum Deo, tum

(1) Post laudatam Quesnelli Lugdunensem Editionem binæ aliæ prodiere in Italia Editiones, altera Romæ studio & labore R. Ad. P. Petri Thomæ Cacciari Carmelitæ tribus in Folio Voluminibus, quorum primum prodiit anno 1751. alterum 1753. tertium 1755. Altera vero est Veneta apud Simonem Occhi curantibus Clarissimis Viris Petro & Hieronymo Fratribus Ballerinis tribus pariter in folio Tomis: primus prodiit anno 1753. alter anno 1756. tertius anno 1757. Hæc Editio est omnium absolutissima & locupletissima; omnia enim complectitur, quæ in Quesnelliana habentur Editione, additis pluribus ineditis Epistolis, aliisque Monumentis, nec non Dissertationibus tum ad S. Leonem illustrandum, quum ad spalmata Quesnelli corrigenda. Hac nos utimur. Sermones S. Leonis Italice vertit Bartholomæus Corsini, & Typis Florentinis impressi sunt 1748. in folio parvo. Item Gabriel Foresti alteram adornavit Italicam Versionem Venetiis impressam anno 1548. in 8.

(2) At Ballerini Fratres melius censent, primum Sermonem incipientem *Laudem Domini*, & desinentem *Testimonium præstitistis. Per Christum Dominum nostrum*, habitum fuisse ipso Natalis sive Ordinationis die, cum formulas exhibeat diei Ordinationis proprias, & prolixior ejus diei solemnitas longiorem non patiebatur sermonem. Alter vero Sermo incipiens *Honorabilem*, qui in vetustioribus Editionibus priori adnexus fuerat per particulam *igitur*, recitatus fuit in die anniversario, *recurrente*, ut Leo ait, *per suum ordinem die, quo me Dominus Episcopalis officii voluit habere principium*: quæ verba profecto diei nec propriæ nec octavæ aptari & convenire possunt.

tum auditoribus de sua exaltatione gratias agit, scribens: „ Ago „ igitur Deo nostro gratias, & semper acturus sum pro omnibus „ quæ tribuit mihi. Vestri quoque favoris arbitrium debita gra„ tiarum actione concelebro, evidenter intelligens, quantum mihi „ possint reverentiæ, amoris, & fidei studia vestræ dilectionis im„ pendere... qui tam sanctum de me judicium protulistis (a) ". In eodem vero Sermone, qui in aliis Editionibus secundum constituebat, habito in die anniversario Consecrationis suæ, dicit, quod „ etsi necessarium est trepidare de merito, religiosum tamen est „ gaudere de dono, quoniam qui mihi oneris est auctor, ipse est „ administrationis adjutor, & ne sub magnitudine gratiæ succum„ bat infirmus, dabit virtutem qui contulit dignitatem ... Ne„ que enim de qualitate nostrorum operum pendet cælestium „ mensura donorum, aut in isto sæculo, in quo *tota vita tentatio* „ *est* (b), hoc unicuique retribuitur quod meretur; ubi si iniqui„ tates Dominus observaret, nullus judicium ipsius sustineret (c) ". Aderant huic Sermoni plures Episcopi, quos „ speciosissima ap„ pellat tabernacula Dei, & membra excellentissima corporis „ Christi (d) ". In secundo Sermone pariter habito in alio suæ consecrationis anniversario, scribit: „ Quid tam insolitum, tam „ pavendum, quam labor fragili, sublimitas humili, dignitas non „ merenti? Et tamen non desperamus, neque deficimus, quia non „ de nobis, sed de illo præsumimus, qui operatur in nobis (e) ". Immo, subdit, & „ de Sacerdotii exaltatione gaudendum, non ad „ nostram elationem, sed ad Christi Domini gloriam ". Deinde observat, Sacerdotium Christi non secundum ordinem Aaron esse, sed secundum ordinem Melchisedech, cum „ illud per propagi„ nem sui seminis currens, temporalis ministerii fuit, & cum Ve„ teris Testamenti lege cessavit ... at hujus divini Sacerdotii Sa„ cramentum .... non per generationum tramitem currit, nec „ quod caro & sanguis creavit, eligitur ... sed eos Rectores Ec„ clesia accipit, quos Spiritus Sanctus præparavit: ut in populo a„ doptionis Dei ... non prærogativa terrenæ originis obtineat „ unctionem, sed dignatio cælestis gratiæ gignat Antistitem (f) ". Humiliter etiam confitetur: „ Siquid a nobis recte agitur, recteque „ discernitur ... illius est operum atque meritorum, cujus in „ sua Sede vivit potestas, & excellit auctoritas (g) ". S. Petrum Apostolorum Principem his verbis designat. In quarto Sermone pariter in anniversario die suæ Assumptionis habito laudes celebrat ejusdem Principis Apostolorum, & scribit: „ Quamvis in Popu„ lum Dei multi Sacerdotes sint, multique Pastores; omnes ta„ men proprie regit Petrus, quos principaliter regit & Christus. „ Ma-

S. LEO MAG.

(a) *Ibid. cap.* 1. (b) *Job* 7. 1.
(c) *Ibid. cap.* 2. (d) *Ibid. cap.* 3.
(e) *Serm.* 2. *cap.* 1. *pag.* 2.
(f) *Ibid. cap.* 1. *pag.* 2. (g) *Ibid. cap.* 3. *pag.* 2.

S. LEO MAG.

„ Magnum & mirabile huic viro consortium potentiæ suæ tribuit „ divina dignatio, & siquid cum eo commune cæteris voluit esse „ principibus, nunquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non ne„ gavit (*a*) . . . Transivit quidem etiam in alios Apostolos vis „ potestatis, & ad omnes Ecclesiæ Principes decreti constitutio „ commeavit: sed non frustra uni commendatur, quod omnibus in„ timatur. Petro enim hoc singulariter creditur, quia cunctis Ec„ clesiæ Rectoribus Petri forma proponitur (*b*) „. Addit: „ Specialis etiam a Domino Petri cura suscipitur, & pro fide Pe„ tri proprie supplicatur, tanquam aliorum status certus sit futu„ rus, si mens Principis victa non fuerit (*c*). Pius (subdit) „ Pastor mandatum Domini, *Confirma fratres tuos*, &, *Pasces oves* „ *meas*, procul dubio exequitur, confirmans nos cohortationibus „ suis, & pro nobis orare non cessans, ut nulla tentatione supe„ remur. Si autem hanc pietatis suæ curam omni populo Dei, „ sicut credendum est, ubique prætendit; quanto magis nobis A„ lumnis suis opem suam dignabitur impendere, apud quos in sa„ cro beatæ dormitionis toro, eadem qua præcedit carne, requie„ scit (*d*) „? In quarto vero Sermone pariter in Natali ipsius habito, confitetur humiliter se sua dignitate onerari, cui „ ipsa „ suscepti operis magnitudo creberrima est offensionis occasio . . . „ dum ad Beati Petri Apostoli Sedem ex toto Orbe concurri„ tur . . . & tanto amplius nobis instare oneris sentimus, quanto „ cunctis majora debemus. In hac ergo materia trepidationis, quæ „ nobis esset dependendæ fiducia servitutis? nisi non dormitaret, „ neque obdormiret qui custodit Israël . . . nisi dignaretur, non „ solum custos ovium, sed ipsorum etiam Pastor esse Pastorum „ (*e*) . . . pie igitur & veraciter confitemur, quod opus ministe„ rii nostri in omnibus, quæ recta agimus, Christus exsequitur, & „ non in nobis, qui sine illo nihil possumus, sed in ipso, qui pos„ sibilitas nostra est, gloriamur (*f*) „.

Sermones de Collectis.

Sex qui subsequuntur Sermones *de Collectis* inscribuntur, quia per eos de Eleemosynarum collectione, & collatione verba faciebat. Hæ igitur Collectæ S. Leonis tempore non in sola Dominica, sed & in secunda, ac tertia feria fiebant; nam certo anni tempore, ac in certum primum diem indictæ, & inceptæ aliis consequentibus diebus perficiebantur. In his itaque Sermonibus S. Pontifex eleemosynæ meritum & virtutem celebrat, & exponit, scribens: „ Thesaurum suum condit in Cælo, qui Christum pascit „ in paupere; & animæ suæ benefacit, quoties misericordia sua ino„ piæ succurrit alienæ. Prompta ergo & facilis apud nos largitas „ esse debet, si credimus id sibi unumquemque præstare quod indi-
„ gen-

(a) *Serm. 3. cap. 2. pag. 3.*
(b) *Ibid. cap. 3. pag. 4.* (c) *Ibidem.*
(d) *Ibid. cap. 4. pag. 4.* (e) *Serm. 4. cap. 2. pag. 4.*
(f) *Ibid. cap. 4. pag. 5.*

„ gentibus tribuit (*a*) . . . Sciamus, præter illud regenerationis „ lavacrum, in quo universorum ablutæ sunt maculæ peccatorum, „ hoc remedium infirmitati humanæ divinitus esse donatum, ut si „ quid culparum in hac terrena habitatione contrahitur, eleemosy- „ nis deleatur (*b*) . . . Quod si non est omnium æqualis facultas, „ debet esse par pietas, quoniam Fidelium largitas non de muneris „ pensatur pondere, sed de benevolentiæ quantitate . . . Sit dives „ munere copiosior, dum pauper animo non sit inferior (*c*) . . . „ Sollicita etiam benignitate vigilandum est, ut quem modestia te- „ git, & verecundia præpedit, invenire possimus. Sunt enim qui „ palam poscere ea, quibus indigent, erubescunt, & malunt miseria „ tacitæ egestatis affligi, quam publica petitione confundi. Intel- „ ligendi ergo isti sunt, & ab occulta necessitate sublevandi, ut „ hoc ipso amplius gaudeant, cum & paupertati eorum consul- „ tum fuerit & pudori (*d*). Non solum spiritales opes & dona „ cælestia Deo donante capiuntur, sed etiam terrenæ & corporeæ „ facultates ex ipsius largitate proveniunt, ut merito rationem eo- „ rum quæsiturus sit, quæ non magis possidenda tradidit, quam „ dispensanda commisit (*e*) . . . Misericordia in pauperes tanta „ est, ut sine illa cæteræ virtutes etsi sint, prodesse non possint. „ Quamvis enim quis fidelis sit, & castus, & sobrius, & aliis „ majoribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, mise- „ ricordiam non meretur . . . . Cum autem venerit Filius hominis „ in majestate sua, & sederit in Throno gloriæ suæ . . . sinistris „ quid objicietur, nisi neglectus dilectionis, duritia inhumanitatis, „ & pauperibus misericordia denegata? quasi nec alias virtutes dex- „ tri, nec alias offensiones habeant sinistri. Sed illo magno sum- „ moque judicio tanti æstimabitur vel largitatis benignitas, vel te- „ nacitatis impietas, ut pro plenitudine omnium virtutum, & pro „ summa omnium commissorum, & per unum bonum isti introdu- „ cantur in regnum, & per unum malum illi in ignem mittantur „ æternum (*f*) . . . Unde quia dixerat Dominus: *Beati miseri-* „ *cordes*, quia *ipsorum miserebitur Deus* (*g*), omne illud examen, „ quo majestate præsenti universum judicaturus est Mundum, sub „ hac ostendit æquitate librandum, ut sola erga inopes operum „ qualitate discussa, & impiis ardere cum Diabolo, & benignis „ paratum sit regnare cum Christo (*h*)". S. LEO MAG.

Hos de Collectis Sermones novem subsequuntur alii de *Jejunio Decimi Mensis*, hyemali videlicet, Mensis Decembris. Varia distinguit jejuniorum tempora, ut & modo in more est, scribens: „ Ecclesiastica jejunia ex doctrina S. Spiritus ita per totius anni „ cir- Sermones de Jejunio Decimi mensis.

(a) *Serm.* 1. *de Col. in ord.* 6. *al.* 5. *pag.* 27.
(b) *Serm.* 2. *in ord.* 7. *al.* 6. *pag.* 28.
(c) *Serm.* 3. *in ord.* 8. *al.* 7. *p.* 30. (d) *Serm.* 4. *in ord.* 9. *al.* 5. *p.* 33.
(e) *Serm.* 5. *in ord.* 10. *al.* 9. *pag.* 33. *c.* 1. (f) *Ibid. c.* 3. *pag.* 36.
(g) *Matth.* 5. 71. (h) *Serm.* 6. *in ord.* 11. *al.* 10. *c.* 1. *pag.* 37.

S. Leo Mag.

„ circulum diſtributa ſunt, ut lex abſtinentiæ omnibus ſit adſcripta „ temporibus. Siquidem jejunium vernum in Quadrageſima, æſti- „ vum in Pentecoſte, autumnale in Menſe Septimo, hyemale au- „ tem in hoc, qui eſt Decimus, celebremus (*a*)". Sic autem peragebatur: „ Quarta, & ſexta feria jejunemus (ſcribit S. Leo); Sabbato autem apud beatiſſimum Petrum Apoſtolum vi- „ gilias celebremus (*b*)": & jejunium hoc *quatuor temporum*, ut modo fit, appellat. Sic vero ſcribit: „ Si fideliter atque ſa- „ pienter creationis noſtræ intelligamus exordium, inveniemus ho- „ minem ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet „ Auctoris, & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in „ nobis, quaſi in quodam ſpeculo, divinæ benignitatis forma re- „ ſplendeat . . . Nam ſi inter homines ea demum firma amicitia „ eſt, quam morum ſimilitudo ſociavit, cum tamen parilitas vo- „ luntatum ſæpe in reprobos tendat affectus, quantum nobis optan- „ dum, atque nitendum eſt, ut in nullo ab iis, quæ Deo ſunt pla- „ cita, diſcrepemus? .. quia non aliter in nobis erit dignitas divinæ „ Majeſtatis, niſi imitatio fuerit voluntatis (*c*) ... Suſcipiat itaque „ Fidelis auctoris ſui atque rectoris immarceſcibilem caritatem, to- „ tumque ſe etiam ejus ſubjiciat voluntati . . . Caritatis vero i- „ ſtius perfecta pietas eſſe non poterit, niſi diligatur & proximus. „ Quo nomine non ii tantum intelligendi ſunt, qui nobis aut a- „ micitia aut propinquitate junguntur, ſed omnes prorſus homines, „ cum quibus nobis natura communis eſt, ſive illi hoſtes ſint, ſive „ ſocii, ſive liberi, ſive ſervi. Unus enim nos Conditor finxit, „ unus nos Creator animavit, eodem cuncti cælo & aere, iiſdem „ fruimur diebus & noctibus, cum alii ſint boni, alii mali . . . . „ Deus tamen omnibus largitor, omnibus eſt benignus (*d*)". In ſequenti vero Sermone de utilitate jejunii ſic ſcribit: „ Paſtorali „ ſollicitudine prædicamus Decimi Menſis celebrandum eſſe jeju- „ nium, quo pro conſummata omnium fructuum perceptione di- „ gniſſime largitori eorum Deo continentiæ libamen offertur. Quid „ enim poteſt efficacius eſſe jejunio, cujus obſervantia appropinqua- „ mus Deo, & reſiſtentes Diabolo vitia blanda ſuperamus? Sem- „ per enim virtuti cibus jejunium fuit. De abſtinentia prodeunt „ caſtæ cogitationes, rationabiles voluntates, ſalubriora conſilia. „ Et per voluntarias afflictiones caro concupiſcentiis moritur, virtu- „ tibus ſpiritus innovatur. Sed quia non ſolo jejunio animarum „ noſtrarum ſalus acquiritur, jejunium noſtrum miſericordiis paupe- „ rum ſuppleamus. Impendamus virtuti, quod ſubtrahimus volu- „ ptati. Fiat refectio pauperis abſtinentia jejunantis (*e*)".

De

(a) *Serm. 8. de Jejun. cap. 2. pag. 50.*
(b) *Serm. 7. de Jejun. cap. 3. pag. 58.*
(c) *Serm. 1. de Jejun. cap. 1. pag. 39.*
(d) *Ibid. cap. 2. pag. 40. & ſeq.*
(e) *Serm. 2. de Jejun. pag. 43.*

S. Leo Mag.

De Christianorum armis loquens S. Leo, inter quæ enumerat je-
„ junium, sic scribit: „ Habet acies Christiana potentes munitio-
„ nes, & arma victricia, Deo instruente milites suos, ut spiritu
„ veritatis mansuetudo iram, largitas avaritiam, benignitas extin-
„ guat invidiam . . . Subegit luxuriam continentia, humilitas ar-
„ rogantiam propulsavit, & qui impudicitia sorduerant, castitate
„ nituerunt. His autem conversionibus per providentiam gratiæ
„ Dei addita sunt sancta jejunia (*a*) ". Et rursum de animæ
cultura sic scribit: „ Cujus in fide germen est, in spe incrementum,
„ in caritate maturitas: quia castigatio corporis, & instantia ora-
„ tionis tunc veram obtinet puritatem, cum eleemosynarum sancti-
„ ficatione nituntur (*b*) ". Addit corporale jejunium absque spi-
rituali non prodesse, scribens: „ Carnale est, non spiritale jeju-
„ nium, ubi soli corpori non parcitur, & in iis, quæ omnibus de-
„ liciis nocentiora sunt, permanetur. Quid prodest animæ foris a-
„ gere quasi dominam, & intus servire captivam? membris pro-
„ priis imperare, & jus propriæ libertatis amittere? Jejunante
„ ergo corpore ab escis, mens jejunet a vitiis, & curas, cupidita-
„ tesque terrenas Regis sui lege dijudicet (*c*) ". Paupertatis ex-
cusationem refellit, dicens: „ Nemo de sua tenuitate causetur,
„ tamquam qui sibi vix sufficit, & alium juvare non possit. Ma-
„ gnum est quod proferat ex parvo, & in divinæ lance justitiæ
„ non quantitate munerum, sed pondere pensatur animarum. Evan-
„ gelica Vidua duos nummos in Gazophylacium misit, & omnium
„ Divitum dona transcendit. Nulla apud Deum vilis est pietas,
„ nulla infructuosa miseratio. Diversos quidem hominibus dedit
„ census, sed non diversos quærit affectus. Æstiment omnes sub-
„ stantias suas, & qui plus accepere, plus tribuant. Fiat abstinentia
„ Fidelium cibus pauperum, & quod quisque subtrahit sibi, profi-
„ ciat indigenti, quia licet multum & animis & corporibus confe-
„ rant remedia parcitatis, parum tamen utilia sunt ipsa jejunia,
„ nisi misericordiæ sanctificentur effectu. In eleemosynis enim vir-
„ tus quædam est instituta baptismatis, quia sicut aqua extinguit
„ ignem, sic eleemosyna peccatum (*d*) ".

Sermones de Nativitate Domini.

In decem Sermonibus de Nativitate D. N. J. C. variis modis
Incarnationis mysterium exponit S. Leo. Sic itaque scribit Sermo-
ne 1. „ Dei Filius secundum plenitudinem temporis, quam divini
„ consilii inscrutabilis altitudo dispofuit, reconciliandam auctori suo
„ naturam generis assumpsit humani, ut inventor mortis Diabolus
„ per ipsam, quam vicerat, vinceretur . . . Nihil in istam singu-
„ larem nativitatem de carnis concupiscentia transivit, nihil de
„ peccati lege manavit. Virgo regia Davidicæ stirpis eligitur,

(a) *Serm. 7. de Jejun. cap. 2. pag. 56.*
(b) *Ibid. cap. 3. pag. 58.*
(c) *Serm. 8. de Jejun. cap. 2. pag. 60.*
(d) *Serm. 9. de Jejun. cap. 3. pag. 63.*

S. LEO MAG. „ quæ ſacro gravidanda fœtu divinam, humanamque prolem prius „ conciperet mente, quam corpore. Et ne ſuperni ignara conſilii „ ad inuſitatos paveret affatus, quod in ea operandum erat a Spi- „ ritu Sancto, colloquio diſcit angelico. Nec damnum credit pu- „ doris Dei genitrix mox futura. Cur enim de conceptionis novi- „ tate deſperet, cui efficientia de Altiſſimi virtute promittitur „ (*a*)? . . . Verbum igitur Dei Deus, Filius Dei factus eſt ho- „ mo . . . Deuſque verus, & homo verus in unitatem Domini „ temperatur, ut quod noſtris remediis congruebat, unus atque i- „ dem Dei hominumque mediator, & mori poſſet ex uno, & re- „ ſurgere poſſet ex altero (*b*) . . . Origo diſſimilis, ſed natura „ conſimilis, humano uſu & conſuetudine caret, ſed divina pote- „ ſtate ſubnixum eſt, quod virgo conceperit, quod virgo pepererit, „ & virgo permanſerit. Non hic cogitatur parientis conditio, ſed „ naſcentis arbitrium, qui ſic homo natus eſt, ut volebat & pot- „ erat (*c*)". Animadvertendum proponit S. Pontifex, quod „ dum Salvatoris noſtri adoramus ortum, invenimur nos noſtrum „ celebrare principium. Generatio enim Chriſti origo eſt Populi „ Chriſtiani, & natalis Capitis natalis eſt corporis (*d*)". Addit, „ pacem eam eſſe, quæ in Nativitate Domini primo eſt an- „ gelico prædicata concentu . . . Quid eſt autem pacem habere ad „ Deum, niſi velle quod jubet, & nolle quod prohibet? Si enim „ humanæ amicitiæ pares animos, & ſimiles expetunt voluntates, „ nec unquam diverſitas morum ad firmam poteſt pervenire concor- „ diam: quomodo divinæ particeps erit pacis, cui ea placent quæ „ Deo diſplicent, & iis appetit delectari, quibus illum novit of- „ fendi (*e*)"? Docet, æqualis eſſe periculi alterutram in Chri- ſto negare naturam, ſcribens: „ Paris periculi malum eſt, ſi Chri- „ ſto aut naturæ noſtræ veritas, aut paternæ gloriæ negetur æqua- „ litas . . . Quoniam ſive Legis teſtificationi, ſive Oraculis Pro- „ phetarum, ſive Angelicæ Tubæ interiorem admoveamus audi- „ tum, verum eſt quod Beatus Joannes plenus Spiritu Sancto in- „ tonuit: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum,* „ *& Deus erat Verbum* (*f*)... Et ſimiliter verum eſt, quod idem „ Prædicator adjecit: *Verbum caro factum eſt, & habitavit in no-* „ *bis* (*g*)". Addit, credendum, „ carni animæque conceptæ „ virtutem Verbi nullo temporis puncto defuiſſe, nec prius forma- „ tum atque animatum Templum corporis Chriſti, quod ſibi ſu- „ perveniens vindicaret habitator, ſed per ipſum & in ipſo novo „ homini datum eſſe principium, ut in uno Dei atque hominis filio „ & ſi-

(a) *Serm. de Natal. Dom.* 1. *cap.* 1. *pag.* 64.
(b) *Ibid. cap.* 2. *pag.* 65.
(c) *Serm.* 2. *de Nat. Dom. cap.* 2. *pag.* 69.
(d) *Serm.* 6. *in Nat. Dom. cap.* 2. *pag.* 88.
(e) *Ibid. cap.* 3. *pag.* 89.
(f) *Joan.* 1. 1. (g) *Ibid.* 14.

„ & sine Matre Deitas, & sine Patre esset humanitas (*a*) “. Deinde errorem Nestorii exponit, & refellit, scribens: „ Nestorius „ Beatam Virginem hominis tantum ausus est prædicare genitricem, „ ut in conceptu ejus, & partu nulla Verbi & Carnis facta uni- „ tio crederetur, quia Dei filius non ipse factus sit hominis filius, „ sed creato homini sola se dignatione sociaverit. Quod Catholi- „ cæ aures nequaquam tolerare potuerunt, quæ sic Evangelio ve- „ ritatis imbutæ sunt, ut firmissime noverint, nullam esse humano „ generi spem salutis, nisi ipse esset filius Virginis, qui Creator „ est Matris “. Contra Eutycherem vero sic disputat, illumque refellit: „ Eutyches recentioris sacrilegii prophanus assertor unitio- „ nem quidem in Christo duarum confessus est naturarum, sed i- „ psa unitione id dixit effectum, ut ex duabus una remaneret, nul- „ latenus alterius existente substantia, quæ utique finiri aut con- „ sumptione aut separatione non posset. Hæc vero inimica sunt „ sanæ fidei. Si enim Verbi Incarnatio unitio est divinæ huma- „ næque naturæ, sed hoc ipso concursu quod erat geminum, factum „ est singulare, sola Divinitas ex utero Virginis nata est, & per „ ludificatoriam speciem sola subiit nutrimenta & incrementa corpo- „ rea, utque omnes mutabilitates humanæ conditionis omittam, so- „ la Divinitas crucifixa, sola Divinitas mortua, sola Divinitas est „ sepulta (*b*) “. Huic errori fidem Catholicam opponit, quæ docet: „ Assumptus homo in Filium Dei, sic in unitatem personæ „ Christi, sic ab ipsis corporalibus est receptus exordiis, ut nec si- „ ne Deitate conceptus sit, nec sine Deitate editus, nec sine Dei- „ tate nutritus. Idem erat in miraculis, idem in contumeliis, „ per humanam infirmitatem crucifixus, mortuus, & sepultus: per „ divinam virtutem tertia die resuscitatus, ascendit ad Cælos, „ consedit ad dexteram Dei Patris, & in natura hominis accepit „ a Patre, quod in natura Deitatis etiam ipse donavit (*c*) .... „ Honoretur itaque in infantia sua Dominus, nec ad Deitatis refe- „ rantur injuriam exordia, & incrementa corporea, quoniam na- „ turæ incommutabili nec addidit aliquid nostra natura, nec mi- „ nuit, sed qui in similitudinem carnis peccati dignatus est homi- „ nibus esse conformis, in unitate Dei Patris permanet æqualis „ (*d*). Hinc Domini Salvatoris Nostri nativitas non solum se- „ cundum Deitatem de Patre, sed etiam secundum carnem de „ Matre, ita facultatem humani excedit eloquii, ut merito ad u- „ trumque referatur quod dictum est: *Generationem ejus quis enar-* „ *rabit* (*e*) “? Et cum Apostolus dicit: *In ipso inhabitat o-mnis plenitudo Divinitatis corporaliter*, sic ea verba exponit S.

S. Leo Mag.

K 3 Præsul:

(a) *Serm.* 8. *in Nat. Dom.*
(b) *Serm.* 8. *in Nat. Dom. c.* 5. *p.* 100.
(c) *Ibid. cap.* 4. *pag.* 101.
(d) *Serm.* 9. *de Nat. Dom. cap.* 3. *pag.* 105.
(e) *Isaj.* 53. 8.

S. LEO MAG.

Præsul: „ Totum corpus implet tota Divinitas, & ſicut nihil deeſt illius Majeſtatis, cujus habitatione repletur habitaculum, ſic „ nihil deeſt corporis, quod non ſuo habitatore ſit plenum (*a*) “. Fuſe deinde in hoc Sermone fidem Incarnationis exponit, & denique illum ſic claudit: „ Hoc credentes vere Chriſtiani ſumus, veri „ Iſraelitæ, & in conſortium filiorum Dei veraciter adoptati, „ quia & omnes Sancti, qui Salvatoris noſtri tempora præceſſerunt, per hanc fidem juſtificati, & per hoc Sacramentum Chri- „ ſti ſunt corpus effecti, expectantes univerſalem credentium re- „ demptionem in ſemine Abrahæ “.

Sermones in Solemnitatem Epiphaniæ pag. 311.

Sermones in Epiphania Domini ſunt numero octo. In primo ſic ſcribit: „ Tribus igitur Magis in regione Orientis Stella novæ „ claritatis apparuit, quæ illuſtrior cæteris, pulchriorque ſideri- „ bus, facile in ſe intuentium oculos animoſque converteret, ut „ confeſtim adverteretur non eſſe otioſum, quod tam inſolitum videbatur. Dedit ergo aſpicientibus intellectum, qui præſtitit ſi- „ gnum, & quod fecit intelligi, fecit inquiri, & ſe inveniendum „ obtulit inquiſitus (*b*). Sequuntur tres viri ſuperni luminis du- „ ctum, & prævii fulgoris indicium intenta contemplatione comi- „ tantes ad agnitionem veritatis gratiæ ſplendore ducuntur (*c*) “. Magorum internos affectus ſic exponit: „ Adorant in carne Ver- „ bum, in infantia ſapientiam, in infirmitate virtutem, & in ho- „ minis veritate Dominum Majeſtatis, atque ut ſacramentum fidei „ ſuæ intelligentiæque manifeſtent, quod cordibus credunt, mune- „ ribus proteſtantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offe- „ runt Regi: ſcienter divinam humanamque naturam in unitate „ venerantes, quia quod erat in ſubſtantiis proprium, non erat in „ poteſtate diverſum “. In Magis adoratoribus nos celebrare dicit „ diem primitiarum noſtrarum, & inchoationem vocationis gen- „ tium, gratias agentes Deo, qui *dignos nos fecit*, ſicut ait Apo- „ ſtolus, *in partem ſortis Sanctorum in lumine*. Deinde ſubdit: Adorato Domino Magi, non eodem quo venerunt itinere „ revertuntur. Oportebat enim, ut jam in Chriſtum credentes, „ non per antiquas converſationis ſemitas ambularent, ſed novam „ ingreſſi viam a relictis erroribus abſtinerent. Tum ut etiam „ Herodis vacuarentur inſidiæ, qui in puerum Jeſum impietatem „ doli per ſimulationem diſponebat officii (*d*) “. In Sermone vero ſexto illud animadvertendum proponit, quod „ non ita il- „ le dies “ (quo Magi Chriſtum agnoverunt & adorarunt) „ e- „ menſus eſt, ut virtus operis, quæ tunc eſt revelata, tranſierit, ni- „ hilque ad nos niſi rei geſtæ fama pervenerit . . . cum multipli- „ cato munere Dei, etiam quotidie noſtra experiantur tempora, „ quid-

(a) *Serm.* 10. *de Nat. Dom. c.* 3. *pag.* 108.
(b) *Serm.* 1. *cap.* 1.
(c) *Ibid. cap.* 2.
(d) *Ibid. cap.* 4.

„ quidquid illa habuere primordia . . . . illud enim idem manifestius nunc & copiosius fieri in omnium vocatorum illuminatione perspicimus (*a*) “. Et paulo post subdit : „ Invenimus etiam Herodis non deesse personam, cujus ipse Diabolus sicut tunc fuit occultus incentor, ita nunc quoque indefessus est imitator . . . . Parat fraudes, fingit dissensiones, erumpit in cædes . . . invidia uritur in Judæis, simulatione insidiatur in Hæreticis, sævitia accenditur in Paganis . . . . Sed hanc Herodis illius rabiem ille vincit, & destruit, qui etiam parvulos martyrii gloria coronavit, & fidelibus suis invictam indidit caritatem . . . quoniam in suppliciis & mortibus Beatorum Martyrum, qui putabantur minui numero, multiplicabantur exemplo. Denique tantum contulit fidei nostræ impugnatio persequentium, ut nihil magis regium ornet Principatum, quam quod Domini Mundi membra sunt Christi “. Sermonem deinde sic claudit : „ Sed tempestas priorum turbinum conquievit, & dudum cessantibus præliis quædam videtur arridere tranquillitas . . . . Sed Dæmon videns sibi resistere Principum fidem, & unius Deitatis inseparabilem Trinitatem non segnius in Palatiis, quam in Ecclesiis adorari . . . quorum obtinere non potest mortem, impetit mores. Terrorem proscriptionum in avaritiæ mutat incendium, & quos damnis non fregit, cupiditate corrumpit . . . Inflammat concupiscentiis, quos non potest vexare tormentis, serit discordias, accendit iras, incitat linguas, & ne ab illicitis dolis cautiora corda se revocent, consummandorum scelerum ingerit facultates. Quia illi totius fraudis hic fructus est, ut qui immolatione pecudum, & arietum, & thuris incensione non colitur, quibuslibet ei criminibus serviatur . . . Vigilanter igitur cavenda sunt illa discrimina, quæ de otio ipsius pacis oriuntur (*b*) “. S. LEO MAG.

In duodecim Sermonibus de Quadragesima totus est Sanctissimus Pontifex, ut ostendat debitum & onus quod omnibus incumbit Christifidelibus se per idem tempus emendandi a patratis criminibus, & se præparandi pœnitentia & jejunio ad Dominicæ Resurrectionis festa celebranda. Ex his Sermonibus plerosque habuit vel paulo ante, vel sub initium Quadragesimæ. Exponens illa verba Christi Domini: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei*, sic scribit (*c*): „ Dignum est ut populus Christianus in quantacumque abstinentia constitutus, magis desideret se Dei verbo, quam cibo satiare corporeo: prompta devotione & alacri fide suscipiamus solemne jejunium, non in sterili inedia, quam plerumque & imbecillitas corporis, & avaritiæ morbus indicit, sed in larga benevolentia celebremus . . . Deliciæ igitur nostræ sint opera pietatis, & illis cibis, qui nos „ ad Sermones de Quadragesima pag. 141.

K 4

(a) *Serm. 6. cap. 1. pag. 132.*
(b) *Ibid. cap. 3.*
(c) *Serm. 2. cap. 4.*

S. LEO MAG.

„ ad æternitatem nutriunt, impleamur. Lætemur in refectionibus „ pauperum, quos impendia nostra satiaverint. Jucundemur in „ vestitu eorum, quorum nuditatem indumentis necessariis texeri- „ mus. Sentiant humanitatem nostram ægritudines decumbentium, „ imbecillitates debilium, labores exulum, destitutio pupillorum, „ & desolatarum mœstitudo viduarum, in quibus juvandis nemo „ est qui non aliquam possit exequi benevolentiam. Nulli enim „ parvus est censu, cui magnus est animus, nec de rei familiaris „ modo mensura miserationis pendet aut pietatis. Nunquam me- „ rito caret in tenui facultate bonæ voluntatis opulentia. Majora „ quidem impendia sunt divitum, & minora mediocrum, sed non „ discrepat fructus operum, ubi idem est affectus operantium „ (*a*)". Subdit vero: „ Quantumlibet caste & sobrie mortalis „ hæc vita ducatur, quodam tamen pulvere terrenæ conversationis „ aspergitur, & nitor mentium ad Dei imaginem conditarum non „ ita a fumo totius vanitatis alienus est, ut nulla possit sorde fu- „ scari, & non semper indigeat expoliri. Quod si etiam cautissi- „ mis animis necessarium est, quanto illis amplius est expetendum, „ qui tota fere anni spatia aut securius, aut forte negligentius trans- „ ierunt? . . Nemo patientiam bonitatis Dei de peccatorum suo- „ rum impunitate contemnat, nec ideo illum æstimet non offen- „ sum, quem necdum est expertus iratum. Non sunt longæ vitæ „ mortalis induciæ, nec diuturna est licentia insipientium volunta- „ tum in æternarum dolorem transitura pœnarum, si dum justitiæ „ sententia suspenditur, pœnitentiæ medicina non quæritur". Infirmos quoque quomodo jejunare debeant, instruit, scribens (*b*): „ Semper simus ab injusta voluntate sobrii, & ab inhonesta actio- „ ne jejuni. Quæ devotio non omittit ægros, non secernit invali- „ dos, quia etiam in languido atque inutili corpore potest animi „ integritas reperiri, si ubi fuit sedes pravitatis, ibi confirmentur „ fundamenta virtutis. Et ideo infirmæ carnis ista sufficit ægritu- „ do, quæ sæpe mensuram voluntariæ afflictionis excedit, tantum „ ut mens officii sui impleat partes, & quæ corporea epulatione „ non utitur, nulla iniquitate pascatur (*c*)". Dicit: „ Quadra- „ ginta dierum jejunium, quod festi paschalis est prævium, inte- „ riorem cordis auditum illius vocis instar movet, qua verbis Isa- „ jæ Prophetæ Joannes Baptista dicebat: *Parate viam Domini*, „ *rectas facite semitas ejus* (*d*). Sollicitioribus vos pietatis ope- „ ribus expolite, non solum in distribuendis eleemosynis . . . . sed „ etiam in remittendis offensionibus & peccatorum reatibus rela- „ xandis (*e*). Merito in Quadragesima a S. Apostolis majora „ sunt ordinata jejunia per doctrinam S. Spiritus, ut per commu- „ ne

---

(a) *Serm.* 5. *cap.* 3. *pag.* 105.
(b) *Serm.* 6. *cap.* 2. *pag.* 168.
(c) *Serm.* 7. *cap.* 1. *pag.* 170.
(d) *Isaj.* 40. 3. (e) *Serm.* 8. *cap.* 4. *pag.* 176.

S. LEO MAG.

„ ne consortium Crucis Christi etiam nos aliquid ex eo quod pro-
„ pter nos gessit ageremus, sicut Apostolus ait (a): *Si compati-
„ mur, & conglorificabimur* (b). Merito nos quadraginta dierum
„ numero præparari, ut digne possemus divinis interesse mysteriis.
„ Non enim summos tantum Antistites, aut secundi ordinis Sacer-
„ dotes, nec solum Sacramentorum Ministros, sed omne corpus
„ Ecclesiæ, universumque Fidelium numerum ab omnibus conta-
„ minationibus oportet esse purgatum, ut Templum Dei in tota
„ sui parte sit lucidum (c)". Notat in Paschate sumi con-
suevisse ab omnibus Eucharistiam, scribens: „ Ut tempus, in quo
„ omnia divina Sacramenta concurrunt, cum præparatione & ani-
„ marum suscipiamus & corporum". Addit „ non obesse cui-
„ quam vel proprium, vel originale peccatum, ubi justificatio non
„ meritis retribuitur, sed sola gratiæ largitate donatur. Lapsos
„ quoque & insidiarum Dæmonis fraude deceptos, pœnitentiæ la-
„ crymis ablui, & portas misericordiæ apostolica clave reserante,
„ ad remedia reconciliationis admitti (d)". Addit: „ Artifex
„ enim misericordia Dei splendidissimum in mandatis suis condidit
„ speculum, in quo homo faciem suæ mentis inspiceret, & quam
„ conformis imagini Dei, aut quam dissimilis esset agnosceret (e).
„ Justa prorsus & benigna conditio, qua divinæ potentiæ fit par-
„ ticeps homo, ut sententiam Dei ex suo liberet arbitrio, & eo
„ sibi judicio obstringat Dominum, quo judicaverit ipse conservum
„ (f)".

Sermones de Passione Domini pag. 198.

Decem & novem Sermones de Passione Domini habiti sunt a S. Leone diversis diebus, nonnullos enim recitavit Dominicis festis, alios vero Quartis Feriis. Necessitatem fidei de mysterio Incarnationis, & de Jesu Redemptore statuit etiam pro veteri Testamento. Ostendit vero, quod „ utraque natura unus est Christus, nec
„ Verbum ibi ab homine disjunctum, nec homo est dissociatus a
„ Verbo. Non est fastidita humilitas, quia nec imminuta Ma-
„ jestas. Nihil nocuit naturæ inviolabili, quod passibili oportebat
„ inferri: totumque illud Sacramentum, quod simul & humanitas
„ consummavit, & Deitas, dispensatio fuit misericordiæ, & actio
„ pietatis. Talibus enim vinculis tenebamur obstricti, ut nisi per
„ hanc opem non possemus absolvi (g)". Hinc infert: Non est
„ ergo nobis erubescenda Crux Christi, quæ de virtute est divini
„ consilii, non de conditione peccati. Quamvis enim ex infirmi-
„ tate nostra vere passus sit Dominus Jesus ... non ita tamen se
„ abstinuit a gloria sua, ut inter contumelias passionis nihil divi-
„ næ

(a) *Roman.* 8. 17.
(b) *Serm.* 9. *cap.* 1. *pag.* 177.
(c) *Serm.* 10. *cap.* 1. *pag.* 181.
(d) *Serm.* 11. *cap.* 3. *pag.* 186.
(e) *Ibid. cap.* 4. (f) *Serm.* 12. *cap.* 3. *pag.* 191.
(g) *Serm.* 1. *de Pass. cap.* 2.

S. LEO MAG.

„ næ operationis exerceret . . . Nam verbo ita manum illam ex „ ferocissimis congregatam quasi quodam fulmineo ictu stravit & „ perculit, ut omnes illi atroces, minaces, atque terribiles retro- „ acti corruerent (*a*). Verum in hac potestate non perstitit . . . „ Nam si teneri nollet, non utique teneretur, sed quis hominum „ posset salvari, si ille non se sineret comprehendi? . . . Dat ergo „ in se furentibus licentiam sæviendi, nec tamen etiam talibus de- „ dignatur se indicare Divinitas . . . Aurem servi jam ipsa sectio- „ ne demortuam . . . . in sedem dehonestati capitis revocat . . . . „ & reformat quod ipse formaverat (*b*)". De Juda autem sic sentit: „ Remedium nec te Juda transiret, si ad eam pœnitentiam „ confugisses, quæ te revocaret ad Christum, non quæ instigaret „ ad laqueum. Dicendo enim: *Peccavi tradens sanguinem justum*, „ in impietate tuæ perfidiæ perstitisti, quia Jesum, non Deum Dei „ Filium, sed nostræ tantummodo conditionis hominem, inter ex- „ trema mortis tuæ pericula credidisti, cujus flexisses misericor- „ diam, si ejus non negasses omnipotentiam (*c*)". Subdit ve- ro: „ Quidquid Domino illusionis & contumeliæ, quidquid ve- „ xationis & pœnæ furor intulit impiorum, non de necessitate to- „ leratum, sed de voluntate susceptum est . . . & sic ad omnium „ Redemptionem utebatur malitia persequentium, ut mortis ejus, „ resurrectionisque sacramento etiam interfectores sui salvi esse pos- „ sent, si crederent (*d*). Unde sceleſtior omnibus, Juda, & infe- „ licior extitisti, quem non pœnitentia revocavit ad Dominum, „ sed desperatio traxit ad laqueum . . . Cur de ejus bonitate diffi- „ dis, qui te a corporis & sanguinis sui communione non repulit „ (*e*)"? Illa Christi Domini verba: *Pater*, *si fieri potest*, *trans- eat a me calix iste*, sic exponit, scribens: „ His verbis quamdam „ formidinem profitentibus nostræ infirmitatis affectus participando „ curabat, & pœnalis experientiæ metum subeundo pellebat. In „ nobis ergo Dominus nostro pavore trepidabat, ut susceptionem „ nostræ infirmitatis indueret, & nostram inconstantiam suæ virtu- „ tis soliditate vestiret (*f*) . . . Quantum autem universis fidelibus „ hac infirmitate collatum sit, primus Beatissimus Apostolus Pe- „ trus expertus est . . . Non posset Domino Servus, & Magistro „ major esse Discipulus, qui humanæ fragilitatis trepidationem non „ vinceret, nisi victor mortis ante timuisset . . . In illum ingressa „ est veritatis inspectio, ubi erat cordis facienda correctio, quasi „ quædam illic insonaret vox Domini, ac diceret, Quo abis Petre? „ Quid in tuam conscientiam recedis? ad me convertere, in me „ confide, me sequere (*g*)". Inter duos Latrones crucifixum ideo dicit Christum, „ ut in ipsa patibuli specie monstraretur illa, „ quæ

(a) *Ibid. cap.* 3.
(b) *Ibid. cap.* 4. (c) *Ibid. cap.* 5.
(d) *Serm.* 3. *cap.* 2. (e) *Ibid. cap.* 3.
(f) *Ibid. cap.* 4. (g) *Ibid. cap.* 5.

S. LEO MAG.

„ quæ in judicio ipsius omnium hominum est facienda discretio, „ cum & salvandorum figuram fides credentis, & damnandorum „ formam blasphemantis impietas prænotaret (*a*)". Principes Sacerdotum dicentes: *Si Rex Israel est, descendat nunc de cruce, & credimus ei*, sic redarguit: „ De quo erroris fonte, Judæi, de „ quo invidiæ lacu talium blasphemiarum venena potastis? .... „ Non quidem legistis, Dominus descendit de Cruce, sed legistis, „ *Dominus regnavit a ligno* (*b*)". Hinc subdit: „ Crux ergo „ Christi Sacramentum veri & prænuntiati habet Altaris, ubi per „ hostiam salutarem naturæ humanæ celebratur oblatio. Ibi sanguis immaculati Agni antiquæ prævaricationis pacta delebat, ibi „ tota Diabolicæ dominationis conterebatur adversitas, & de elatione superbiæ viatrix humilitas triumphabat: cum tam velox „ esset fidei effectus, ut de crucifixis cum Christo Latronibus, qui „ in Christum Filium Dei credidit, Paradisum justificatus intrarit .... Exiguo temporis puncto longorum scelerum reatus aboletur (*c*)". Caiphæ furor quid significaret, sic ostendit: „ Caiphas ad exaggerandam auditi sermonis invidiam, *scidit vestimenta sua*, & nesciens, quid hac significaret insania, Sacerdotali se honore privavit ... Tu (subdit) a quo jam alienabatur hæc dignitas, ipse tibi es executor opprobrii, & ad manistandum finem veteris instituti eadem disruptio Sacerdotalem aufert ornatum, quæ mox & Templi discidit velum". Observat vero: „ Divino dispositum fuisse consilio, ut sacrilegi Judæorum „ Principes, & impii Sacerdotes ... nonnisi in solemnitate Paschali exercendi furoris sui arriperent potestatem. Oportebat „ enim ut manifesto implerentur effectu, quæ diu fuerant figurato promissa mysterio, ut ovem significativam ovis vera removeret, & in uno explerentur sacrificio variarum differentia victimarum .... Ut ergo umbræ cederent corpori, & cessarent „ imagines sub præsentia veritatis, antiqua observantia novo tollitur Sacramento, hostia in hostiam transit, sanguine sanguis aufertur, & legalis festivitas, dum mutatur, impletur. Dum „ Dei Filius (scribit) dicit: *Pater, si fieri potest, transeat a me* „ *calix iste*, nostræ utitur voce naturæ, & causam agit fragilitatis „ & trepidationis humanæ ... sed mox in alium affectum transit, & dicit: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu* ... „ *fiat voluntas tua*. Hæc vox capitis salus est totius populi, hæc „ vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes „ Martyres coronavit. Nam quis Mundi odia, quis tentationum „ turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus & pro omnibus diceret Patri, *Fiat voluntas tua*? „ Di-

(a) *Serm.* 4. *cap.* 1.
(b) *Ibid. cap.* 2.
(c) *Ibid. cap.* 3.

S.LEO MAG. „ Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ filii magno pretio redempti, gratis justificati, & cum adversitas violentæ alicujus tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ orationis utantur, ut superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis (*a*) “. Impletum in Christo dicit Isajæ Prophetæ vaticinium: *Ecce natus est puer, & datus est vobis filius, cujus imperium super humeros ejus*. „ Cum enim (scribit) Dominus „ lignum portaret Crucis, quod in sceptrum sibi converterat potestatis, erat quidem hoc apud impiorum oculos grande ludibrium, „ sed manifestabatur fidelibus grande mysterium, quia gloriosissimus „ Diaboli victor pulchra specie triumphi sui portabat trophæum, „ & signum salutis adorandum regnis omnibus inferebat “. Explicans vero illa Christi Domini verba: *Si exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum*, sic scribit: „ O admirabilis „ potentia Crucis! o ineffabilis gloria Passionis! in qua & Tribunal Domini . . . . & potestas est Crucifixi. Traxisti enim, „ Domine, omnia ad te, & cum expandisses tota die manus tuas „ ad populum non credentem, & contradicentem tibi confitendæ „ Majestatis tuæ sensum totus Mundus accepit. Traxisti, Domine, omnia ad te, cum in execrationem Judaici sceleris unam „ protulerunt omnia elementa sententiam, cum, obscuratis luminaribus Cæli, & converso in noctem die, terra quoque motibus „ quateretur insolitis, universaque creatura impiorum usui se denegaret (*b*) “. Ostendit S. Pontifex, quam immerito de affectata potentia Christus gravaretur, cujus opera Regem demonstrant, qui non humana excellit potentia, sed virtute divina. „ Revera „ Christus Romanis Legibus non contradixit; censum subiit, didrachma solvit, vectigalia non inhibuit, quæ Dei Deo, quæ „ Cæsaris Cæsari reddenda constituit: paupertatem elegit, obedientiam suasit, mansuetudinem prædicavit, hoc est vere, non „ Cæsarem impugnare, sed juvare (*c*) “. Dicit, ideo Salvatorem mulierum dolorem & lacrymas dedignatum, quia „ non decebat luctus triumphum, nec lamenta victoriam (*d*). Orationis Christi in Cruce dicentis: *Pater ignosce illis*, tantam docet fuisse virtutem, „ ut prædicatio Petri Apostoli ex iis qui dixerant: *Sanguis ejus super nos, & super filios nostros*, multorum ad pœnitentiam corda converteret (*e*) “; & addit: „ Ad hanc indulgentiam traditor Judas pervenire non potuit, quoniam proditionis filius, cui Diabolus stabat a dextris, prius in desperationem transiit, quam Sacramentum generalis redemptionis impleret. Nam mortuo pro omnibus impiis Domino, potuisset etiam hic forte consequi remedium, si non festinasset ad la-

„ queum

(a) *Ibid. cap.* 5.
(b) *Ibid. cap.* 7.
(c) *Serm.* 10. *cap.* 1.
(d) *Ibid. cap.* 3. (e) *Serm.* 11. *cap.* 3.

„ queum (*a*). Scimus (scribit S. Leo), & toto corde profitemur „ Patris & Filii, & Spiritus Sancti unam esse Deitatem, & consub- „ stantialem sempiternæ Trinitatis essentiam, in nullo a se divisam, „ & in nullo esse diversam, quia simul est intemporalis, simul est „ incommutabilis, simul quod est esse non desinens. In hac autem „ ineffabili unitate Trinitatis . . . . reparationem humani generis „ proprie Filii persona suscepit, ut quoniam ipse est, qui . . . . „ plasmatum de limo terræ hominem flatu vitæ rationalis anima- „ vit, idem naturam nostram ab æternitatis arce dejectam, amissæ „ restitueret dignitati, & cujus erat conditor, esset & reforma- „ tor (*b*) . . . Effusio pro injustis sanguinis justi tam potens fuit „ ad privilegium, tam dives ad pretium, ut si universitas captivo- „ rum in Redemptorem suum crederet, nullum tyrannica vincula „ retinerent (*c*) ". Verba vero Christi clamantis: *Quare me dereliquisti*, sic explicat S. Leo: „ Quæ vero illic vitæ intercessio „ sentienda est, ubi anima & potestate est commissa, & pote- „ state revocata? . . . . . Unde tradi Dominum passioni tam „ fuit paternæ, quam ipsius voluntatis, ut eum non solum „ Pater relinqueret, sed etiam ipse se quadam ratione desere- „ ret, non trepida discessione, sed voluntaria cessione. Conti- „ nuit enim se & ab impiis crucifixi potestas, & ut dispositione „ uteretur occulta, noluit uti virtute manifesta. Nam qui mor- „ tem & mortis auctorem sua venerat passione destruere, quomo- „ do peccatores salvos faceret, si persecutoribus repugnaret (*d*) "? A Deo dilatam dicit Incarnationem, & Passionem Christi, „ ut „ quæ diu credita sunt, antequam fierent, incunctanter honora- „ rentur. Nam cum virtus fidei in iis, quæ visui non subjacent, „ constituta sit, indulgentius nobiscum egit doctrina cælestis, quos „ in hæc Mundi tempora distulit, ut ad intelligentiæ facilitatem „ multo pluribus, quam priores, uteremur & vatibus, & testi- „ bus (*e*). Quod ergo nobis de Passione Domini Jesu Christi sa- „ cra & digito Dei scripta Evangelia nobis protestantur, sine nu- „ bilo hæsitationis accipite . . . Vera in Christo Deitas, & vera „ credatur humanitas. Ipse est Caro qui Verbum, & sicut unius „ cum Patre substantiæ, ita unius cum Matre naturæ. Non ge- „ minatus Passione, non confusus essentia, potestate impassibilis, „ humilitate mortalis, sed utraque sic utens, ut & virtus glorifi- „ care posset infirmitatem, & infirmitas non valeat obscurare vir- „ tutem . . . . Passionem Unigenito Dei subire & perpeti, non „ conditio necessitatis, sed misericordiæ fuit ratio (*f*) ". Post explicatas præcipuas Passionis Servatoris Nostri circumstantias, S. Pontifex inquirit: „ Quis vere Christum passum, mortuum, & resu- „ scitatum colit "? & respondet: „ Nonnisi ille qui cum ipso „ pati-

S. Leo Mag.

(a) *Ibid. cap.* 4. (b) *Serm.* 12. *cap.* 2.
(c) *Ibid. cap.* 3. (d) *Serm.* 17. *cap.* 2.
(e) *Serm.* 18. *cap.* 2. (f) *Ibid. cap.* 3.

S. LEO MAG.

„ patitur, & moritur, & resurgit. Et hæc quidem in omnibus „ Ecclesiæ filiis ipso jam regenerationis sunt inchoata mysterio, „ ubi peccati interitus vita est renascentis, & triduanam Domini „ mortem comitatur trina demersio, ut dimoto quodam aggere se- „ pulturæ, quos veteres suscipit sinus fontis, eosdem novos edat „ unda baptismatis: sed implendum est nihilominus opere quod „ celebratum est sacramento, & natis de Spiritu Sancto quantum- „ cumque superest mundani temporis, non sine Crucis susceptione „ ducendum est (*a*)".

Sermones de Resurrectione Domini p. 280.

Duo qui sequuntur Sermones de Resurrectione Domini inscribuntur in omnibus Codicibus, verum non ipso die Resurrectionis Dominicæ habitos esse, sed Sabbato Sancto, vel ex eo liquet, quod in postremo de Passione Domini Sermone sic dixerat S. Pontifex: „ Superest, ut de obtinendo Resurrectionis consortio differamus, „ quod ne continuato Sermone & mihi & vobis fiat onerosum, in „ diem Sabbati promissa differemus (*b*)". Præterea „ cum „ occupatissimus esset Paschalis dies, vix Sermoni locum dare po- „ terat". Productis nimirum ad multam noctem vigiliis, totum illud Officium celebrabatur, quod nunc Sabbato Sancto mane toto agitur. Tum Catechumeni sacro fonte abluebantur, ungebantur, ac propriis instruebantur documentis. Demum sacra peragebantur Mysteria, quæ magnam matutinarum horarum partem absumebant. Idem dicendum & de secundo Sermone, quippe quia eo ipso die, quo habitus, lectam fuisse inquit in Ecclesia totam Dominicæ Passionis, & Resurrectionis historiam ex Evangelicis Commentariis; quæ lectio optime congruit Sabbato Sancto, quod inter mysterium utrumque veluti medium ad utrumque pertinet. Porro in hisce Sermonibus totus est Sanctissimus Pontifex in explicando fructu ex Passione & Morte Salvatoris colligendo. Observat itaque primo: „ Ne turbatos Discipulorum animos longa mœstitudo cru- „ ciaret, denuntiatam tridui moram tam mira celeritate breviavit, „ ut dum ad integrum secundum diem pars primi novissima, & „ pars tertii prima concurrit, & aliquantum temporis spatio deci- „ deret, & nihil dierum numero deperiret. Resurrectio igitur „ Salvatoris nec animam in Inferno, nec carnem diu morata est „ in sepulchro, & tam velox incorruptæ carnis vivificatio fuit, ut „ major ibi esset soporis similitudo, quam mortis, quoniam Dei- „ tas quæ ab utraque suscepti hominis substantia non recessit, quod „ potestate divisit, potestate conjunxit (*c*)". Deinde subdit: „ Li- „ cet revolutio lapidis, evacuatio monumenti, & totius facti An- „ geli narratores, copiose veritatem Dominicæ Resurrectionis ad- „ struerent, & mulierum tamen visui, & Apostolorum frequenter „ oculis manifestus apparuit, non solum loquens cum eis, sed etiam „ habi-

(a) *Serm. 19. cap. 4.*
(b) *Serm. 19. cap. 6.*
(c) *Serm. 1. cap. 2.*

„ habitans, atque convescens, & pertractari se diligenti curioso- S. LEO MAG.
„ que contactu ab eis, quos dubitatio perstringebat, admittens (*a*)“.
In sequenti vero Sermone S. Leo observat, quod „ Crux Christi,
„ quæ salvandis est impensa mortalibus, & Sacramentum est &
„ exemplum. Sacramentum, quo virtus impletur divina. Exem-
„ plum, quo devotio incitatur humana, quoniam captivitatis jugo
„ erutis etiam hoc præstat redemptio, ut eam sequi possit imita-
„ tio. Nam si mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus,
„ ut quem sibi quisque Ducem elegerit, ejus opiniones, & mo-
„ res, atque omnia instituta sectetur, quæ nobis erit commu-
„ nio nominis Christi, nisi ut ei inseparabiliter uniamur, qui est,
„ ut ipse insinuavit, *Via*, *Veritas*, *& Vita?* Via scilicet conver-
„ sationis sanctæ, veritas doctrinæ divinæ, & vita beatitudinis
„ sempiternæ (*b*)“.

Bini sunt de Ascensione Sermones, qui nobis supersunt. In primo Sermones de Ascensione.
sic habet: „ Per omne hoc tempus, quod inter Resurrectionem
„ Domini, & Ascensionem ejus exactum est, hoc Providentia Dei
„ curavit, hoc docuit, hoc suorum & oculis insinuavit & cordibus, ut
„ Dominus Jesus Christus vere agnosceretur & resuscitatus, qui vere
„ erat natus, & passus, & mortuus (*c*). Dubitatum est ab illis,
„ ne dubitaretur a nobis (*d*). Non ii dies, qui inter Resurrectio-
„ nem Domini, Ascensionemque fluxerunt, otioso transiere decur-
„ su, sed magna in his confirmata sunt Sacramenta. In his me-
„ tus diræ mortis aufertur, & non solum animæ, sed etiam car-
„ nis immortalitas declaratur. In his per insufflationem Domini
„ infunditur Apostolis omnibus Spiritus Sanctus, & Beato Apostolo
„ lo Petro super cæteros post Regni claves ovilis Dominici cura
„ mandatur. In his, duobus Discipulis tertius in via, Dominus,
„ comes jungitur, & ad omnem nostræ ambiguitatis caliginem de-
„ tergendam, paventium ac trepidantium tarditas increpatur (*e*) ...
„ Redarguit cogitationes a veritate discordes, ingerit dubitantium
„ oculis manentia manibus suis & pedibus Crucis signa, &, ut
„ diligenter pertractentur, invitat, quia ad sananda infidelium cor-
„ dium vulnera, clavorum, & lanceæ erant servata vestigia, ut non
„ dubia fide, sed constantissima scientia teneretur, eam naturam in
„ Dei Patris consessuram throno, quæ jacuerat in sepulchro (*f*)...
„ Unde beatissimi Apostoli, omnesque Discipuli, qui & de exitu
„ Crucis fuerant trepidi, & de fide Resurrectionis ambigui, ita
„ sunt veritate perspicua roborati, ut, Domino in cælorum eunte
„ sublimia, non solum nulla afficerentur tristitia, sed etiam ma-
„ gno gaudio replerentur... cum humani generis natura conscen-
„ deret, supergressura Angelicos ordines, & ultra Archangelorum
„ ordines elevanda, nec ullis sublimitatibus modum suæ provectio-
„ nis

(a) *Ibid. cap.* 3. (b) *Serm.* 2. *cap.* 1.
(c) *Serm.* 1. *cap.* 4. (d) *Ibid. cap.* 1.
(e) *Ibid. cap.* 2. (f) *Ibid. cap.* 3.

S. LEO MAG.

„ nis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno, cujus naturæ copulabatur in Filio (*a*) . . . „ Et tantum de Ascensione Domini profecerunt, ut quicquid illis „ prius intulerat metum, verteretur in gaudium. Totam enim „ contemplationem animi in Divinitatem ad Patris dexteram con- „ sedentis erexerant, nec jam corporeæ visionis tardabantur obje- „ ctu, quo minus in id aciem mentis intenderent, quod nec a „ Patre descendendo abfuerat, nec a Discipulis ascendendo disces- „ serat (*b*) “.

Sermones de Pentecoste p. 295.

Tres subsequuntur de Pentecoste Sermones. In priore notat S. Leo, quod „ sicut Hebræo quondam Populo ab Ægyptiis libe- „ rato, quinquagesima die post immolationem Agni Lex data est in „ Monte Sina, ita post Passionem Christi, qui verus Dei Agnus „ occisus est, quinquagesimo a Resurrectionis ipsius die in Aposto- „ los, plebemque credentium Spiritus Sanctus illapsus est: ut fa- „ cile diligens Christianus agnoscat initia Veteris Testamenti E- „ vangelicis ministrasse principiis, & ab eodem Spiritu conditum „ fœdus secundum, a quo primum fuerat institutum (*c*)... Quam- „ vis autem... nec dubium sit... Majestatem Spiritus Sancti fuis- „ se præsentem, nemo tamen æstimet, in iis, quæ corporeis visa „ sunt oculis, divinam ejus apparuisse substantiam. Natura enim „ invisibilis Patri, Filioque communis, qualitatem muneris atque „ operis sui, qua voluit significatione monstravit, proprietatem „ vero essentiæ suæ in sua Divinitate continuit (*d*) “. Ex his, quæ in Actis Apostolorum de Spiritus Sancti narrantur descensu, ansam arripit S. Leo ostendendi distinctionem Divinarum Personarum; quod „ Beatæ Trinitatis incommutabilis Deitas una est „ in substantia, indivisa in opere, concors in voluntate, par „ in potentia, æqualis in gloria. De qua cum Sancta Scri- „ ptura sic loquitur, ut aut in factis, aut in verbis aliquid assi- „ gnet, quod singulis videatur convenire personis, non perturbatur „ fides catholica, sed docetur; ut per proprietatem aut vocis, aut „ operis insinuetur nobis veritas Trinitatis, & non dividat intelle- „ ctus, quod distinguit auditus. Ob hoc enim quædam sive sub „ Patris, sive sub Filii, sive sub Spiritus Sancti appellatione pro- „ muntur, ut confessio Fidelium in Trinitate non erret, quæ cum „ sit inseparabilis, nunquam intelligeretur esse Trinitas, si semper „ inseparabiliter diceretur (*e*) . . . Cum vero in die Pentecostes „ Discipulos Domini Spiritus implevit, non fuit inchoatio mune- „ ris, sed adjectio largitatis, quoniam & Patriarchæ, & Prophe- „ tæ, & Sacerdotes, omnesque Sancti, qui prioribus fuere tempo- „ ribus, ejusdem sunt Spiritus sanctificatione vegetati, & sine hac „ gratia nulla unquam instituta sunt Sacramenta, nulla sunt cele- „ brata

(a) *Ibid. cap.* 4. (b) *Serm.* 3. *cap.* 3.
(c) *Serm.* 1. *cap.* 1. (d) *Ibid. cap.* 3.
(e) *Serm.* 3. *cap.* 2.

„ brata Mysteria, ut eadem semper fuerit virtus charismatum, „ quamvis non eadem fuerit mensura donorum (*a*) ". Explicat etiam, „ quomodo divisit sibi opus nostræ reparationis misericordia „ Trinitatis, ut Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus „ Sanctus igniret (*b*) ". S.Leo Mag.

Quatuor habemus S. Leonis Sermones de Jejunio Pentecostes. Et primo ostendit, „ non ambigendum, inter cætera cælestis Sacra„ menta doctrinæ hanc spiritualis continentiæ doctrinam de Para„ cleti magisterio primitus fuisse conceptam (*c*) . . . Ecclesiæ Do„ ctores exemplis & traditionibus suis omnes Ecclesiæ filios imbue„ runt, tyrocinium militiæ Christianæ sanctis inchoare jejuniis; „ ut contra spirituales militias pugnaturi abstinentiæ arma rape„ rent, quibus vitiorum incentiva truncarent (*d*) . . . Et post „ sanctæ lætitiæ dies . . . salubriter & necessarie consuetudo est „ ordinata jejunii, ut si quid forte inter ipsa festivitatum gaudia „ negligens libertas & licentia inordinata præsumpsit, hoc religio„ sæ abstinentiæ censura castiget (*e*) ". Pentecostes jejunium ab Apostolica Traditione derivare videtur S. Leo, dum universaliter docet: „ quidquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis re„ ceptum, de Traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire „ doctrina (*f*) ". Primo docet, „ ad virtutem continentiæ nihil „ prius pertinere, quam ab erroribus abstinere (*g*) ". Monet deinde, „ fructum jejunii sterilissimum esse, nisi de Sancti Spiritus rigatio„ ne processerit. Cum dicat Apostolus nullas sibi virtutes sine ca„ ritate prodesse (*h*) ". Tertio admonet, „ ut sanctas continen„ tiæ delicias appetentes, aliquantulum nobis de terrenorum cibo„ rum abundantia subtrahamus, ita ut proficiat eleemosynis, quod „ non impenditur mensis (*i*) . . . . & dum carnales cupiditates „ continentia necat, desideriorum spiritualium fructus misericordiæ „ cura multiplicet (*k*) ". Sermones de Jejunio Pentecostes p. 313.

In Sermone primo de Apostolis Petro & Paulo ostendit S. Leo, ad quantam provexerint dignitatem Urbem Romanam Apostolorum Principes: „ ut gens sancta, populus electus, civitas Sacerdotalis „ & regia per Sacram Beati Petri Sedem caput Orbis effecta, la„ tius præsideret religione divina, quam dominatione terrena. „ Quamvis enim multis aucta victoriis jus imperii terra marique „ protulerit, minus tamen sit, quod illi bellicus labor subdidit, „ quam quod pax Christiana subjecit (*l*) ". Ideo autem S. Petrum ad arcem Romani destinatum Imperii dicit S. Leo, „ ut lux „ veritatis, quæ in omnium gentium revelabatur salutem, effica- Sermones de Apostolis Petro & Paulo p. 321.

Tricalet. Tom. VI. L „ cius

(a) *Ibid. cap.* 3. (b) *Serm.* 3. *cap.* 2.
(c) *Serm.* 1. *cap.* 1. (d) *Ibid. cap.* 2.
(e) *Ibid. cap.* 3. (f) *Serm.* 2. *cap.* 1.
(g) *Ibid. cap.* 2. (h) *Ibid. cap.* 3.
(i) *Serm.* 3. (k) *Serm.* 4. *cap.* 4.
(l) *Serm.* 1. *cap.* 1.

„ cius se ipso capite per totum Mundi corpus effunderet. Cujus
S. LEO MAG. „ enim rationis homines in hac tunc Urbe non essent? aut quæ „ usquam gentes ignorarent, quæ Roma didicisset (*a*) "? Fortitudinem & caritatem Principis Apostolorum sic extollit: „ Ad „ hanc ergo urbem, tu beatissime Petre Apostole, venire non metuis . . . sylvam istam frementium bestiarum, & turbulentissimæ profunditatis Oceanum, constantior, quam cum supra mare „ gradereris, ingrederis (*b*) ". Digreditur deinde in laudes Pauli, quem dicit „ Petro consociatum eo tempore, quo jam omnis „ innocentia, omnis pudor, omnisque libertas sub Neronis laborabat Imperio. Sed non minuitur persecutionibus Ecclesia, sed augetur, & semper Dominicus ager segete ditiori vestitur, dum grana „ quæ singula cadunt, multiplicata nascuntur (*c*) ". Tertius (1) Sermo habitus est in Octavis Apostolorum, quibus consueverat populus confluere ad gratias Deo agendas ob diem castigationis, & liberationis: Romanosque reprehendit, quod ludis Circensibus oblectarentur, scribens: „ Quis hanc Urbem reformavit saluti? Quis „ a captivitate eruit? Quis a cæde defendit? Ludus Circensium, „ an cura Sanctorum? quorum utique precibus divinæ censuræ „ flexa sententia est, ut qui merebamur iram, servaremur ad veniam (*d*) ". Sunt qui dicta in hoc Sermone de castigatione, & liberatione, intelligunt vel de vastitate Romanæ Urbis a Vandalis illata anno 405. alii vero referunt ad irruptionem Attilæ anno 452. cujus furorem S. Leo mitigavit.

Sermo de Machabæis p. 453. Sermo iste in Machabæorum laudem habuit S. Leo in die festo ipsorum. Cum recitata eo die dicat eorum gesta, & sacra lectione jam populus didicisset, non diutius ideo in iis explicandis moratur, sed hæc circa persecutiones observat: „ Qui putas quievisse „ perse-

(a) *Ibid. cap.* 3. (b) *Ibid. cap.* 4.
(c) *Ibid. cap.* 6.
(1) Tertium appello Sermonem hunc, quia secundum, cujus Auctor noster non meminit, Quesnelli secutus Editionem, ceu minime genuinum rejecit in Appendicem. Ipsius tamen legitimum fœtum agnoscunt Veronenses Editores Ballerini, qui eapropter illum loco suo restituere. In hoc itaque secundo Sermone S. Leo Petri & confessionem & excellentiam extollit, scribens: „ Ubi de Christo quid habeat Discipulo„ rum sensus, exigitur, ille primus est in Domini confessione, qui pri„ mus est in Apostolica dignitate ". Deinde collatum Petro supremum Ecclesiæ Principatum dicit, scribens: „ Propter quod dicitur beatissimo Pe„ tro: *Tibi dabo claves Regni Cælorum* .... Transivit quidem etiam „ in Apostolos alios jus istius potestatis, sed non frustra uni commenda„ tur, quod omnibus intimetur. Porro enim ideo hoc singulariter cre„ ditur, quia cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma proponitur. Manet „ ergo Petri privilegium, ubicumque ex ipsius fertur æquitate judi„ cium ". Addit: „ Specialis a Domino Petri cura suscipitur, & pro Pe„ tri fide proprie supplicatur, tanquam aliorum status certior sit futurus, „ si mens Principis victa non fuerit ".
(d) *Serm.* 3. *cap.* 1.

„ persecutionem, & nullum tibi cum hostibus esse conflictum, in- S. Leo Mag.
„ timum cordis tui scrutare secretum, & omnes animi tui recessus
„ diligenter examina, & vide, si nulla te impugnet adversitas, si
„ nullus tyrannus vult in mentis tuæ arce dominari. Noli cum
„ avaritia pacem firmare, & iniquorum quæstuum incrementa
„ contemne. Superbiæ concordiam nega, & magis time in glo-
„ riam suscipi, quam in humilitate calcari. Dissociare ab ira,
„ nec dolorem inflammet invidiæ cupido vindictæ. Renuntia vo-
„ luptati, avertere ab immunditia, pelle luxuriam, fuge iniquita-
„ tem, omitte falsitatem (1)".

In primo de Jejunio Septimi Mensis Sermone dicit: „ se suæ admonitionis addere exhortationem, ut si qui sunt in hoc exercitio tardiores, in his saltem diebus communi abstinentiæ se obedientes adjungant . . . Res enim est præcipui operis, quam & ex auctoritate indicimus, & ex caritate suademus (*a*)". Addit, quod „ illi, qui nihil omittunt de humiliatione jejunii, sub sterili fatigatione desudant, nisi se eleemosynarum qua possunt erogatione sanctificent (*b*)". Immo subdit: „ Et ad hoc etiam nos solemne jejunium septimi mensis invitat, ut a curis sæcularibus, actibusque terrenis liberos ad Dominum animos erigamus (*c*)". Docet etiam, „ sacratius esse, quod publica lege celebratur, quam quod privata institutione dependitur. Exercitatio enim continentiæ, quam sibi quisque proprio indicit arbitrio, ad utilitatem cujusdam pertinet portionis, jejunium vero, quod universa Ecclesia suscepit, neminem a generali purificatione sejungit, & tunc fit potentissimus Dei populus, quando in unitatem sanctæ obedientiæ omnium Fidelium corda conveniunt (*d*) . . . Nihil (subdit) a quoquam arduum, nihil asperum quæritur, nec aliquid nobis, quod vires nostras excedat, indicitur, sive in abstinentiæ castigatione, sive in eleemosynæ largitate. Sciunt singuli, quid possint, quidve non possint. Ipsi modulum suum pendant, ipsi justa & rationabili taxatione se censeant, ut sacrificium misericordiæ non cum tristitia offeratur, nec inter damna reputetur . . . . Hilarem enim benevolentiam esse decet, quæ sic suam temperet largitatem, ut de illa & pau-

Sermones de Jejunio Septimi Mensis p. 140.

(1) Sermonem hunc a Quesnello Leoni tributum S. Augustino auctori suo restituerunt Presbyteri Ballerini novissimi Operum S. Leonis Editores. Nec immerito. Nam in vetustissimo Lectionario MS. Vaticano, ad usum Basilicæ SS. Philippi & Jacobi S. Augustino tribuitur sub hoc titulo: *Incipit Sermo S. Augustini de SS. Machabæis Kal. Aug.* Præterea hic Sermo solemnitatem Machabæorum in ea urbe, in qua habitus est, celebrari indicat, quod Africæ quidem convenit, ubi celebris fuit, at non Romæ, ubi S. Leonis ætate nullum de Machabæis festum fuisse celebratum vel ex eo colligitur, quod nulla ejus Festi Missa notetur sive in Sacramentario S. Leonis, sive in puriori Sacramentario S. Gregorii.

(a) *Serm. 1. cap. 1.* (b) *Serm. 2. cap. 3.*
(c) *Serm. 3. cap. 3.* (d) *Ibid. cap. 2.*

S. LEO. MAG. „ perum refectio gaudeat, & domestica sufficientia non laboret (*a*)". Subdit: „ Quamvis unicuique nostrum liberum sit voluntariis castigationibus proprium corpus afficere . . . quibusdam tamen diebus ab omnibus oportet pariter celebrari generale jejunium (*b*)". De Eucharistia sic scribit: „ Sic sacræ Mensæ communicare debetis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi & sanguinis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur, dicente Domino: *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem, non habebitis vitam in vobis*. Frustra ab illis *Amen* respondetur, a quibus contra id quod accipitur disputatur (*c*)". Præcepta legis moralia non aboleta docet, scribens: „ Quamvis varietates hostiarum, differentiæ baptismatum, & otia Sabbatorum cum ipsa carnis circumcisione cessaverint, manent tamen . . . . etiam apud nos plurima præcepta moralia . . . Illæ enim partes legalium mandatorum, ex quibus quædam præcipiuntur, ut fiant, quædam interdicuntur, ut non fiant, antiquæ auctoritatis retinent firmitatem. Nec ideo eis Evangelica putanda est adversa perfectio . . . dicit enim Dominus: *Nisi abundaverit justitia vestra plusquam Scribarum, & Pharisæorum, non intrabitis in Regnum Cælorum* (*d*)... Quia & in hoc potest super Scribas & Pharisæos Christiana abundare justitia non evacuando legem, sed intelligentiam refutando carnalem. Nec enim nostra talia debent esse jejunia, qualia erant illorum, quibus Isajas Propheta, Spiritu Sancto in se loquente, dicebat: *Jejunium, & ferias, & dies festos vestros odit anima mea*. Quam mercedem, nisi laudis humanæ? propter cujus cupiditatem, justitiæ species plerumque prætenditur (*e*) . . . . Rationabile itaque, sanctumque jejunium, nulla ostentationis jactantia polluatur; nec bonum suum quisquam fidelium de humanis velit pendere judiciis. Diligenti Deum sufficit, ei placere quem diligit, quia nulla major est expetenda remuneratio, quam ipsa dilectio; sic enim caritas ex Deo est, ut Deus ipse sit caritas. Quo utique pius & castus animus ita gaudet impleri, ut nulla re creata extra ipsum cupiat delectari (*f*) . . . Quamvis per gratiam Domini nostri Jesu Christi in novam creaturam transierimus ex veteri, & imaginem nos terreni hominis homo cælestis exuerit, donec tamen corpus mortale gestamus, necesse est ut contra carnis desideria dimicemus. Bonum est enim animæ Deo subditæ timere, ne cadat, & habere quod vincat (*g*)".

Sermo contra hæresim Eutychis p. 171. Cum Ægyptii quidam præsertim negotiatores ad Urbem venissent „ asserentes, solam Deitatis in Christo fuisse naturam, nec „ carnis

(a) *Ibid. cap.* 5. (b) *Serm.* 4. *c.* 2.
(c) *Serm.* 6. *cap.* 3. (d) *Serm.* 7. *cap.* 1.
(e) *Ibid. cap.* 2. (f) *Ibid. cap.* 3.
(g) *Serm.* 8. *cap.* 1.

„ carnis humanæ, quam sumpsit ex Beata Maria Virgine, habuis- S. LEO MAG.
„ se penitus veritatem (*a*) “: istorum impietatem ut cognovit S. Leo, statim publice profligavit, Sermone habito in Basilica Sanctæ Anastasiæ. Eamque hæresim dicit, „ Sanctorum Patrum judicio & in Photini perfidia, & in Manichæi dementia, & in „ Apollinaris insania constat esse damnatam (*b*) “. Fidem deinde Catholicæ Ecclesiæ sic exponit: „ Unigenitus Dei Filius æqualis „ per omnia Patri, nostræ assumptione substantiæ, manens quod erat, „ dignatus est esse, quod non erat, verus scilicet homo, verus Deus; „ qui absque cujusdam sorde peccati, integram sibi nostram perfectamque naturam veritate & carnis & animæ univit, & intra „ uterum Beatæ Virginis Matris Spiritus Sancti virtute conceptus, „ nec editionem partus, nec primordia fastidivit infantiæ .... „ Humanum quippe est esurire, & sitire, & dormire, humanum „ est metuere, flere, tristari .... sed divinum est super mare „ ambulare, aquas in vina convertere, mortuos suscitare, Mundum propria morte tremefacere, & cum vivificata super omnem „ Cælorum altitudinem carne conscendere, ut qui hoc credunt, dubitare non possint, quid humanitati adscribere, quid debeant assignare Divinitati (*c*) “. Concludit denique: „ Hos ergo tanquam venenum mortiferum fugite, & execramini .... Justo „ etenim judicio ab Ecclesiæ unitate rejectis nulla est tribuenda „ communio (*d*) “.

Sermo de Transfiguratione Domini p. 192.

In hoc Sermone Evangelii Textum explanat S. Leo, in quo Transfigurationis Christi narratur historia. Primo itaque Petri fidem extollit, qua „ tantum complacuit, ut beatitudinis felicitate „ donatus, sacram inviolabilis petræ acciperet firmitatem (*e*) “. Causas deinde Transfigurationis exponit, nimirum 1. ut „ Apostoli „ nihil de suscipiendæ Crucis asperitate trepidarent, ut de supplicio Christi non erubescerent (*f*); & de cordibus discipulorum „ Crucis scandalum tolleretur, nec conturbaret eorum fidem voluntariæ humilitas Passionis, quibus revelata esset absconditæ „ excellentia dignitatis (*g*): 2. Ut spes sanctæ Ecclesiæ fundaretur, ut totum corpus Christi agnoscerent, quali esset commutatione donandum, & ejus sibi honoris consortium membra promitterent, qui in capite refulsisset (*h*) “. Verba Patris: *Hic est Filius meus dilectus... ipsum audite*, sic exponit S. Pontifex, quasi diceret: „ *Hic est Filius meus*, cui ex me & mecum esse „ sine tempore est ... quem a me non separat Deitas, non divi„ dit potestas, non discernit æternitas ... Filius non adoptivus, „ sed proprius, non aliunde creatus, sed ex me genitus, nec de „ alia natura mihi factus comparabilis, sed de mea essentia mihi

(a) *Ibid. cap.* 1. (b) *Ibid. cap.* 2.
(c) *Ibidem*. (d) *Ibid. cap.* 3.
(e) *Ibid. cap.* 1. (f) *Ibid. cap.* 2.
(g) *Ibid. cap.* 3. (h) *Ibidem*.

S. LEO MAG.

„ natus æqualis . . . . quia omnia quæ facio similiter facit, & „ quidquid operor, inseparabiliter mecum atque indifferenter operatur . . . . qui manens in forma gloriæ meæ, ut ad reparandum genus humanum exequeretur commune consilium, usque ad formam servilem inclinavit incommutabilem Deitatem (*a*). *Ipsum audite*, quem legis mysteria prænuntiarunt, „ quem Prophetarum ora cecinerunt, qui sanguine suo Mundum redemit . . . qui peccati chirographum, & prævaricationis pacta disrumpit . . . . *Ipsum audite*, qui viam aperit ad „ cælum, & per Crucis supplicium gradus nobis ascensionis parat „ ad regnum . . . . Fiat quod me volente vult Christus (*b*)". Quæ verba notat S. Leo, in illis tribus Apostolis universa audivit Ecclesia.

Epistolæ S. Leonis p. 389.

Epistola ad Episcopos Mauritaniæ in Editione Quesnelliana primum obtinet locum, sed in recenti Editione Presbyterorum Veronensium duodecima est: illa caret omni temporis nota. Ex ea apparet, S. Pontificem jam ante plures alias scripsisse Epistolas ex iis, quas Decretales appellat, sed quæ ad nos usque minime pervenere. Meminit etiam alterius Epistolæ ad eos Mauritaniæ Episcopos datæ, quæ deperdita est. Harum conscribendarum Epistolarum hæc causa fuit. „ Cum de ordinationibus Sacerdotum quædam apud „ Cæsarienses illicite usurpata, crebrior sermo ad S. Leonem detulisset, ipse vicem curæ suæ proficiscenti Consacerdoti Potentio „ delegavit, qui secundum scripta, quæ per ipsum ad Episcopos „ direxerat, de Episcopis, quorum culpabilis ferebatur electio, „ quid veritas haberet, inquireret, sibique omnia fideliter indicaret (hæc epistola deperdita est) (*c*)". Potentius Sanctissimi Pontificis jussa implevit, eumque de statu Ecclesiarum Mauritaniæ certiorem fecit, monuitque, „ per occasionem temporis impacati, „ aut ambientium præsumptionem, aut tumultum valuisse popularem, ut indignis quibusque, & longe extra Sacerdotale meritum constitutis, pastorale fastigium, & gubernatio Ecclesiæ data fuissent; quorum aliqui vel Laici erant, vel ex hæresi conversi, vel Bigami, etiam duas uxores eodem tempore retinentes". His compertis S. Pontifex dolore percitus, alteram dedit ad eosdem Episcopos Epistolam (& ea est, cujus modo synopsim exhibemus), in qua quæ in Episcoporum electione sint servanda proponit scribens: „ Elaborandum est, ut in electione „ ejus, qui supra omnes gradus constituitur, non erretur. . . monente Apostolo: *Manum cito nemini imposueris*. Quid est cito „ manus imponere, nisi ante ætatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum obedientiæ, ante experientiam disciplinæ „ Sacerdotalem honorem tribuere non probatis (*d*)"? Addit, inter alias electionis regulas ab Apostolo præstitutas & illam ser-

„ vandam

(a) *Ibid. cap. 6.* (b) *Ibid. cap. 6.*
(c) *Ibid. cap. 1.* (d) *Ibid. cap. 2.*

„ vandam esse, qua præcipit: „ ut is Episcopus ordinetur, qui „ *unius uxoris virum* fuisse aut esse constiterit; tam sacrata semper habita est ista præceptio, ut etiam de muliere Sacerdotis eligendi eadem intelligeretur servanda conditio, ne forte illa prius, „ quam in matrimonium ejus veniret, qui aliam non habuisset „ uxorem, alterius viri esset experta conjugium (*a*) ". Statuit itaque: „ Eos, qui vel secundas nuptias inivertunt, vel viduarum „ se conjugio sociarunt, nec Apostolica, nec legalis authoritas Sacerdotium obtinere permittit, & multo magis illum, si fuerit in „ vestro judicio confutatus, qui, sicut ad nos relatum est, duarum „ simul est maritus uxorum, vel illum, qui ab uxore dimissus, „ alteram duxisse perhibetur ". Addit: quod „ apertissimæ exigunt causæ, ut Ecclesiæ, in quibus illa commissa sunt, judicio „ severiore purgentur, & non solum in tales Præsules, sed etiam in Ordinatores eorum ultio competens proferatur. Sed circumstant nos hinc mansuetudo clementiæ, hinc censura justitiæ; nam *universæ viæ Domini misericordia & veritas* ". Laicis vero ad officium Episcopale delectis, licet uxores haberent, susceptum tenere permittit Sacerdotium; addit tamen, „ non præjudicantes Apostolicæ Sedis statutis, nec Beatorum Patrum regulas resolventes, quibus salubriter constitutum est, „ ne primum, aut secundum, aut tertium in Ecclesia gradum „ quisquam Laicorum . . . . ascendat, priusquam ad hoc meritum per legitima augmenta perveniat (*b*) ". Quod & de Maximo quoque Laico statuit, dicens: „ Maximum quoque ex „ Laico . . . . tamen si Donatista jam non est . . . . ab Episcopali, quam quoquo modo adeptus est, non repellimus dignitate (*c*) ".

S. LEO MAG.

Epistola ad Rusticum Narbonensem p. 1416.

Epistola ad Rusticum Narbonensem Episcopum nota temporis caret, & scripta creditur post annum 445. eo quia Hermes, qui Rustici literas ad Leonem attulit, eo anno nonnisi Diaconus erat, ut patet ex inscriptione Narbonensis Ecclesiæ a Quesnello in Notis recusa, qui tamen in exordio Epistolæ Leonis ad Rusticum Archidiaconus dicitur; ergo Epistola post eam inscriptionem, seu post annum 445. exarata fuit, cum Hermes a Diaconatu ad Archidiaconatum provectus fuit (1). S. Rusticus filius fuit Bonosi Episcopi, & Nepos ex Matre alterius Episcopi nomine Aratoris. Ejus Mater ipsius infantiæ & pueritiæ curam gessit, & post exacta in Galliarum Scholis studiorum curricula, Romam misit, ut & in oratoria facultate excoleretur, & Gallicanam solutionem Romana gravitate temperaret. Sic enim habetur in e-

L 4 pistola

(a) *Ibid. cap.* 3.
(b) *Ibid. cap.* 3.
(c) *Ibid. cap.* 4.
(1) At probabilius eam datam circa annum 458. conjectant Ballerini Editores non contemnendis argumentis legendis Tom. 1. p. 1411.

piſtola S. Hieronymi ad Ruſticum, quia hunc ipſum eſſe noſtrum S. LEO MAG. credimus. Hunc hortatus erat S. Doctor, ut Matrem ceu ſanctam mulierem veneraretur, ab ea tamen diſcedere non refugeret, ut deſertum incoleret, ſeu potius in Monaſterium aliquod ſe reciperet, cum vita cœnobitica minoribus obnoxia ſit periculis anachoretica, niſi qui hanc malunt, ſint probe in virtute inſtructi & fundati. Hieronymi conſilium ſecutus Ruſticus in Monaſterium ſeceſſit, ubi & Venerius poſtea Maſſilienſis Epiſcopus degebat; promotus deinde ad Presbyteratum fuit, quod vaticinatus videtur Hieronymus, dum ſcribens illum hortabatur, ut ita in Monaſterio viveret, quaſi ad Clerum cooptandus, ſi forte ab Eccleſia maturiore ætate aſſumeretur. Poſt Presbyteri munus per aliquot annos in Eccleſia Narbonenſi exercitum ad ejus urbis Epiſcopatum provehitur 7. Idus Octobris anni 427. vel 430. Frequentia bella inter Gothos Arianos, Romanoſque, qui tunc Narbonæ rerum potiebantur, difficile ac ſalebroſum ei præſtiterunt Epiſcopale munus, & difficultates in immenſum auxere ſcandala in ejus Diœceſi exorta ob diſcordias plebis, & populi, adeo ut vacationem ab Epiſcopatus laboribus præoptare ſcripſerit S. Leoni, & malle in ſilentio atque otio vitam degere. At S. Pontifex ab hoc eum conſilio revocare non omittit, ſcribens: „ Dicente Domino: *Beatus qui* „ *perſeveraverit uſque in finem*, unde erit beata perſeverantia, „ niſi de virtute patientiæ? . . . Quod non in eo tantum computanda eſt, quod contra Chriſtianam pietatem aut ferro aut ignibus agitur, aut quibuſcumque ſuppliciis, cum perſecutionum ſævitiam ſuppleant & diſſimilitudines morum, & contumaciæ inobedientiæ, & malignarum tela linguarum . . . Et ſi vehementior tribulatio incubuerit, non ita expaveſcamus, quaſi illi adverſitati propriis viribus reſiſtendo, cum & conſilium noſtrum & fortitudo ſit Chriſtus, ac ſine quo nihil poſſumus, per ipſum cuncta poſſumus . . . Permanendum eſt ergo in opere credito, & in labore ſuſcepto. Conſtanter tenenda eſt juſtitia, & benigne præſtanda clementia. Odio habeantur peccata, non homines. Corripiantur tumidi, tolerentur infirmi, & quod in peccatis ſeverius caſtigari neceſſe eſt, non ſævientis plectantur animo, ſed medentis". Epiſtolæ ſuæ Conſultationes quaſdam adjecerat Ruſticus circa diſciplinam, quarum reſolutiones a S. Leone flagitabat. Reſpondit breviter S. Pontifex, de illis tamen dicens: „ Quid ſentiendum ſit, opportunius quæreretur, ſi nobis tui conſpectus copia proveniret. Nam cum quædam interrogationes modum diligentiæ videantur excedere, intelligo eas colloquiis aptiores eſſe, quam ſcriptis". Primæ itaque inquiſitioni reſpondet: „ Nulla ratio ſinit, ut inter Epiſcopos habeantur, qui nec a Clericis ſunt electi, nec a Plebibus ſunt expetiti, nec a Provincialibus Epiſcopis cum Metropolitani judicio conſecrati. Qui autem Clerici ab iſtis Pſeudo-Epiſcopis in Eccleſiis ordinati ſunt, quæ ad proprios Epiſcopos pertinebant, & Ordinatio eorum conſenſu & judicio Præſidentium facta eſt,

„ poteſt

„ potest rata haberi, ut in ipsis Ecclesiis perseverent (*a*)". Ex hac responsione pronum est colligere, hos Pseudo-Episcopos vere tamen Episcopali charactere fuisse insignitos, suscepto tamen illicita Ordinatione, ut contigit in Armentario Embredunensi deposito in Concilio Rejensi. 2. Sic statuit: „ Alienum est a consuetudine Ecclesiastica, ut qui in Presbyterali honore, aut in „ Diaconii gradu fuerint consecrati, ii pro crimine aliquo suo per „ manuum impositionem remedium accipiant pœnitentiæ... Unde hujusmodi lapsis ... privata est expetenda secessio (*b*)": 3. Dicit: „ Lex continentiæ eadem est Ministris Altaris, quæ Episcopis, atque Presbyteris: qui cum essent Laici, seu Lectores, „ licite & uxores ducere, & filios procreare potuerunt. Sed cum „ ad prædictos pervenirent gradus, cœpit eis non licere quod licuit. Unde ut de carnali fiat spiritale conjugium, oportet, eos „ nec dimittere uxores, & quasi non habeant sic habere (*c*)". Nomine Ministrorum Ecclesiæ, qui continentiam servare tenentur, intelligit S. Leo etiam Subdiaconos, ut apparet ex ejus epistola ad Anastasium Thessalonicensem (*d*). 4. Docet: „ Aliud est nupta, „ aliud est concubina; hinc ancillam a toro abjicere, & uxorem „ certæ ingenuitatis accipere, non est duplicatio conjugii, sed profectus est honestatis (*e*)". Hic S. Leo de concubinis illis servilis conditionis loquitur, quæ domino suo legitimo matrimonio minime conjunctæ erant, non vero de concubinis illis, quæ vere uxores erant, licet secundum leges uxoris titulo non donarentur. „ 5. De iis qui in ægritudine pœnitentiam accipiunt, & cum revaluerint, agere eam nolunt"; statuit, „ non penitus deserendos, ut crebris cohortationibus invitati, quod necessario expetierunt, fideliter exequantur. Nemo enim desperandus est, dum „ in hoc corpore constitutus est (*f*). 6. De iis, qui jam deficientes pœnitentiam accipiunt, & ante communionem moriuntur", docet, „ horum causam Dei judicio reservandam esse, „ in cujus manu sunt .... nos autem, quibus viventibus non „ communicavimus, mortuis communicare non possumus (*g*). 7. De „ his qui dolore nimio perurgente rogant dari sibi pœnitentiam, „ & cum venerit Presbyter daturus quod petunt, si dolor parum „ perquieverit, excusant, & nolunt accipere quod offertur", decernit, „ ut pœnitentia quæ dilata est, cum studiosius petita fuerit, non denegetur (*h*). Pœnitentes a multis etiam licitis abstinere debent ... Unde si Pœnitens habet causam, quam negligere

S. LEO MAG.

(a) *Inquisit.* 1. *pag.* 1420.
(b) *Inquisit.* 2. *pag.* 1421.
(c) *Inquisit.* 3.
(d) *Epist.* 14. *al.* 12. *pag.* 84.
(e) *Inquisit.* 6. *pag.* 1423.
(f) *Inquisit.* 7. 16. (g) *Inquisit.* 8. 16.
(h) *Inquisit.* 9. *pag.* 1424.

S. Leo Mag.

,, gligere forte non debeat, melius expetit Ecclesiasticum quam forense judicium (*a*) ". Addit: ,, Pœnitenti utilius est dispendia ,, pati, quam periculis negotiationis obstringi (*b*). Nec licet post ,, pœnitentiæ actionem redire ad militiam sæcularem (*c*). Nihil ,, magis congruit ei, qui pœnitentiam gessit, quam castitas perse- ,, verans; at in adolescentia constitutus timens lapsum incontinen- ,, tiæ juvenilis, ne crimen fornicationis incurreret, rem videtur ,, fuisse venialem, si præter uxorem nullam omnino cognoverit. ,, In quo tamen non regulam constituimus, sed quid sit tolerabi- ,, lius, æstimamus (*d*). Monachus, qui relicta professione ad mi- ,, litiam, vel ad nuptias devolutus est, publicæ pœnitentiæ satis- ,, factione purgandus est (*e*). Puellæ, quæ . . . spontaneo judi- ,, cio Viginitatis propositum, atque habitum susceperunt, si postea ,, nuptias eligant, prævaricantur, etiamsi consecratio non accesse- ,, rit (*f*) ". Duplex erat Virginum classis, illarum nimirum, quæ vel in Monasterio solemni professione Deo se offerebant, vel simplici voto Religiosam vestem suscipientes, castitatem profitebantur, degentes apud suos; altera erat classis illarum, quæ & consecrationis munere donabantur, quæque consecratio nonnisi quadragenariis Virginibus donabatur, ut statuit idem S. Pontifex, & quidem a solo Episcopo festivo die. ,, De iis, qui a parentibus Chri- ,, stianis parvuli derelicti sunt, & utrum baptizati sint, non potest ,, inveniri ", statuit, ,, agendum esse, ut renascantur: ne mani- ,, feste pereant, in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non ,, sinit, ut videatur iteratum (*g*). De iis vero, qui nesciunt, in ,, qua secta baptizati sint ", decernit; ,, quoniam quolibet modo ,, formam baptismi acceperint, baptizandi non sunt, sed per ma- ,, nuum impositionem invocata Spiritus Sancti virtute, quam ab ,, Hæreticis accipere non potuerunt, Catholicis copulandi sunt (*h*) ". Petierat Rusticus: ,, De iis, qui parvuli quidem baptizati, & a ,, Gentilibus capti sunt, & cum illis Gentibus convixerunt, cum ,, ad Romanam adhuc juvenes venerint Ecclesiam, si communionem ,, petierint ", quid foret observandum. Respondet S. Leo: ,, Si ,, convivio solum gentilium, & immolatitiis usi sunt, possunt je- ,, juniis, & per impositionem manuum purgari; si autem Idola ,, adoraverunt, aut homicidiis vel fornicationibus contaminati sunt, ,, ad communionem eos nisi per pœnitentiam publicam oportet ad- ,, mitti (*i*) ". Hic sermo est de impositione manuum a confirmatione, & publica pœnitentia distincta.

Epistola ad Episcopos Campaniæ 4. al. 3. p.611.

In hac epistola statuit S. Leo, ut quicumque ad Sacerdotium, vel viduarum mariti, vel habentes numerosa conjugia, vel servi cum

(a) *Inquisit.* 10. 16. (b) *Inquisit.* 10. 16.
(c) *Inquisit.* 11. *pag.* 1425. (d) *Inquisit.* 13. 16.
(e) *Inquisit.* 14. *pag.* 1426. (f) *Inquisit.* 15. 16.
(g) *Inquisit.* 16. *pag.* 1427. (h) *Inquisit.* 18. *pag.* 1428.
(i) *Inquisit.* 19. *pag.* 1428.

S. LEO MAG.

cum ſint, promoti fuerint, ab Eccleſiaſticis officiis iidem arceantur. Quod ſi qua emerſerit difficultas, ſibi ſpecialiter diſcuſſionis curam vendicat (*a*). Denunciat etiam: „ quod ſi quis fratrum „ contra hæc conſtituta venire tentaverit, & prohibita fuerit auſus „ admittere, a ſuo ſe noverit officio ſubmovendum . . . Ne quid „ vero ſit, quod prætermiſſum a nobis forte credatur, omnia De- „ cretalia Conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam o- „ mnium Decretorum, quæ de Eccleſiaſticis Ordinibus, & Cano- „ num promulgata ſunt diſciplinis. . . . cuſtodiri debere manda- „ mus (*b*) “. Ex quibus verbis apparet manifeſte, etiam S. Leonis ævo Decretalium Pontificiorum Codicem extitiſſe.

Epiſtola ad Epiſcopos Metropolitanos per Illyricum conſtitutos 5. & ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem 4. al. 6. p. 6. 7. & ſeqq.

Conſuetudo erat Summorum Pontificum poſt S. Damaſum, & Siricium Theſſalonicenſibus Epiſcopis vices ſuas committere in regimine Eccleſiarum Illyrici. Hæc cura jam Anaſtaſio demandata fuerat a Sixto III. ſaltem anno 435. At cum Theſſalonicenſis Antiſtes S. Leonem ejus loco ſuffectum fuiſſe comperiſſet, per Presbyterum Nicolaum idem munus ſibi confirmari poſtulavit. Annuit libenter S. Leo epiſtola data pridie Idus Januarii anni 444. ſcribens: „ ſe beatæ „ recordationis Siricii exemplum ſequi, qui ſanctæ memoriæ Aniſio „ prædeceſſori ſuo bene de Apoſtolica Sede tunc merito, & rebus „ poſt ſequentibus approbato certa tum primum ratione commiſit, „ ut illam Provinciam poſitis, quas ad diſciplinam teneri voluit, „ Eccleſiis ſubveniret (*c*) “. Sicque illum hortatur: „ Credita „ itaque tibi gubernacula pervigil tene, & mentis tuæ oculos per „ omnia, quæ curæ tuæ videas injuncta, circumfer . . . & his, „ qui diſciplinam labefactare nituntur, obſiſtens. . . Per commiſſas „ tibi Provincias tales Domino Sacerdotes, quibus ſola vita, & „ clericalis ordinis ſuffragentur merita, conſecrentur. Nihil gra- „ tiæ perſonali, nihil redemptis permittas licere ſuffragiis “. Jubet, „ ne quiſquam credat poſſe ad Sacerdotium pervenire, qui „ uxorem, antequam Chriſti gratiam conſequeretur, accepit, qua „ deficiente alteram poſt baptiſmum conjunxerit ſibi (*d*) “. Mandat præterea: „ Nullus te inconſulto per illas Eccleſias ordinetur „ Antiſtes; ita enim fiet ut ſint de eligendis matura judicia, dum „ tuæ dilectionis examinatio formidetur. Quiſquis vero a Metro- „ politanis Epiſcopis præter tuam notitiam fuerit ordinatus, nul- „ lam ſibi apud nos ſtatus ſui noverit eſſe firmitatem . . . ſingulis „ autem Metropolitanis ſicut poteſtas iſta committitur, ut in ſuis „ Provinciis jus habeant ordinandi, ita eos Metropolitanos a te „ volumus ordinari maturo tamen & decocto judicio (*e*) “. Decernit etiam, ut „ ad Synodum quiſquis fratrum fuerit evocatus, „ occurrat, nec ſanctæ congregationi ſe deneget, in qua maxime „ con-

(a) *Ibid. cap.* 1. & 2.
(b) *Ibid. cap.* 5. *pag.* 616.
(c) *Epiſt. ad Anaſt. cap.* 2.
(d) *Ibid. cap.* 2. (e) *Ibid. cap.* 4.

S. LEO MAG.

„ conſtituendum eſſe noverit, quod ad Diſciplinam poterit Eccle- „ ſiaſticam pertinere. Melius enim omnis culpa vitabitur, ſi inter „ Sacerdotes Domini collatio frequentior habeatur; & emendatio- „ ni pariter & caritati plurimum præſtat adunata ſocietas. Illic ſi „ quæ cauſæ natæ fuerint... ita poterunt terminari, ut contentio „ nulla reſideat ... ſi qua vero cauſa major evenerit ... rela- „ tio tua miſſa nos conſulat, ut revelante Domino .... quod „ ipſe nobis adſpiraverit, reſcribamus .... ut enim auctoritatem „ tuam vice noſtra te exercere volumus, ita nobis quæ illic com- „ poni non potuerint, vel qui vocem appellationis emiſerit pro Tra- „ ditione veteris inſtituti, & debita Sedis Apoſtolicæ reverentia, „ reſervamus (a) ". Conqueritur etiam: „ a quibuſdam fratribus „ ſolos Epiſcopos tantum diebus Dominicis ordinari; Presbyteros „ vero & Diaconos ... paſſim quolibet die dignitatem officii Sa- „ cerdotalis accipere, quod contra Canones ac Traditiones Patrum „ uſurpatum ", ait, atque corrigendum committit. Interſtitia quoque ſervanda jubet, ſcribens: „ Per longa temporum curricula „ qui Sacerdos, vel Levita ordinandus eſt, per omnes Clericalis „ officii ordines provehitur ". In Epiſtola vero ad Epiſcopos Me- tropolitanos per Illyricum conſtitutos paria præbet monita, & inſinuat decreta.

Epiſtolæ duæ ad Epiſcopos Galliæ.

Duæ hæ Epiſtolæ S. Hilarium Arelatenſem Epiſcopum reſpiciunt. Hic ſiquidem S. Epiſcopus Romam venit circa finem anni 444. cauſam ſuam acturus adverſus Celidonium; at cum nec Pontificem perſuadere poſſet, nec ejus Concilium, Roma ſe proripuit. Ejus inopinatum diſceſſum indigne ferens S. Leo, binas dedit ad Epiſcopos Galliæ Epiſtolas, in quarum altera, quæ breviſſima eſt, monet Viennenſis Provinciæ Epiſcopos, ſe jus Metropoliticum ab Eccleſia Arelatenſi ad Viennenſem tranſtuliſſe. Verum hæc Epiſtola dubiæ eſt fidei (1); quippe quæ data ſcribitur 4. Conſulatu Valentiniani cum Avieno; cum numquam hic Imperator Conſulatum cum Avieno geſſerit, & cum Valentinianus quarto Conſul renuntiatus fuit, S. Leo nondum Pontificalem Cathedram conſcenderat. Stylus quoque Epiſtolæ a Leonino diſcordat, nullaque probabilis ratio poteſt afferri, cur binas Epiſtolas de eodem argumento eiſdem Epiſcopis uno tempore conſcripſerit. In altera vero, quæ fuſior eſt (b), primo narrat controverſiam cum Hilario ob depoſitionem Celidonii, dum ſcribit: „ Illis compertum, Apoſtolicam Sedem pro ſui reverentia a veſtræ etiam Pro- „ vinciæ Sacerdotibus innumeris relationibus eſſe conſultam, & per „ diverſarum ... appellationem cauſarum aut retractata, aut con- „ firma-

(a) *Ibid. cap.* 5.
(1) Immo merito inter ſpurias rejecerunt Editores Ballerini, qui eam in Appendice collocarunt pag. 1469. additis ſuæ opinionis non contemnendis argumentis.
(b) *Epiſt.* 10. *pag.* 632.

„ firmata fuisse judicia . . . Hilarius vero Ecclesiarum statum, & „ concordiam Sacerdotum novis præsumptionibus turbaturus excessit, „ ita suæ nos cupiens subdere potestati, ut se beato Apostolo Pe- „ tro non patiatur esse subjectum (*a*). Absolutus est Celidonius „ Episcopus, quoniam se injuste Sacerdotio fuisse dejectum mani- „ festa testium responsione, ipso etiam præsente, monstraverat, ita „ ut quod Hilarius nobiscum residens posset apponere non haberet „ (*b*) ", & denique concludit: „ Nec ultra Hilarius audeat con- „ ventus indicere Synodales, & Sacerdotum Domini judicia se in- „ terferendo turbare. Qui non tantum noverit se ab alieno jure „ depulsum, sed etiam Viennensis Provinciæ, quam male usurpave- „ rat, potestate privatum (*c*); & fratrem ac Coepiscopum no- „ strum Leontium hac, si vobis placet, dignitate volumus decora- „ ri, ut præter ejus consensum alterius Provinciæ non indicetur a „ vestra sanctitate Concilium, & a vobis omnibus, quemadmo- „ dum vetustas ejus & probitas exigit, honoretur (*d*) ". S.Leo Mag.

Cum Dioscorus (1) Archidiaconus Alexandrinus ad Episcopatum hujus Ecclesiæ fuisset assumptus post S. Cyrilli obitum, misit anno 444. Romam Presbyterum Possidonium, ut de sua Ordinatione Sanctum Leonem certiorem redderet. Respondit S. Pontifex 11. Kal. Julii anno 445., nonnullas illi mittens servandas instructiones circa Clericorum Ordinationes, & Sacrificii celebrationem. De Ordinationibus autem sic scribit: „ Non passim diebus omnibus Sa- „ cerdotalis, vel Levitica ordinatio celebretur, sed post diem Sab- „ bati ejus noctis, quæ in prima Sabbati elucescit, exordia deli- „ gantur, in quibus his, qui consecrandi sunt, jejunis, & a jeju- „ nantibus sacra benedictio conferatur (*e*) ". De Sacrificio vero sic monet: „ Cum solemnior quædam festivitas conventum populi „ numerosioris indixerit, & ea Fidelium multitudo convenerit, „ quam recipere Basilica simul una non possit, Sacrificii oblatio „ indubitanter iteretur, ne his tantum admissis ad hanc devotio- „ nem qui primi advenerint, videantur hi, qui postmodum conflu- „ xerint, non recipi, cum plenum pietatis atque rationis officium „ sit, ut quoties Basilicam, in qua agitur, præsentia novæ plebis „ impleverit, toties Sacrificium subsequens offeratur (*f*) ". Hæc enim erat & Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ex qua pronum est colligere, tum Romæ, tum Alexandriæ etiam in solemnioribus diebus Epistola ad Dioscorum 9 al. 11. pag. 628.

(a) *Ibid. cap.* 3. *pag.* 634. (b) *Ibid. cap.* 3.
(c) *Ibid. c.* 3. (d) *Ibid. cap.* 9.
(1) Hic est ille idem, qui Eutychetis errores postmodum defendit, aususque est in S. Leonem excommunicationis sententiam proferre: at depositus ipse fuit in Concilio Constantinopolitano anno 430. & postmodum ad Chalcedonense Concilium citatus anno 451. iterum omnium calculo damnatus fuit, & Episcopatu dejectus.
(e) *Ibid. cap.* 1. *pag.* 629.
(f) *Ibid. c.* 2. *pag.* 631.

S. LEO MAG.

diebus non niſi unum conſueviſſe celebrari Sacrificium. Claudit denique Epiſtolam, ſcribens: „ Poſſidonio Presbytero hanc ad fraternitatem tuam Epiſtolam dedimus preferendam, qui noſtris „ Proceſſionibus, atque Ordinationibus frequenter interfuit . . . . „ quid in omnibus Apoſtolicæ auctoritatis teneremus, agno- „ vit (*a*) ".

Epiſtola ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem 16. al. 14. p. 681.

Anaſtaſio Theſſalonicenſium Antiſtiti, cui vices ſuas per Illyricum commiſerat S. Leo, plura exhibet Eccleſiaſtica monita fideliter cuſtodienda. Monet itaque, „ ut is qui ordinandus eſt . . . . non „ laicus, non neophytus, nec ſecundæ conjugis ſit maritus, aut „ qui unam quidem habeat, vel habuerit, ſed qui ſibi viduam co- „ pularit (*b*) ". Deinde ſubdit: „ Nec Subdiaconis quidem carna- „ le connubium conceditur ... Quod ſi in hoc Ordine, qui quartus „ a capite eſt, dignum eſt cuſtodiri, quanto magis in primo aut „ ſecundo, vel tertio ſervandum eſt, ne aut Levitico aut Presby- „ terali honore, aut Epiſcopali excellentia quiſquam idoneus exi- „ ſtimetur, qui ſe a voluptate uxoria necdum frænaſſe detegitur (*c*) . . . Cum de Summi Sacerdotis electione tractabitur, ille o- „ mnibus præponatur, quem Cleri Plebiſque conſenſus concorditer „ poſtulaverit, ita ut ſi in aliam forte perſonam partium ſe vota „ diviſerint, Metropolitani judicio is alteri præferatur, qui majo- „ ribus & ſtudiis juvatur & meritis (*d*) ". De Conciliis autem ſic ſtatuit: „ ut bini Conventus per annos ſingulos habeantur, ut „ de querelis judicetur . . . . Si vero de majoribus peccatis cauſa „ naſcitur, quæ Provinciali nequeant examine definiri . . . frater- „ nitatem tuam de totius negotii qualitate Metropolitanus curabit „ inſtruere . . . ut ſi nec tuo res fuerit ſopita judicio, ad noſtram „ cognitionem . . . transferatur (*e*) ". De Conciliis vero Generalibus totius Illyrici ſtatuit: „ Si cauſa aliqua major extiterit, „ ob quam rationabile ac neceſſarium ſit fraternum advocare con- „ ventum, binos de ſingulis Provinciis Epiſcopos, quos Metropo- „ litani crediderint eſſe mittendos, ad fraternitatem tuam venire „ ſufficiat, ita ut a præſtituto tempore non ultra quindecim dies, „ qui convenerint, retardentur (*f*) . . . . Si autem . . . . diverſa „ fuerit eorum a tua voluntate ſententia, ad nos omnia ſub geſto- „ rum teſtificatione referantur, ut remotis ambiguitatibus, quod „ Deo placet decernatur (*g*) ". De Epiſcopis vero ſic ſtatuit: „ Si quis Epiſcopus Civitatis ſuæ mediocritate deſpecta adminiſtra- „ tionem loci celebrioris ambierit, & ad majorem ſe plebem qua- „ cumque ratione tranſtulerit, a Cathedra quidem pellatur aliena, „ ſed carebit & propria: ut nec illis præſideat, quos per avari- „ tiam concupivit, nec illis, quos per ſuperbiam ſprevit (*h*) ".

De

(a) *Ibid. pag.* 632. (b) *Ibid. cap.* 3. *pag.* 687.
(c) *Ibid. cap.* 4. (d) *Ibid. cap.* 5.
(e) *Ibid. cap.* 7. *pag.* 689. (f) *Ibid. cap.* 10. *pag.* 690.
(g) *Ibid. cap.* 11. (h) *Ibid. cap.* 8.

De Clericis vero sic monet ": Alienum Clericum invito Episcopo „ ipsius nemo suscipiat, nemo sollicitet ... Transfugam vero Clericum ad suam Ecclesiam Metropolitanus redire compellat (*a*)". Denique Anastasium ejusque Coepiscopos ad concordiam hortatur, dicens: „ Hortor, & moneo, ut quæ pie sunt ordinata, salubriterque disposita, nulla concertatione turbentur .... Connexio „ totius corporis unam sanitatem, unam pulchritudinem facit, & „ hæc connexio totius quidem corporis unanimitatem requirit, sed „ præcipue exigit concordia Sacerdotum. Quibus cum dignitas sit „ communis, non est tamen ordo generalis: quoniam inter beatissimos Apostolos in similitudine honoris quædam fuit discretio „ potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen datum „ est, ut cæteris præemineret (*b*)". S. LEO MAG.

Priscillianistæ ævo S. Leonis Hispanias sua hæresi infecerant, & præsertim Gallæciæ Provinciam. Hinc S. Turribius Asturicensis Episcopus una cum Episcopo Idacio strenue adversus illos dimicavit. Priscillianistarum blasphemias ad sexdecim capita redactas S. Leoni misit, qui illas singillatim refutandas in hac Epistola suscepit. Primo itaque „ impie sentiebant de Trinitate Divina, „ qui & Patris, & Filii, & Spiritus Sancti unam atque eamdem „ asserunt esse personam ... quod blasphemiæ genus de Sabellii „ opinione sumpserunt, cujus Discipuli etiam Patripassiani merito „ nuncupantur, quia si ipse est Filius qui & Pater, Crux Filii „ Patris est passio". Huic errori fidei Catholicæ veritatem opponit S. Leo, „ quæ Trinitatem Deitatis sic *homousion* confitetur, „ ut Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum sine confusione indivisos, sine tempore sempiternos, sine differentia credit æquales „ (*c*)". 2. Docebant Priscillianistæ, dari in Deo „ processiones „ quarumdam virtutum, quas ipse essentia sua præcesserit". At illos refutat S. Leo ostendendo, „ illos Arianorum suffragari errori dicentium, quod Pater prius Filio sit, qui fuerit aliquando „ sine Filio, & tunc Pater esse cœperit, quando Filium genuerit. „ Sed sicut illos Catholica Ecclesia detestatur, ita & istos, qui putant unquam Deo id, quod ejusdem est essentiæ, defuisse. Quem „ sicut mutabilem, ita & proficientem dicere nefas est. Quam enim mutatur quod minuitur, tam mutatur quod augetur (*d*)". Effutiebant tertio Priscillianistæ, ideo „ unigenitum dici Filium „ Dei, quia solus sit natus ex Virgine. Quod utique (subdit S. „ Leo) non auderent dicere, nisi Pauli Samosateni, & Photini „ virus hausissent, qui dixerunt, Dominum Jesum Christum, antequam nasceretur ex Maria Virgine, non fuisse. Si autem isti „ aliud de suo sensu intelligi volunt, neque principium de Matre „ dant

Epistola ad Turribium Asturicensem Episcopum 15. al. 2. pag. 693.

(a) *Ibid. cap.* 9.
(b) *Ibid. cap.* 11.
(c) *Ibid. cap.* 1. *pag.* 697.
(d) *Ibid. cap.* 2. *pag.* 698.

S. LEO MAG.

„ dant Christo, asserant necesse est, non unum esse Filium Dei, „ sed alios quoque a Summo Patre genitos, quorum hic unus sit „ natus ex fœmina, & ob hoc appelletur Unigenitus: quia hanc „ nascendi conditionem alius Filiorum Dei nemo susceperit (*a*)". 4. Jejunabant Priscillianistæ „ in die Natalis Domini, sicuti & in „ die Dominico, qui est dies Resurrectionis Christi. Quod utique „ faciunt (observat S. Leo), quia Christum Dominum in vera „ humana natura natum esse non credunt, sed per quamdam illu- „ sionem ostentata videri volunt, quæ vere non fuerunt; sequentes „ dogma Cerdonis, atque Marcionis, & cognatis suis Manichæis „ per omnia consonantes (*b*)". 5. Asserebant, „ animam hominis „ divinæ esse substantiæ, nec a natura conditoris sui conditionis no- „ stræ distare naturam. Quam impietatem (subdit S. Leo)... „ ex Manichæorum opinione manantem Catholica fides damnat, „ sciens nullam tam sublimem, tamque præcipuam esse facturam, „ cui Deus ipse natura sit... & cum dicunt humanam animam „ divinæ esse substantiæ, non intelligunt nihil se aliud dicere, „ quam Deum esse mutabilem, & ipsum perpeti quidquid potest „ naturæ ejus inferri (*c*)". Errabant præterea Priscillianistæ dicentes: „ quod Diabolus nunquam fuerit bonus, nec natura ejus „ opificium Dei sit, sed eum ex chao & tenebris emersisse.... „ Cum fides vera (inquit S. Leo), quæ est Catholica, omnium „ creaturarum sive corporalium sive spiritualium bonam confiteatur „ substantiam, & mali nullam esse naturam, quia Deus, qui uni- „ versitatis est conditor, nihil non bonum fecit. Unde & Diabolus „ bonus esset, si in eo quod factus est permaneret. Sed quia na- „ turali excellentia male usus est.... non in contrariam transiit „ substantiam, sed a summo bono, cui debuit adhærere, descivit „ (*d*)". 7. Cum Manichæorum profanitate conveniebant & Pri- scillianistæ; „ quod nuptias damnarent, & procreationem nascen- „ tium perhorrescerent, non advertentes (subdit S. Leo), quia „ non est illic libertas turpitudinis, ubi & pudor Matrimonii ser- „ vatur, & spes sobolis (*e*)". 8. Refutat etiam illorum impie- tatem, qui dicebant, „ plasmationem humanorum corporum Dia- „ boli esse figmentum", dicens; „ hæc esse figmenta Dæmonum, „ quæ non in fœminarum ventribus formant homines, sed in hæ- „ reticorum cordibus tales fabricantur errores (*f*)". 9. Dum filios adoptionis dicebant Priscillianistæ ex mulieribus quidem natos, sed ex Spiritu Sancto esse conceptos, a fide Catholica dissentire osten- dit S. Leo, „ quæ docet, omnem hominem in corporis animæque „ substantia a Conditore universitatis formari atque animari inter „ materna viscera... sed regenerationis Sacramento subveniente, quo

(a) *Ibid. cap.* 3. (b) *Ibid. cap.* 4. *pag.* 699.
(c) *Ibid. cap.* 5. (d) *Ibid. c.* 6. *pag.* 700.
(e) *Ibid. cap.* 7. *pag.* 701.
(f) *Ibid. cap.* 8. *pag.* 703.

„ quo per Spiritum Sanctum promissionis filii renascuntur, non in „ utero carnis, sed in virtute baptismi. Unde & David, qui „ utique erat promissionis filius, dicit ad Deum: *Manus tuæ fecerunt me, & plasmaverunt me*. Et ad Jeremiam Dominus ait: „ *Priusquam te formarem in utero, novi te, & in vulva matris* „ *tuæ sanctificavi te* (*a*). 10. Cum fides Catholica constanter & veraciter prædicet, quod animæ hominum, priusquam suis inspirentur corporibus, non fuerint, illius hostes se ostendebant Priscillianistæ docentes, „ animas, quæ humanis corporibus inseruntur, „ fuisse sine corpore, & in cælesti habitatione peccasse, atque ob „ hoc a sublimioribus ad inferiora delapsas . . . & corporibus con„ clusas (*b*) “. 11. Nullum etiam dicit S. Leo esse in Ecclesia Catholica Priscillianistis locum, quia „ fatalibus stellis animas ho„ minum, & corpora opinantur obstringi (*c*). 12. Et quod sub „ aliis potestatibus partes animæ, & sub aliis corporis membra de„ scribunt, & qualitates interiorum præsulum in Patriarcharum „ nominibus statuunt, quibus e diverso signa siderea, quorum vir„ tuti corpora subjiciuntur, opponunt (*d*) “. 13. Desipiebant etiam Priscillianistæ docentes, „ quod omne corpus Scripturarum „ Canonicarum sub Patriarcharum nominibus accipiendum sit: quia „ illæ duodecim virtutes, quæ reformationem interioris hominis o„ perantur, in horum vocabulis indicentur . . . sed hanc impiam „ vanitatem (inquit S. Leo) despectui habet Christiana sapien„ tia (*e*) “. 14. Inter fabulas vero enumerat doctrinam Priscillianistarum dicentium, quod sub potestate siderum atque signorum pro terrena qualitate teneamur (*f*).

S. LEO MAG.

Cum Siciliæ Episcopi solerent „ baptismi Sacramentum fre„ quentius in die Epiphaniæ, quam in Paschali tempore celebra„ re “, ut diem venerarentur, quo Christus baptisma suscepit, ab hac consuetudine eos revocare studuit S. Leo, & ad disciplinam Sedis Apostolicæ, a qua ordinationem susceperant, reducere, quare illis hanc Epistolam 12. Kal. Novemb. anni 449. dedit, in qua primo dicit, „ se malle & censuram necessariam temperare, & eos „ ratione apertissimæ veritatis instruere (*g*) “. Deinde subdit: „ universos Christi dies innumeris consecratos fuisse virtutibus, & „ in cunctis etiam actionibus Sacramentorum mysterium coruscasse, „ sed aliter quidem signis denuntiari, aliter rebus impleri: nec „ quæcumque numerantur in operibus Salvatoris, ad tempus pos„ se pertinere baptismatis (*h*) . . . Proprie enim in morte Cruci„ fixi, & in resurrectione ex mortuis potentia baptismatis novam „ crea-

Epistola ad Episcopos Siciliæ 16. pag. 715.

(a) *Ibid. cap. 9. pag. 702.* (b) *Ibid. c. 10.*
(c) *Ibid. cap. 11.* (d) *Ibid. cap. 12.*
(e) *Ibid. cap. 13. pag. 705.*
(f) *Ibid. cap. 14. pag. 706.*
(g) *Ibid. cap. 1. pag. 716.*
(h) *Ibid. cap. 2. pag. 717.*

S. LEO MAG.

„ creaturam condit ex veteri . . . . dum in baptismatis regula & „ mors intervenit interfectione peccati, & sepulturam triduanam „ imitatur triduana demersio, & ab aquis elevatio resurgentis est „ instar de sepulchro . . . . . Additur sane huic observantiæ etiam „ Pentecostes ex adventu Spiritus Sancti sacrata solemnitas. . . eos „ quos a die Paschæ aut molestia infirmitatis, aut longinquitas iti- „ neris, aut navigationis difficultas interclusit, invitans, ut quili- „ bet necessitatibus impediti, desiderii sui effectum dono Sancti „ Spiritus consequantur (a)". Quod confirmat exemplo Petri, „ qui in ipso die, quo omnem credentium numerum promissus Spi- „ ritus Sancti replevit adventus, trium millium populum sua præ- „ dicatione conversum lavacro baptismatis consecravit (b)". Statuit tamen S. Pontifex, ut „ in mortis periculo, in obsidionis dis- „ crimine, in persecutionis angustiis, in timore naufragii nullo „ tempore hoc veræ salutis singulare præsidium cuiquam denege- „ tur (c)". Rationes deinde refellit, quæ in favorem consuetudinis conferendi Baptismatis in die Epiphaniæ afferri possent, scribens: „ Quidam putant, quod in eo die Dominus ad baptismum „ Sancti Joannis accesserit, & illius baptismi aliam fuisse gratiam, „ aliam fuisse rationem . . . Dominus enim nullius indigens remis- „ sione peccati sic voluit baptizari, quomodo voluit & circumci- „ di . . . Tunc vero regenerationis potentiam sanxit, quando de „ latere ipsius profluxerunt sanguis redemptionis, & aqua baptis- „ matis (d)". Denique illis mandat, ut „ singulis annis. . . . „ terni semper ex vobis ad diem tertium Kal. Octobris Romam „ fraterno Concilio sociandi indissimulanter occurrant, quoniam ... „ facilius poterit provideri, ut in Ecclesiis Christi nulla scandala, „ nulli nascantur errores". Denique sic Epistolam claudit: „ Hæc „ per fratres & Coepiscopos nostros Bacillum, atque Paschasinum „ ad vestram volumus notitiam pervenire. Quibus referentibus co- „ gnoscamus, quam reverenter a vobis Apostolicæ Sedis instituta ser- „ ventur (e)". Data est hæc Epistola 12. Kal. Novembris anni 449.

Epistola ad Eutychen 20. al. 19. p. 737.

Eutyches (1), priusquam hæreseos suæ virus diffunderet, S. Leoni scripserat, quod „ Nestoriana hæresis quorumdam studiis rursus „ pullularet". Sollicitudinem suam ex hac parte sibi placuisse, respondet S. Leo, addens: „ Nos autem cum plenius, quorum hoc „ impro-

(a) *Ibid. cap.* 3. *pag.* 320.
(b) *Ibid. cap.* 4. (c) *Ibid. cap.* 5. *pag.* 720.
(d) *Ibid. cap.* 6. (e) *Ibid. cap.* 7. *pag.* 724.
(1) Eutyches Abbas cujusdam Monasterii Constantinopolitani docebat, unam esse in Christo naturam, cùm humana fuerit a divina absorpta. Damnatus fuit a S. Flaviano Episcopo Constantinopolitano. At anno insequente Dioscori opera habitum fuit Concilium illud, quod appellatum fuit *latrocinium Ephesinum*, in quo Eutychetis hæresis adprobata fuit. At anno 451. in generali Chalcedonensi Concilio ejus hæresis anathemate perculsa fuit.

„ improbitate fiat, potuerimus cognoscere, necesse est, auxiliante
„ Domino, providere ". Data est hæc epistola S. Leonis Kal. Junii anno 448. S. LEO MAG.

Alteram eodem anno scripsit S. Leoni Epistolam Eutyches, in qua conqueritur se a Flaviano (1) communione privatum Eusebio Dorylæensi Episcopo accusante. „ Et quidem (subdit) libellis statim subscriptione mea his addita obtuli scripta ostendens de „ sancta fide professionem meam. Sancto autem Flaviano Archiepiscopo neque libellum suscipiente, neque ut legeretur jubente, „ audiente tamen & respondente me ipsis verbis fidem, quæ Nicææ exposita est a S. Synodo, confirmata vero apud Ephesum expetebat duas naturas fateri, & anathematizare eos qui hoc negarent. Ego autem metuens definitionem a Synodo nec adimere, nec addere verbum contra expositam fidem a S. Synodo Nicæna. Sciens vero, Sanctos & Beatos Patres nostros Julium, „ Felicem, Athanasium, Gregorium Sanctissimos Episcopos refutantes duarum naturarum vocabulum, & non audens de natura „ tractare Dei . . . aut anathematizare supradictos Patres nostros, „ rogabam, ut innotescerent ista Sanctitati vestræ, & quod vobis „ videretur judicaretis, omnibus modis me secuturum quæ probassetis (*a*). Sed nullo eorum quæ a me dicebantur audito abrupta Synodo publicaverunt dejectionis sententiam (*b*) . . . . Ad „ vos igitur religionis defensores . . . confugio, nihil novum inducens contra fidem (*c*) ". Huic Epistolæ adjunxit Eutyches tum libellum Dorylæensis Episcopi adversus ipsum, tum suum ad Flavianum oblatum. Censent nonnulli, opera Chrysaphii Eunuchi Protectoris sui impetrasse Eutychen Epistolam a Theodosio (2) Imperatore ad S. Leonem, qua hic Princeps nullam habens de gestis Constantinopoli mentionem, nec de Eutychetis ab Ecclesiastica communione segregatione, rogat sibi mitti de toto negotio amplam expositionem, edoceri cupiens, quisnam novus error contra fidem insurgeret, ut omnem posset divisionem extinguere.

Epistola ad Flavianum 20. & ad Theodosium 21.

Acceptis itaque a Flaviano S. Leonis litteris, illi respondit, narrans, Eutychetem „ antiqua impii Valentini, & Apollinaris mala dogmata renovare . . . . dicens, Dominum Nostrum Jesum

M 2 „ Chri-

(1) S. Flavianus, qui Proculo in Sede Constantinopolitana successit, acerrimus fuit fidei adversus Eutycheten defensor. In pseudo-Synodo latrocinali Ephesina præside Dioscoro Alexandrino damnatus depositusque fuit, immo ita vulneribus in ea Synodo confossus, ut post triduum obierit.

(a) *Epist. 21. pag. 739. cap. 1.*

(b) *Ibid. cap. 2. pag. 741.*

(c) *Ibid. cap. 3.*

(2) Hic est Theodosius II. Junior dictus, Arcadii, & Eudoxiæ filius, & S. Pulcheriæ frater. Obiit nullis relictis filiis 5. Kal. Augusti anni 450. Codicem Theodosianum dictum publicavit 5. Kal. Martii anno 438. Post ejus obitum Pulcheria eligendum curavit in Imperatorem Marcianum.

S. LEO MAG.

„ Christum non oportere in duabus naturis post inhumanationem „ in una subsistentia & in una persona a nobis agnoscendum, ne„ que carnem Domini nobis consubstantialem esse . . . . ipsum au„ tem Dominum non assumpsisse ex Virgine carnem nobis consub„ stantialem, sed Domini corpus non esse quidem corpus hominis; „ humanum autem corpus esse, quod ex Virgine est (*a*). . . Ita„ que propter hæc... cum accusatum a religiosissimo Episcopo Eu„ sebio, & occurrentem ad Sanctum Concilium, propriaque voce „ quid ipse sentiret Patribus Synodi detegentem, ut qui alienus sit „ a vera fide, deposuimus, prout Sanctitatem vestram docebunt „ cuncta super eo confecta acta, quæ & misimus cum nostris lit„ teris. Æquum est . . . ut hoc quoque doceamini : idem justæ „ & canonicæ depositioni subjectus cum debuisset saltem secundis „ curare priora, nec non per exactam pœnitentiam . . . . Deum „ placare, & cor nostrum valde in lapsu ejus contristatum vera „ resipiscentia delinire; non solum id non fecit, quinimmo per o„ mnia connisus est sanctissimam hujus loci Ecclesiam turbare, ta„ bulas publice proponens contumeliarum & maledictorum plenas, „ & insuper hæc, preces offerens piissimo . . . Imperatori, easque „ arrogantia & petulantia refertas . . . . dicens se tempore judicii „ libellos Appellationis tradidisse nobis, & Sanctæ Episcoporum „ tunc præsentium Synodo, atque appellasse ad Sanctitatem ve„ stram, quod nequaquam ab eo factum est, sed in hac quoque „ parte fefellit velut pater mendacii, se vestris auribus subrepturum „ arbitratus. Commotus igitur, Sanctissime Pater, ab omnibus, „ quæ ausus est . . . solita fiducia utere, & vendicans communem „ rem, sanctarumque Ecclesiarum compositionem dignare per pro„ prias quidem litteras suffragari depositioni canonicæ adversus eum „ factæ; confirmare vero & piissimi nostri Imperatoris fidem „ (*b*)“. Huic epistolæ primo S. Leo respondit brevi calamo per Rodanum Constantinopolim petentem, pervenisse ad eum Flaviani litteras, dicens, & addens: „ De hac re plenius per eum, qui ad „ nos tuæ dilectionis portavit Epistolas, rescribemus, ut fraternita„ tem tuam quid de tota causa constitui debeat, instruamus. Non „ enim patiemur, aut illum in suæ persuasionis pravitate persiste„ re, aut dilectionem tuam diutina adversæ partis impugnatione „ turbari (*c*)“.

Epistola ad Flavianum 28. al. 24. pag. 801.

At fusiori Epistola data 3. Idus Junii anno 449. iterum Flavianum de receptis ejus litteris certiorem facit, & fuso calamo ac dilucide de Incarnatione versat quæstionem, errores tum Nestorii, tum Eutychetis veritati catholicæ adversos funditus subruens. Ostendit, secundum in errorem ideo lapsum, quia „ non ad prophe„ ticas

(a) *Epist. 22. cap. 3. pag. 756.*
(b) *Epist. 26. pag. 782.*
(c) *Epist. 27. al. 22. pag. 792.*

S. Leo Mag.

„ ticas voces, nec ad Evangelicas auctoritates, sed ad semetipsum „ recurrit . . . & ne ipsius quidem symboli initia comprehendit . „ Et quod per totum Mundum omnium regenerandorum voce de- „ promitur, illius adhuc senis corde non capitur (*a*) . . . Hi si- „ quidem profitentur, credere se in Deum Patrem Omnipotentem , „ & in Jesum Christum Filium ejus unicum Dominum nostrum , „ qui natus est de Spiritu Sancto ex Maria Virgine. Quibus tri- „ bus sententiis omnium fere hæreticorum machinæ destruuntur . „ Cum enim Deus & Omnipotens & Pater creditur, consempiter- „ nus eidem Filius demonstratur , ita in nullo a Patre differens , „ quia de Deo Deus, de omnipotente omnipotens, de æterno natus „ est coæternus , non posterior tempore , non inferior potestate , „ non dissimilis gloria, non divisus essentia , idem vero sempiterni „ genitoris unigenitus sempiternus natus est de Spiritu Sancto , & „ Maria Virgine. Quæ nativitas temporalis illi nativitati divinæ „ & sempiternæ nihil minuit, nihil contulit , sed totam se repa- „ rando homini, qui erat deceptus, impendit, ut & mortem vin- „ ceret, & Diabolum, qui mortis habebat imperium, sua virtute „ destrueret. Non enim superare possemus peccati & mortis au- „ ctorem, nisi naturam nostram ille susciperet , & suam faceret , „ quem nec peccatum contaminare , nec mors detinere poterat . „ Conceptus quippe est de Spiritu Sancto intra uterum Matris „ Virginis, quæ illum ita salva Virginitate edidit, quemadmodum „ salva Virginitate concepit (*b*) “. Quam doctrinam S. Ponti- fex pluribus confirmat Scripturæ testimoniis, in quibus veram a Verbo carnem assumptam legimus. Illum siquidem Evangelista fi- lium vocat David, & Abraham, & S. Paulus ait : *Factus est ex semine David secundum carnem ;* ac illi promissionem adaptat ad Abraham factam, *In semine tuo benedicentur omnes gentes*. I- saiæ quoque vaticinium de Christo est intelligendum : *Ecce Virgo concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel ;* & aliud : *Puer natus est nobis, filius datus est nobis*. Nec Evan- gelista „ frustratorie loquens Verbum diceret carnem factum, ut e- „ ditus utero Virginis Christus haberet formam hominis , & non „ haberet materni corporis veritatem . . . . Fœcunditatem enim „ Virgini Spiritus S. dedit, veritas autem corporis sumpta de cor- „ pore est (*c*). Natura inviolabilis naturæ est unita passibili . . . „ ut unus atque idem mediator Dei & hominum homo Jesus „ Christus, & mori posset ex uno, & resurgere ex altero . . . . „ Nostra autem suscepit, quæ in nobis ab initio Creator condidit, „ & quæ reparanda suscepit. Nam illa quæ deceptor intulit , & „ homo deceptus admisit , nullum habuerunt in Salvatore vesti- „ gium . . . Assumpsit formam servi sine sorde peccati , humana

 „ augens,

(a) *Ibid. cap. 1.*
(b) *Ibid. cap. 2.*
(c) *Ibid. cap. 2.*

[redacted] S. LEO MAG.

„ augens, divina non minuens (*a*) ... Qui enim verus eſt Deus, „ idem verus eſt homo, & nullus eſt in hac veritate mendacium, „ dum invicem ſunt & humilitas hominis & altitudo Deitatis. Sic- „ ut enim Deus non mutatur miſeratione, ita homo non conſumi- „ tur dignitate. Agit enim utraque forma cum alterius commu- „ nione quod proprium eſt, Verbo ſcilicet operante quod Verbi „ eſt, & carne exequente quod carnis eſt. Unum horum coru- „ ſcat miraculis, aliud ſuccumbit injuriis “. Quæ omnia S. Pon- tifex ſexcentis confirmat teſtimoniis tum ex Evangelio, tum ex Pauli Apoſtoli Epiſtolis, ſubdens: „ Unus idemque vere Dei fi- „ lius & hominis filius. Deus per id quod *in principio erat Ver-* „ *bum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; „ homo per id quod *Verbum caro factum eſt, & habitavit in no-* „ *bis*. Deus per id quod *omnia per ipſum facta ſunt, & ſine* „ *ipſo factum eſt nihil*; homo per id quod *factus eſt ex muliere,* „ *factus ſub lege*. Nativitas carnis manifeſtatio eſt humanæ na- „ turæ, partus Virginis divinæ eſt virtutis indicium. Infantia „ parvuli oſtenditur humilitate cunarum, magnitudo Altiſſimi decla- „ ratur vocibus Angelorum... Herodes impie molitur occidere... „ quem Magi gaudent ſuppliciter adorare. Jam cum ad Præcur- „ ſoris ſui baptiſmum venit, ne lateret quod carnis velamine divi- „ nitas tegebat, vox Patris de cælo intonans dixit: *Hic eſt Filius* „ *meus dilectus, in quo mihi bene complacui*. Quem itaque ſicut „ hominem diabolica tentat aſtutia, eidem ſicut Deo angelica fa- „ mulantur officia. Eſurire, ſitire, laſſeſcere, atque dormire, „ evidenter humanum eſt. Sed quinque panibus quinque millia „ hominum ſatiare, & largiri Samaritanæ aquam vivam, cujus „ hauſtus bibenti præſtet, ne ultra jam ſitiat, ſupra dorſum maris „ plantis non deſidentibus ambulare, & elationes fluctuum incre- „ pata tempeſtate conſternere, ſine ambiguitate divinum eſt .... „ Non ejuſdem naturæ eſt flere miſerationis affectu amicum mor- „ tuum, & eumdem remoto quatriduanæ aggere ſepulturæ ad vocis „ imperium excitare redivivum; aut in ligno pendere, & in no- „ ctem luce converſa omnia elementa tremefacere; aut clavis cru- „ cifixum eſſe, & paradiſi portas fidei Latronis aperire. Ita non „ ejuſdem naturæ eſt dicere: *Ego & Pater unum ſumus*, & dice- „ re: *Pater major me eſt*. Quamvis enim in Domino Jeſu Chri- „ ſto Dei, & hominis una perſona ſit, aliud tamen eſt, unde in „ utroque communis eſt contumelia, aliud, unde communis eſt glo- „ ria (*b*) “. Propter hanc igitur unitatem perſonæ in utraque „ natura intelligendam & filius hominis legitur deſcendiſſe de Cæ- „ lo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine, de qua eſt natus, „ aſſumpſerit. Et rurſus Filius Dei crucifixus dicitur, ac ſepul- „ tus, cum hæc non in divinitate ipſa ... ſed in naturæ huma-

„ næ

(a) *Ibid. cap.* 3.
(b) *Ibid. cap.* 4.

„ næ sit infirmitate perpessus . . . unde Apostolus dicit: *Si eum* S. LEO MAG.
„ *cognovissent, nunquam Dominum majestatis crucifixissent*. Cum
„ autem ipse Dominus . . . *quem me*, inquit, *dicunt esse filium*
„ *hominis?* Me utique, qui sum filius hominis, & quem in for-
„ ma servi, & veritate carnis aspicitis, quem me esse dicitis?
„ Ubi B. Petrus divinitus inspiratus . . . *Tu es*, inquit, *Christus*
„ *Filius Dei vivi* . . . eumdem & Dei Filium est confessus, &
„ Christum, quia unum horum sine alio receptum non proderat ad
„ salutem, & æqualis erat periculi Dominum Jesum Christum aut
„ Deum tantummodo, aut sine Deo solum hominem credidisse.
„ Post resurrectionem vero Domini . . . clausis ad Discipulos ja-
„ nuis introibat, & flatu suo dabat Spiritum Sanctum, & donato
„ intelligentiæ lumine Sanctarum Scripturarum occulta pandebat,
„ & rursus idem vulnus lateris, fixuras clavorum, & omnia re-
„ centissimæ passionis signa monstrabat . . . . ut agnosceretur, in
„ eo proprietas divinæ humanæque naturæ individua permanere . . .
„ & unum Dei Filium & Verbum confiteremur & carnem. Quo
„ fidei Sacramento Eutyches iste nimium æstimandus est vacuus . . .
„ nec sententiam Beati Apostoli & Evangelistæ Joannis expavit
„ dicentis: *Omnis spiritus, qui confitetur Jesum Christum in carne*
„ *venisse, ex Deo est*; &, *Omnis spiritus, qui solvit Jesum, ex Deo*
„ *non est, & hic est Antichristus*. Quid enim est solvere Jesum,
„ nisi humanam ab eo separare naturam, & Sacramentum, per
„ quod unum salvati sumus, impudentissimis evacuare figmentis?
„ Caligans vero circa naturam corporis Christi, necesse est etiam in
„ passione ejus eadem obcæcatione desipiat (*a*). Cum autem Eu-
„ tyches responderit, dicens: *Confiteor ex duabus naturis fuisse*
„ *Dominum nostrum ante adunationem, post adunationem vero unam*
„ *naturam confiteor*; miror tam absurdam, tamque perversam pro-
„ fessionem nulla judicantium increpatione reprehensam . . . cum
„ tam impie duarum naturarum ante Incarnationem unigenitus Dei
„ Filius fuisse dicatur, quam nefarie postquam *Verbum caro factum*
„ *est*, natura in eo singularis asseritur . . . Ideo sollicitudinis tuæ
„ diligentiam commonemus . . . ut impudentia hominis imperiti
„ etiam ab hac sui sensus peste purgetur . . . quod si omnia quæ
„ ab eo male sunt sensa, viva voce & præsenti subscriptione da-
„ mnaverit, non erit reprehensibilis erga correctum quantacum-
„ que miseratio . . . Tunc enim demum fructuosissime fides vera
„ defenditur, quando etiam a Sectatoribus suis opinio falsa da-
„ mnatur (*b*)".

Julianus Coensis Episcopus Legatus a S. Leone Constantinopo- Epistola ad Julianum Episcopum Coensem 36. al. 25. p. 875.
lim missus de errore Eutychetis S. Leonem certiorem fecerat, atque binas a S. Pontifice responsionis Epistolas accepit. In priori, quam per Diaconum Basilium a se missum acceperat, data Idibus

M 4 Junii

(a) *Ibid. cap.* 5.
(b) *Ibid. cap.* 6.

S. LEO MAG.

Junii sic scribit S. Leo: „ Quid prodest imprudentissimo Seni Nestorianæ hæreseos nomine eorum lacerare opinionem, quorum „ piissimam convellere non potest fidem? . . . cum tantum a recto „ tramite & ipse desciscat, qui unigenitum Dei Filium sic de utero Beatæ Virginis prædicat natum, ut humani quidem corporis „ speciem gesserit, sed humanæ carnis veritas Verbo unita non „ fuerit . . . De quo prodigio falsitatis quis non videt quæ opinionum monstra nascantur?... Nam qui erat in forma Dei manens „ idem in forma servi, homo natus denegatur; sed etiam quod „ crucifixus est, & mortuus, & sepultus, quodque die tertio resurrexit, & quod ad dexteram Patris sedens ad judicandos vivos „ & mortuos sit venturus (*a*) . . . . Nec enim Verbum aut in „ carnem, aut in animam aliqua sui parte conversum est, cum „ simplex & incommutabilis natura Deitatis tota in sua sit semper essentia, nec damnum sui recipiens, nec augmentum, & sic „ assumptam naturam beatificans, ut glorificata in glorificante permaneat . . . . Nec Verbum igitur in carnem, nec in Verbum „ caro mutata est . . . . Cur autem inconveniens aut impossibile „ videatur, ut Verbum, & caro, atque anima unus Jesus Christus, & unus Dei, hominisque sit filius, si caro, & anima, quæ „ dissimilium naturarum sunt, unam faciunt etiam sine Verbi Incarnatione personam?.. . . Christus ergo non alter ex Patre, nec „ alter ex Matre, sed idem aliter ex Patre ante omne principium, & aliter de Matre in fine sæculorum (*b*) . . . In eo „ vero quod Eutyches . . . ausus est dicere: *Ante Incarnationem* „ *duas fuisse in Christo naturas, post Incarnationem autem unam*. . . . arbitror . . . hoc habere persuasum, quod anima, „ quam Salvator assumpsit, prius in Cælis sit commorata, quam „ de Maria Virgine nasceretur, eamque sibi Verbum in utero copularet. Sed hoc catholicæ mentes aurésque non tolerant: quia „ nihil secum Dominus de cælo veniens nostræ conditionis exhibuit, nec animam enim, quæ anterior extitisset, nec carnem, „ quæ non materni corporis esset, accepit. Natura quippe nostra non sic assumpta est, ut prius crearetur, post assumeretur, „ sed ut ipsa assumptione crearetur. Unde quod in Origene merito damnatum est . . . necesse est, ut etiam in isto . . . plectatur . . . Nativitas enim Christi quamvis habeat quædam propria, quibus humanæ conditionis initia transcendat, sive quod „ solus ab inviolata Virgine sine concupiscentia est conceptus, & „ natus . . . non alterius tamen naturæ erat ejus caro, quam nostræ, nec alio illi, quam cæteris hominibus, anima est inspirata principio, qua excelleret non diversitate generis, sed sublimitate virtutis. Sensus corporei vigebant sine lege peccati, & veritas affectionum sub moderamine Deitatis, & mentis, nec ten-

„ taba-

(a) *Ibid. cap.* 1.
(b) *Ibid. cap.* 2.

„ tabatur illecebris, nec cedebat injuriis (*a*) “. In alia autem epiſtola (*b*) dolere ſe dicit de Eutychetis perverſitate. Julianum vero ſic monet: „ Pro qualitate cauſæ ad fratrem noſtrum Fla-„ vianum ſcripta direxi, quibus & veſtra dilectio, & Eccleſia uni-„ verſa cognoſcat de antiqua & ſingulari fide . . . quid divinitus „ traditum teneamus, & quid incommutabiliter prædicemus “. Subdit vero: „ Et quia clementiſſimus Imperator indicendum cre-„ didit Epiſcopale Concilium, fratres noſtros Julium Epiſcopum, „ & Renatum Presbyterum, ſed & filium meum Diaconum Hila-„ rium, quos *ex latere meo* vice mea miſi “. Nomine Legati *a latere* deſignat illos vel ex ipſa Eccleſia Romana, vel ex Eccleſiis eidem immediate ſubjectis delectos aſſumptoſque fuiſſe. Pari phraſi utitur & in epiſtolis ad Fauſtum, & ad Archimandritas Conſtantinopolitanos. Claudit denique epiſtolam, ſcribens: quod „ ſi condemnatus Presbyter plena ſatisfactione corrigitur, ſenten-„ tia, qua obſtrictus eſt, relaxetur “.

S. LEO MAG.

Scribit Imperatori S. Leo: „ Ad conſtitutum apud Epheſum Sy-„ nodale judicium . . . fratres meos Julium Epiſcopum, & Re-„ natum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum miſi, „ qui ad vicem præſentiæ meæ pro negotii qualitate ſufficerent, & „ qui eum ſecum deferrent juſtitiæ & benignitatis affectum, ut „ quia dubitari non poteſt, quæ ſit Chriſtianæ confeſſionis integri-„ tas, & totius erroris pravitas damnetur, &, ſi reſcipiſcens qui „ deviaverat, pro venia ſupplicaret, Sacerdotalis ei benignitas ſub-„ veniret “. Denique Imperatorem monet: „ Quid Catholica Ec-„ cleſia univerſaliter de Sacramento Dominicæ Incarnationis credat, „ & doceat, ad fratrem & Coepiſcopum meum Flavianum, plenius „ continent ſcripta, quæ miſi “.

Epiſtola ad Theodoſium Imperatorem 29. al. 26. p. 839.

In hac ad Pulcheriam epiſtola ejus Imperatricis laudat Religionis ſtudium contra impugnatores Catholicæ veritatis (*c*). Deinde oſtendit: „ nihil prodeſſe ad ſalutem Dominum noſtrum Beatæ „ Mariæ Virginis filium verum, perfectumque hominem dicere, „ ſi non illius generis homo credatur, cujus in Evangelio prædi-„ catur “. Quod confirmat ex utraque Chriſti Genealogia tum a S. Matthæo, tum a S. Luca deſcripta, quæ, licet diverſæ, oſtendunt tamen, naturam ab eo noſtræ conſubſtantialem aſſumptam. Nam Matthæus „ ita humanæ originis ordinem ſequitur, ut gene-„ rationum lineas ab Abraham uſque ad Joſeph, cui mater Do-„ mini erat deſponſata, deducat. Lucas vero retrorſum ſucceſſio-„ num gradus relegens, ad ipſum humani generis principem redit, „ ut Adam primum, & Adam noviſſimum ejuſdem oſtendat eſſe „ naturæ (*d*) “. De Eutyche autem ſcribit: „ Multum doleo... „ quod

Epiſtola ad Pulcheriam 31. al. 27. p. 851.

(a) *Ibid. cap.* 3.
(b) *Epiſt.* 34. *al.* 31. *pag.* 869.
(c) *Ibid. cap.* 1.
(d) *Ibid. cap.* 2.

S. LEO MAG. „ quod hic, qui antea de humilitatis proposito laudabilis videbatur . . . vana nimis & solida audet adstruere . . . ut damnationis sententiam mereatur accipere: quam utique si in suo sensu voluerit permanere, nullus poterit relaxare (*a*)". De Concilio autem indicto scribit: „ Augustissimus Imperator . . . Episcopali Concilio, quod Ephesi vult haberi, nimium breve & angustum tempus indixit, diem Kalendarum Augustarum præstituendo conventui, cum a tertio Iduum Majarum, quo Serenitatis ejus scripta suscepimus, major pars reliqui sit temporis absumenda, ut profectio Sacerdotum, qui negotio sufficiant, valeat ordinari. Nam illud, quod pietas ipsius me credidit debere interesse Concilio, si secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc tamen nequaquam posset impleri, quum rerum præsentium nimis incerta conditio a tantæ urbis populis me abesse non sineret, & in desperationem quamdam animi tumultuantium mitterentur, si pro occasione causæ ecclesiasticæ viderer patriam & Sedem Apostolicam velle deserere (*b*)". Timebatur enim tunc temporis aliqua Barbarorum in Italiam irruptio, quæ de facto per Hunnos facta paulo post contigit.

Epistola ad Concilium Ephesinum 31. al. 29. p. 863. Epistola ad Ephesinam Synodum (1) data est, sicut & aliæ ad Flavianum, ad Theodosium, & Pulcheriam 3. Idus Junii anni 449. In ea primum fidem Incarnationis confirmat testimonio Petri dicentis: *Tu es Christus Filius Dei vivi;* quasi diceret, inquit S. Leo: „ Tu qui vere es Filius hominis, idem vere es Filius Dei vivi, tu, inquam, verus in Deitate, verus in carne, & salva geminæ proprietate naturæ utrumque unus (*c*)". Non diffitetur convocatum ab Imperatore Concilium, sed addit: „ Ut pleniori judicio omnis possit error aboleri, fratres nostros Julianum Episcopum, Renatum Presbyterum, & filium meum Hilarium Diaconum Notarium probatæ nobis fidei misi: qui vice mea Sancto Conventui vestræ fraternitatis intersint, & communi vobiscum sententia quæ Domino sint placitura constituant. Hoc est, ut primitus pestifero errore damnato, etiam de ipsius, qui imprudenter erravit, restitutione tractetur, si tamen doctrinam veritatis amplectens, sensus hæreticos . . . plena apertaque voce & subscriptione damnaverit, quod etiam in libello, quem ad nos miserat, est professus, spondens per omnia nostram se servaturum esse sententiam (*d*)".

Duæ

(a) *Ibid. cap.* 3.
(b) *Ibid. cap.* 4.
(1) Hæc est Ephesina illa Synodus, quæ coacta anno 449. *Latrocinalis* nomen obtinuit. In ea siquidem fuit legi vetita epistola S. Leonis, Eutyches restitutus, Flavianus depositus, & in S. Leonem lata excommunicationis sententia.
(c) *Ibid. cap.* 1.
(d) *Ibid. cap.* 2.

S. LEO MAG.

Binæ ad Theodosium epistolæ 43. & 44. al. 34. & 40. p. 901. & seq.

Duæ epistolæ de re eadem, ac eodem die ad eumdem Imperatorem Theodosium scriptæ, easdem fere, si Latinum textum spectes, nedum sententias, sed etiam voces, in partem maximam exhibentes, suppositionis suspicionem ingerunt. Quapropter hæc epistola 43. veluti spuria nonnullis repudianda visa est, inter quos legendus Tillemontius Nota 31. in S. Leonis Vitam (1). Altera vero, quæ est 44. & sola genuina videtur, inscripta est nomine S. Leonis, & Sanctæ Synodi, quæ in urbe Romæ convenit. Mos enim erat, ut Concilium cogeretur Romæ vel sub finem Septembris, vel initio Octobris. Coacta, ut videtur, jam erat Synodus, cum Romam venit Hilarius Diaconus, & gesta in Ephesina *Latrocinali* Synodo narravit de Eutychetis restitutione, & damnatione Flaviani, quæ omnia a S. Leone, & Synodo reprobata fuere, hisce de causis in hac epistola a S. Pontifice Imperatori expositis. Sic itaque scribit: „ Comperimus non incerto nuntio, sed fidelissimo, quæ gesta sunt, „ narratore Hilario Diacono, qui vix ne subscribere per vim cogeretur effugit, convenisse ad Synodum plurimos Sacerdotes . . . „ In ipso autem judicio non omnes qui convenerant interfuisse „ cognovimus. Nam alios rejectos, alios didicimus intromissos, „ qui pro supradicti Dioscori Sacerdotis arbitrio impiis subscriptionibus captivas manus dederint, & nociturum statui suo scirent, „ nisi imperata fecissent . . . Quod nostri ab Apostolica Sede directi adeo impium, & Catholicæ Fidei contrarium esse viderunt, „ ut ad consentiendum nulla potuerint oppressione compelli . . . . „ quoniam revera omne Christianæ Fidei Sacramentum . . . . exscinditur, nisi hoc scelestissimum facinus, quod cuncta sacrilegia „ excedit, aboleatur (*a*) . . . Ecce ego, Christianissime & Venerabilis Imperator, cum Consacerdotibus meis . . . ne ante Tribunal Christi rei de silentio judicemur . . . obsecramus coram „ unius Deitatis inseparabili Trinitate . . . & coram Sanctis Angelis Christi, ut omnia in eo statu esse jubeatis, donec major „ ex toto Orbe Sacerdotum numerus congregetur . . . &, ut quia „ & nostri fideliter reclamarunt, & eisdem bellum appellationis „ Flavianus Episcopus dedit, Generalem Synodum jubeatis intra „ Italiam celebrari, quæ omnes offensiones ita aut repellat, aut „ mitiget, ne aliquid ultra sit vel in fide dubium, vel in veritate „ divisum: convenientibus utique Orientalium Provinciarum Episcopis, quorum si qui superati minis aut injuriis a veritatis tramite

(1) Epistolam 43. genuinam esse pluribus argumentis ostendunt Ballerini Editores Operum S. Leonis in prævia Admonitione, & sic censent: „ S. Pontifex primo scripsit epistolam 43. . . . . at post aliquot „ dies, cum jam discessissent ii, quibus epistola 43. tradita fuerat, eamdem S. Leo, aliquibus mutatis, ac pluribus additis renovavit, ita ut „ priori, si fieri posset, revocata, vel suppressa, hanc Theodosio offerrent ".

(a) *Ibid. cap.* 1.

S.LEO MAG. „ mite deviarunt, salutaribus remediis in integrum revocentur. Quam „ autem post appellationem interpositam hoc necessario postuletur, „ Canonum Nicææ habitorum Decreta testantur, quæ a totius „ Mundi sunt Sacerdotibus constituta, quæque subter annexa sunt “. Canones Nicænos, quos hic allegat S. Leo, alios non esse quam Sardicenses, merito suspicantur Viri Eruditi, nam in ipsis jus appellationum Romanis Pontificibus asseritur. In Græcis Concilii Chalcedonensis Actis in calce hujus epistolæ (1) subjectus legitur Sardicensis Canon quartus, in quo de appellationibus ad Sedem Romanam mentio habetur. Denique sic epistolam claudit S. Pontifex: „ Favete Catholicis vestro more, parentumque vestrorum. „ Date defendendæ fidei libertatem, quam.... nulla vis, nullus „ poterit mundanus terror auferre. Cum enim Ecclesiæ causa statum regni vestri agamus & salutis, ut Provinciarum vestrarum „ quieto jure potiamini (*a*) “.

Epistolæ ad Constantinopolitanos 50. al. 45. p. 931. & ad Clerum & Plebem ejusdem Urbis 59. al. 46. p. 975. Binas dedit epistolas S. Leo ad Plebem & Clerum Constantinopolitanum. In priore ad Constantinopolitanos, eos „ consolandos, „ adhortandosque “, suscipit, „ ut pro Catholicæ fidei defensione „ perfidorum nequitiæ resistant, eo quod major gloria sit eorum „ subsecutura constantiam, si a probabili Sacerdote suo nullæ mi- „ næ, nulla formido divulserit “. Deinde subdit: „ Qui inco- „ lumi & superstite Flaviano Episcopo vestro Sacerdotium ejus „ fuerit ausus invadere, nunquam in communione nostra habebitur, „ nec inter Episcopos poterit numerari (*b*) “. In altera vero indicat, se epistolas accepisse, in quibus habuit, ut de Cleri Constantinopolitani devotione & pietate gauderet, & in sanctæ plebis acclamationibus omnium illorum probasse affectum. Hinc ansam arripit Clericos hortandi, „ ne sibi Catholica libertas Infidelium ju- „ gum patiatur imponi, sed in fide persistat “, cujus longiorem texit expositionem, ostendens: „ negantes naturam nostræ carnis in „ Christo, & Evangelio contradicere, & Symbolo reluctari. Nec „ sentiunt (subdit) se in hoc præruptum sua obcæcatione deduci, „ ut nec in passionis Dominicæ, nec in Resurrectionis veritate consi- „ stant, quia utrumque in Salvatore vacuatur, si in eo nostri ge- „ neris caro non creditur “. In confirmationem veritatis Incarnationis Sacramentum affert Eucharistiæ, in quo scribit: „ Ab in- „ fantibus linguis veritas corporis & sanguinis Christi inter Com- „ munionis Sacramenta non tacetur “; respondendo scilicet *Amen*, ut mos erat omnibus Communionem sumentibus (*c*). Addit vero: „ Oportet vos, post divinum auxilium etiam Catholicorum Princi- „ pum

---

(1) Sic scribimus. Nam Canones Nicænos, quos sub finem hujus epistolæ allegat S. Leo, & quos subter annexos dicit, alios non esse quam Sardicenses censent omnes viri eruditi.

(a) *Ibid. cap.* 3.

(b) *Ibid. pag.* 932.

(c) *Ibid. pag.* 977.

„ pum gratiam promereri, ut petitioni nostræ, qua plurium indici „ Synodum postulavimus, clementissimus Imperator dignetur annuere (*a*) “.

S. Leo Mag.

Epistolæ ad Pulcheriam 60. al. 48. p. 981. & ad Archimandritas Constantinopolitanos 61. al. 49. p. 983.

In Pulcheriæ responsione deprehendit S. Leo, quantum religiosissima Princeps Catholicam diligeret fidem, & quantum hæreticum detestaretur errorem, adeo ut & ipsum Pontificem ad fortiter & studiose dimicandum pro causa fidei hortaretur: hinc S. Pontifex in hac sua ad illam epistola data 15. Kal. Aprilis anni 450. illi gratulatur, & gratias agit, atque hortatur: „ ut quidquid salubriter „ fieri cum vestræ fidei laude peragitur, unde Eutychiana extinguatur hæresis, quæ non portionem aliquam lædere, sed ipsa „ Christianæ Religionis conatur fundamenta convellere “. Addit, quod „ res humanæ aliter tutæ esse non possunt, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, Regia & Sacerdotalis defendat auctoritas “. Eodem die epistolæ Martini & Fausti Abbatum Constantinopolitanorum respondit, eos hortans; „ ut quantum „ fieri potest, dent operam ut Ecclesiæ filiis innotescat, quid contra impium sensum secundum doctrinam evangelicam & apostolicam prædicemus. Quia licet plene, quæ semper fuisset atque „ esset Catholicorum sententia, scripserimus, tamen nunc quoque „ ad confirmandas omnium mentes non parum exhortationis addidimus “. Addit etiam: „ Ne autem aliqua negligentiæ occasione scripta nostra ad vos non potuerint pervenire, exemplaria „ earumdem nunc mittenda credidimus, ut nullo modo fidei quam „ defendimus prædicatio vestræ notitiæ subtrahatur (*b*) “.

Epistola ad Theodosium 69. al. 52. p. 1005.

Ubi Anatolius loco Flaviani a Pseudo-Synodo Ephesina depositi suffectus fuit in Sede Constantinopolitana, S. Leoni scripsit, ut illi suam electionem nuntiaret, & Sanctæ Sedis Communionem consequeretur. Episcopi quoque ejus Ordinatores eidem Pontifici scripsere, de Orientis tamen turbis, & hæresi Eutychiana illarum fonte & origine alte silentes. Superest nobis adhuc fragmentum epistolæ Anatolii ad S. Leonem. Eodem tempore & Theodosius Imperator S. Leoni scripsit, postulans ut Anatolii Ordinationem ratam haberet. Extollit etiam & laudat Nicænum Concilium, scribens: *Se ab illo non passurum Sacerdotes Domini deviare* (1). S. Leo, cui Anatolii Ordinatio ob Ordinatores suspecta erat, judicium distulit, nec communionem concessit, nec denegavit, expectans, ut ipse Anatolius non suspecta præberet suæ fidei argumenta.

(a) *Ibid. cap.* 5. *pag.* 981.
(b) *Ibid. cap.* 2. *pag.* 984.
(1) Nicænæ Fidei apertam confessionem facit Theodosius, eo quod Eutyches ejusque fautores solam hanc fidem offerentes, nollent cogi ad duas naturas in Christo profitendas, perinde ac si id contrarium esset Nicæno Symbolo, cui nihil addendum prædicabant; & hoc nomine se velut Catholicos venditantes, e contra Catholicos a Nicæna fide desciscere traducebant. Hinc Theodosius ab Eutychianis deceptus scribebat, *non permissurum ut a Nicæna Synodo Sacerdotes Domini deviarent*.

S. Leo Mag.

menta. Refcripfit itaque Theodofio, oportere, ut novus Epifcopus Anatolius „ finceram communis fidei profeffionem abfolutiffima fubfcriptione coram omni Clero, & univerfa plebe declararet, Apoftolicæ Sedi, & univerfis Domini Sacerdotibus atque „ Ecclefiis publicandam (*a*) “. Verum cum hæc difcuffio longius tempus expoftularet, S. Leo ut rem compendio ageret, fcribit Imperatori: „ Ad pietatem veftram fratres & Coepifcopos meos „ Abundium, & Afterium, fed & Bafilium, & Senatorem Pres„ byteros . . . direxi, per quos quæ noftra forma fit fidei manifeftis „ inftructionibus, quas mifimus, poffitis dignanter agnofcere, ut, „ fi Conftantinopolitanus Antiftes in eamdem confeffionem toto „ corde confentit, fecum, ut dignum eft, de Ecclefiaftica pace læ„ temur “. Addit: „ Sin vero aliqui a puritate noftræ fidei, at„ que Patrum auctoritate diffentiunt, Concilium univerfale intra „ Italiam, ficut Synodus, quæ ob hanc caufam Romæ convenerat, „ mecum petiit, clementia veftra concedat (*b*) “. Nihil nec Anatolio, nec Ordinatoribus ejus refcripfit S. Leo, fatis fuperque arbitratus mentem fuam in epiftola ad Theodofium hac de re aperuiffe.

Epiftolæ ad Marcianum Imperatorem 78. al. 108. p 1033. & ad Pulcheriam 79. al. 59. p. 1035.

Vix ad Imperium evectus Marcianus (1) S. Leonem per Epiftolam de fua electione certiorem fecit, declarans, fe paratum effe ad cogendum Concilium: „ in quo quæ Chriftianorum Religioni, „ atque Catholicæ Fidei profint, ficut Sanctitas tua definivit, fua „ difpofitione declaret (*c*) “. Illi itaque fic refpondit S. Leo fcribens: „ Quantas clementiæ veftræ gratias referamus, non ex verbis „ noftris, fed ex beneficiis, quæ Ecclefiæ contuliftis, agnofcite “. Pares gratias etiam Pulcheriæ Auguftæ reddit: „ quod dudum „ fubdolum fanctæ religionis hoftem ab ipfis Ecclefiæ vifceribus „ depulerit (*d*); & quod Sacerdotes Catholici, qui de Ecclefiis „ injufte fuerunt ejecti, fententia reduxerit, & quod Reliquias „ fanctæ memoriæ Flaviani (2) innocentis & Catholici Sacerdo„ tis ad Ecclefiam, cui bene præfuit, cum honore debito revoca„ rit (*e*) “. Deinde fubdit: „ Quofdam vero Epifcopos reconci„ liationem pofcere, & Catholicorum communionem defiderare, „ tam noftrorum, quam fratris & Coepifcopi mei Anatolii, cui „ teftimonium facere dignemini, relatione cognovimus, quorum de„ fideriis

(a) *Ibid. cap.* 1. *pag.* 1007.
(b) *Ibid. cap.* 2.
(1) Marcianus ftudiofiffimus Catholicus opera Pulcheriæ ad Imperium affumptus fuit. Hunc Pulcheria fibi Matrimonio junxit, ea tamen conditione, ne Virginitatem ejus læderet. Obiit anno 457. Succefforem habuit Leonem I. cognomento Marcela. Pulcheria obierat anno 453. omnia fua pauperibus legans.
(c) *Epift. Theod. ad Leon.* 76. *pag.* 1025.
(d) *Epift. ad Pulch. cap.* 1.
(2) Obiit in exilio paulo poft fuam depofitionem.
(e) *Ibid. cap.* 2.

„ fideriis fic præbemus effectum, ut correctis, & quæ male funt „ facta propria fubfcriptione damnantibus . . . pacis gratia tribuatur (*a*)". Commendat vero Pulcheriæ Eufebium Dorilæi, quem fub obtentu Neftorianifmi Eutychiani fua de Sede depulerant, licet, ut dicit S. Leo, „ fuæ effet confors communionis; „ nec non Julianum Coenfem Epifcopum, & Clericos Conftantinopolitanos omnes, qui fanctæ memoriæ Flaviano fidelibus officiis adhæſerunt (*b*)".

S.Leo Mag.

Cum S. Leoni fcripfiffet Anatolius Patriarcha Conftantinopolitanus, literafque fuas per Cafterium Presbyterum, Patritium, & Afclepiadem Diaconos mififfet, qui Romam & Acta Concilii Conftantinopolitani, & Marciani, ac Pulcheriæ literas detulerunt, per eofdem fua remifit refponfa S. Leo data Idibus Aprilis anni 451. In refponfione autem ad Anatolium fe gaudere ait, quod „ fequacem fe Evangelicæ eruditionis oftenderit, & de pace Ecclefiæ „ Conftantinopolitanæ reddita (*c*)". De fratribus vero fubdit, quod eos „ quos communionis noftræ cupidos effe cognovimus, & „ quod doleant fe alieno fceleri præbuiffe confenfum . . . . illud „ quod præfentibus & agentibus noftris conftitutum eft, approbamus, ut fuarum interim Ecclefiarum effent communione contenti: fed cum Legatis noftris quos mifimus participata tecum follicitudine, volumus difponatur, quatenus hi qui plenis fatisfactionibus male gefta condemnant, & accufare fe magis eligunt, „ quam tueri, pacis & communionis noftræ unitate lætentur (*d*)... „ De nominibus autem Diofcori, Juvenalis, & Euftathii ad Sacrum Altare recitandis, dilectionem tuam hoc decet cuftodire, „ quod noftri ibidem conftituti faciendum effe dixerunt, quodque „ honorandæ S. Flaviani memoriæ non repugnet, & a gratia tua „ Chriftianæ plebis animos non avertat . . . . Julianum vero, „ & Clericos, qui fanctæ memoriæ Flaviano fidelibus officiis adhærefcunt, dilectioni quoque tuæ volumus adhærere, ut quem „ fidei fuæ meritis apud Deum noftrum vivere novimus, in te eum „ fibi præfentem effe cognofcant (*e*)".

Epiftola ad Anatolium 80. al. 60. p. 1038.

Cum S. Leo Pafchafinum ad Concilium una cum Lucentio & Bafilio Legatum deftinaffet, hanc ad illum epiftolam 8. Kal. Julias dedit, in qua plura illa recitat SS. Patrum de vera Chrifti Incarnatione teftimonia, quibus de urgente controverfia melius inftrueretur. Deinde fubdit: „ Putant quod noftram poffint diligentiam „ fallere, cum ajunt, fe unam Verbi naturam credere incarnatam, cum utique Verbum Dei in divinitate Patris, & fua, & „ Spiritus Sancti una natura fit, fufcepta autem veritate carnis „ noftræ illi incommutabili fubftantiæ noftram quoque unitam effe „ naturam. Nam nec Incarnatio dici poffet, nifi caro fufciperetur „ a Ver-

Epiftola ad Pafchafinum 88. al. 68. p. 257.

(a) *Ibid. cap.* 2. (b) *Ibid.. cap* 3.
(c) *Ibid. cap.* 1. (d) *Ibid. cap.* 2.
(e) *Ibid. cap.* 4.

S. LEO MAG.

„ a Verbo .... Abominanda ergo eſt in Eutyche impietas, „ quæ alias a Patribus in præcedentibus hæreticis damnata atque „ deſtructa eſt (a)".

Epiſtolæ ad Marcianum 89. al. 69. p. 1060. ad Anatolium 91. al. 70. p. 1064. ad Julianum Coenſem 92. al. 71. p. 1066. ad Concilium Chalcedonenſe 93. al. 72. p. 1067. & iterum ad Marcianum 94. al. 74. p. 1075.

Secundus ad Chalcedonenſe Concilium Legatus a S. Leone miſſus fuit Bonifacius Presbyter, cui Roma diſcedenti epiſtolas in Orientem deferendas tradidit Sanctiſſimus Pontifex. Harum duæ ad Marcianum Imperatorem, alia ad Anatolium, alia ad Concilium Chalcedonenſe, alia ad Julianum, omnes datæ ſexto Kal. Julii anni 451. In priore ad Marcianum epiſtola ſic ſcribit: „ Credebamus, clementiam veſtram... differri ad opportunius tempus Sa„ cerdotalem Synodum jubere, ut evocatis de cunctis Provinciis „ Sacerdotibus vere poſſet eſſe univerſale Concilium. Sed quia vos a„ more Catholicæ fidei congregationem nunc fieri voluiſtis, ne de„ voto obviare viderer arbitrio, fratrem & Coepiſcopum meum „ Paſchaſinum ... direxi, Bonifacio fratre & Compresbytero meo „ ſociato, & his, quos antea miſeramus, adjunctum conſortem „ fratrem quoque meum Julianum addentes Epiſcopum. Quos ea „ moderatione univerſa, Domino auxiliante, credimus eſſe geſtu„ ros, ut quæcumque in querelam perturbationemque venerunt, „ ad unitatem pacis & fidei compreſſa omni diſſenſione revocen„ tur ... nec ullum in aliquorum cordibus Sacerdotum Neſtoria„ næ, aut Eutychianæ impietatis veſtigium relinquatur... Quia „ vero (ſubdit) quidam de fratribus ... contra turbines falſita„ tis non valuere catholicam tenere conſtantiam, prædictum fra„ trem & Coepiſcopum meum vice mea convenit Synodo præſi„ dere. Certus ſum enim quod abſque odio & gratia ibidem ab „ iis, quibus hoc commiſſum laboretur, ut cum ſolius hæreticæ im„ pietatis excidio, in omnibus Eccleſiis Dei veritas regnet & cari„ tas (b)". In ſua vero ad Anatolium epiſtola primo conqueritur „ congregandæ Synodi tam anguſtum tempus appoſitum ... „ ut ipſa interjectorum dierum paucitas neceſſarios Sacerdotes nos „ evocare non ſineret. Quando enim per diverſas longinquaſque „ Provincias mitteremus, & vere poſſet fieri univerſale Conci„ lium"? Secundo addit: „ Non in Concilio ullis conventionum „ difficultatibus credimus laborandum, cum & ipſe indicare digna„ tus ſis, quod in ſuſcipienda fide Catholica & damnatione Euty„ chis atque Neſtorii omnes Orientales ſubſcripſerint Sacerdo„ tes". Juliano vero Epiſcopo Coenſi injungit, „ ut cum „ fratribus & Coepiſcopis noſtris Paſchaſino, & Lucentio, ſed & „ fratribus & Compresbyteris noſtris Bonifacio & Baſilio, quos vi„ ce noſtra ad præfatum conventum ire præcepimus, curam tuam „ actionemque conjungas, auctoritatis noſtræ perceptione uſurus, „ quoniam ſcimus omnium illic actarum rerum majorem te, quam „ no-

(a) *Ibid. cap. 2.*
(b) *Epiſt. ad Marc. pag. 1060.*

„ nostros, habere notitiam (*a*) “. Ad Patres vero Synodi primo Nicæam vocatos, deinde Chalcedonem translatos scribit primo: „ Ut venerabili Synodo nostram præsentiam præberemus . . . nec „ necessitas temporis, nec ulla potest consuetudo permittere. Ta- „ men in fratribus . . . qui ab Apostolica Sede directi sunt, me „ Synodo vestra fraternitas æstimet præsidere (*b*) “. Deinde quod Anatolio scripserat, repetit, scilicet: „ Rejecta penitus audacia „ disputandi contra fidem divinitus inspiratam, vana errantium in- „ fidelitas conquiescat, cum secundum Evangelicas veritates, se- „ cundum propheticas voces, Apostolicamque doctrinam plenissime „ & lucidissime, per literas, quas ad beatæ memoriæ Flavianum „ Episcopum misimus, fuerit declaratum, quid sit de Sacramento „ Incarnationis D. N. J. C. pia & sincera confessio (*c*) “. Tertio sic statuit: „ Quia vero non ignoramus . . . plurimos Episco- „ pos, qui hæresim non reciperent, Sedibus suis pulsos . . . atque „ in locum Superstitum alios substitutos: his primitus vulneribus „ adhibeatur medicina justitiæ, nec quisquam ita careat propriis, „ ut alter utatur alienis . . . , nemini quidem perire suus honor „ debet, sed illos, qui pro fide laboraverunt, cum omni privilegio „ oporteat in proprium reformari “. Quarto vult, ut „ prioris „ Ephesinæ Synodi, cui sanctæ memoriæ Cyrillus Episcopus tunc „ præsedit, contra Nestorium specialiter statuta permaneant, nec „ tunc damnata pietas, ideo sibi in aliquo blandiatur, quia Eu- „ tyches justa execratione percellitur (*d*) “. Nam veritatis defensores Nestorianismi ab Eutychianis accusabantur. Hinc in secunda ad Marcianum epistola (*e*) iterum repetit: „ Prior Synodus „ Ephesina Nestorium cum dogmate suo merito justeque damnavit, „ & quisquis in illo errore persistit, ad nullius potest spem reme- „ dii pertinere “. Indicat vero, lege lata Marcianum jussisse, ne latrocinalis Ephesina Synodus Concilium vocaretur, dum subdit S. Leo: „ Sequens vero in prædicta Civitate non potest vocari „ Concilium, quod in eversionem fidei fuisse constat agitatum, „ quodque vestra clementia . . . aliud statuendo cassavit (*f*) “. Denique sic Imperatorem alloquitur: „ Per ipsum Dominum no- „ strum Jesum Christum . . . obtestor & obsecro clementiam ve- „ stram, ut in præsenti Synodo fidem, quam Beati Patres nostri „ ab Apostolis sibi traditam prædicarunt, non patiamini quasi du- „ biam retractari, & quæ olim majorum sunt auctoritate damna- „ ta, redivivis non permittatis conatibus excitari, illudque potius „ jubeatis, ut antiquæ Nicænæ Synodi constituta remota haeretico- „ rum interpretatione permaneant (*g*) “.

S. LEO MAG.

Tricalet. Tom. VI. N Bre-

(a) *Epist. ad Julianum pag.* 1066.
(b) *Epist. ad Synod. pag.* 1067. *cap.* 1.
(c) *Ibid. cap.* 2. (d) *Ibid. cap.* 3.
(e) *Epist. ad Marcian. pag.* 1063.
(f) *Ibid. cap.* 1. (g) *Ibid. cap.* 2.

[redacted]
S. LEO MAG.
Epistola ad Ravennium Arelatensem Episcopum 96. al. 76. p. 1039.

Brevis epistola ad Ravennium Arelatensem Episcopum nota temporis caret. Data est, ut illum certiorem faceret, Pascha eo anno 452. celebrandum esse die decima Kalendarum Aprilium, „ cujus notitiam “, subdit, „ per dilectionem tuam omnibus volumus declarari “. Cum hac epistola missum etiam creditur Exemplar epistolæ ad Flavianum, ut illi omnes Galliarum Episcopi subscriberent, quod tamen præstare non potuerunt nisi sub finem anni 451. cum eorum literis responsionem non dederit Pontifex, nisi Kalendis Februarii anni insequentis 452. Galliæ Episcopos Arelate convenisse censent Eruditi, ut epistolæ S. Leonis subscriberent, & calculo suo adhærerent. Omnes fuerunt numero quadraginta quatuor, inter quos celebriores Ravennius Arelatensis, Rusticus Narbonensis, Venerius Massiliensis, Maximus Regiensis, Valerianus Cemeliensis, Constantius Ucetiensis, Ingenuus Ebredunensis, Julianus Pomerius Cabilonensis. Extat adhuc hujusce Concilii Synodalis epistola (*a*) laudibus S. Leonis, ejusque ad Flavianum epistolæ referta, dum subdunt: „ Multi itaque in ea gaudentes pariter & exultantes recognoverunt fidei suæ sensum, & ita se semper ex traditione paterna tenuisse, ut vester Apostolatus exposuit, lætantur (*b*) “. Subdunt vero: „ Meritis Apostolatus vestri pius Dominus præstitit, ut hæresim, jamdiu occulte nutritam, vestris temporibus proderet. Ad laudem enim sollicitudinis vestræ pertinet, quod malorum error latere non potuit: ad gloriam fidei redundat, quod prava persuasio participes aut non invenit, aut inventos amisit (*c*) “. Quibus literis respondens S. Leo (*d*) scribit: „ Optassemus quidem fraternitatis vestræ literas eo tempore, quo promiseratis, accipere, ut profecturis ad Orientem fratribus nostris, quos ad Sanctam Synodum vice nostra pro catholicæ fidei defensione direximus, etiam vestræ sententiæ professio jungeretur “. Subdit tamen: „ Eas gratanter accepimus, easque cum gaudio probavimus, censentes, sicut confidebamus, eruditione Spiritus Sancti cælestem in vobis vigere doctrinam (*e*) “. Cum autem nuntium jam accepisset de celebrato Chalcedonensi Concilio, subdit: „ Non ultra jam cuiquam excusationis refugium de ignorantiæ inscitia, vel de intelligentiæ difficultate conceditur, cum ob hoc ipsum sexcentorum fere fratrum Coepiscoporum nostrorum Synodus congregata nullam artem ratiocinandi, nullum eloquium differendi contra fundatam divinitus fidem spirare permiserit, quoniam adnitentibus per auxilium Dei fratribus & Vicariis nostris . . . non solum Sacerdotibus Christi, sed etiam Principibus, & potestatibus christianis, cunctis Cleri, & Plebis ordinibus

---

(a) *Epist. 99. al. 76. pag.* 1107.
(b) *Ibid. cap.* 2.
(c) *Ibid. cap.* 4.
(d) *Epist. 92. al. 77. pag.* 1135.
(e) *Ibid. cap.* 1.

S. LEO MAG.

„ dinibus plane ac evidenter apparuit, hanc eſſe vere Apoſtolicam „ & Catholicam fidem ex divinæ pietatis fonte manantem, quam „ ſinceram, & ab omni fæce erroris alienam, ſicut accepimus, „ prædicamus (*a*)". Oſtendit deinde quod „ ſicut Neſtorius in „ ſuo dogmate execrabilis fuit, ſic & Eutyches . . . alia propha- „ nitate blaſphemat (*b*) . . . Dioſcorum quoque Alexandrinum „ in ſua impietate juſte fuiſſe damnatum, ne illa Eccleſia, quæ „ inter ipſa Evangelii principia beatum Marcum . . . habuit fun- „ datorem, quæque poſtea recentibus a noſtra ætate temporibus „ Athanaſium, Theophilum, & proxime Cyrillum beatiſſimos „ Præſules habuit, indignam captivitatem ſub hæretici dominatio- „ ne pateretur (*c*)". Claudit vero epiſtolam ſubdens: „ Oret „ nobiſcum veſtra dilectio, ut fratres noſtros, quos expectatio no- „ ſtra deſiderat, incolumes quamprimum rediiſſe lætemur, & de „ omnibus, quæ Deo adjuvante ſunt geſta, plenius vos poſſimus in- „ ſtruere. Nam fratrem Ingenuum (epiſtolæ Gallorum Præſulum „ latorem) nolumus hac expectatione tardari, cum ob hoc ipſum „ properare deberet, ne diutius vobis eſſet incognita communium „ materia gaudiorum, quæ volumus per virum dilectionis veſtræ „ etiam ad fratres noſtros Hiſpaniæ Epiſcopos pervenire (*d*)". Patet etiam ex epiſtola, quæ Synodica eſt Epiſcoporum Provinciæ Mediolanenſis (*e*), ad ipſos, non minus quam ad Galliæ Præſules ſcripſiſſe, ac Exemplar epiſtolæ ad Flavianum miſiſſe, ut & ab ipſis ſubſcriberetur. Hac de cauſa Euſebius ſuæ Provinciæ vocavit Epiſcopos, qui, ut ſcribunt, „ recenſita Beatitudinis veſtræ epiſto- „ la in Sacerdotum Domini Concilio . . . claruit, eam plena fi- „ dei ſimplicitate fulgere . . . . nitore quodam lucis, ac veritatis „ ſplendore radiare, omnibuſque ſenſibus convenire, quos Beatus „ Ambroſius Incarnationis Dominicæ myſterio ſuis libris Spiritu „ Sancto excitatos inſeruit (*f*)". Huic Synodicæ decem & novem ſubſcripſere Epiſcopi, inter quos S. Maximus Taurinenſis, cujus plures extant homiliæ.

Expletis Concilii Chalcedonenſis Seſſionibus, ejus Acta ad Sanctum Leonem fuere tranſmiſſa, ut ſua confirmatione roborarentur. Quis fuerit Actorum, & Synodicæ Patrum epiſtolæ portitor, ignoratur. At Lucianus Epiſcopus, & Baſilius Diaconus S. Leoni literas detulere Imperatoris Marciani, Pulcheriæ Imperatricis, Anatolii Conſtantinopolitani, & Juliani Coenſis, quæ omnes in eum collineabant ſcopum, ut S. Leoni perſuaderent Chalcedonenſis Synodi confirmationem etiam in eo articulo, quo delata erat Patriarchæ Conſtantinopolitano poteſtas ordinandi Metropolitas Diœceſum Aſiæ, Ponti, & Thraciæ. Ajebant autem in ſua Synodica Chalcedo-

Epiſtola ad Marcianum 104. al. 78. p. 1143. Ad Pulcheriam 105. al. 79. p. 1153. Ad Anatolium 106. al. 80. p. 1157. Ad Julianum Coenſem 109. al. 83, p. 1177.

(a) *Ibid. cap.* 2. (b) *Ibid. cap.* 3.
(c) *Ibid. cap.* 4. (d) *Ibid. cap.* 5.
(e) *Epiſt.* 97. *al.* 77. *pag.* 1080.
(f) *Ibid. cap.* 2.

S. LEO MAG.

cedonenses Patres (*a*): „ Confirmavimus & centum quinquaginta „ Sanctorum Patrum regulam, qui in Constantinopoli congregati „ sunt . . . post vestram sanctissimam & Apostolicam Sedem hono- „ rem habere Constantinopolitanam . . . confidentes, quia lucente „ apud vos Apostolico radio, & usque ad Constantinopolitanorum „ Ecclesiam consuete gubernando parentes, hunc sæpius expandetis, „ eo quod absque invidia consueveritis vestrorum honorum partici- „ patione ditare domesticos. Quæ igitur definivimus . . . hæc sic- „ uti propria & amica dignare complecti. Qui enim locum vestræ „ Sanctitatis obtinent . . . his ita constitutis vehementer resistere „ tentaverunt, procul dubio a vestra prudentia inchoari & hoc bo- „ num volentes, ut sicuti fidei, sic & bonæ ordinationis vobis de- „ putetur effectus. Nos enim curantes tam piissimos & Christi „ amicos Imperatores . . . . quam clarissimum Senatum, & to- „ tam . . . Imperii civitatem opportunum credimus esse honoris e- „ jus confirmationem ab universo Concilio celebrari, & veluti hæc „ a tua Sanctitate fuerint inchoata . . . . præsumentes, . . . quia „ quidquid rectitudinis a filiis fit, ad patres recurrit (*b*) “. Mar- cianus itaque Imperator in sua ad Leonem Epistola (*c*) primo de fide apud Chalcedonem roborata, & pace Ecclesiæ restituta gratu- latur, scribens: „ Lætetur Sanctimonia tua victoria fidei, cujus „ laurea Omnipotenti Deo referenda est, qui de perfidis egit trium- „ phum (*d*) . . . Episcopis Chalcedonem convocatis tractatu ha- „ bito post multa certamina vera fides obtinuit . . . Non dubita- „ mus hujus rei gratulationem nobis & Sanctitati tuæ esse commu- „ nem, pariterque lætari, quos pariter manifestum est optasse ve- „ ritatem (*e*) “. Deinde rogat, ut „ quod centum quinquaginta „ Episcopi sub Divo Theodosio Majore de honore venerabilis Ec- „ clesiæ Constantinopolitanæ statuerunt, & quæ nunc a S. Synodo „ de eadem re statuta sunt, firma serventur . . . dignetur Sancti- „ tas tua etiam huic parti proprium adhibere consensum (*f*) . . . „ Qua de re per Lucianum virum religiosum Episcopum, & Basi- „ lium Diaconum horum portitores omnia vere insinuari oportere „ censuimus. Et petimus, ut ea quæ Sancta Synodus statuit, et- „ iam religio tua in perpetuum præcipiat observari (*g*) “. De eadem re scripsisse & Pulcheriam Augustam, licet ejus desideretur epistola, ex responsione deprehendimus S. Leonis Augustæ data. Indicat etiam S. Pontifex de eodem argumento litteras sibi datas & ab Anatolio, & a Juliano Coensi, quæ deperditæ sunt. Imperatoris vero litteris in hæc sensa respondit (*h*): „ Miror, & „ do-

(a) *Epist.* 98. *al.* 77. *pag.* 1087.
(b) *Ibid. cap.* 4. *pag.* 1096.
(c) *Epist.* 100. *al.* 77. *pag.* 1112.
(d) *Ibid. cap.* 1. (e) *Ibid. cap.* 2.
(f) *Ibid. cap.* 3. (g) *Ibid. cap.* 4.
(h) *Epist.* 104. *al.* 78. *pag.* 1143.

S. Leo Mag.

„ doleo, quod pacem universalis Ecclesiæ divinitus reformatam, „ ambitionis rursum spiritus inquietet . . . Multum Anatolius E- „ piscopus proprio detrahit merito, si illicito crescere optat aug- „ mento (*a*). . . Non dedignetur Regiam Civitatem, quam Apo- „ stolicam non potest facere Sedem, nec ullo speret modo quod per „ aliorum possit offensiones augeri. Privilegia enim Ecclesiarum San- „ ctorum Patrum Canonibus instituta, & Venerabilis Nicænæ Sy- „ nodi fixa Decretis, nulla possunt improbitate convelli, nulla no- „ vitate mutari. In quo opere fideliter exequendo, necesse est me „ perseverantem exhibere famulatum, quoniam dispensatio mihi „ credita est, & ad meum tendit reatum, si paternarum regulæ San- „ ctionum, quæ in Synodo Nicæna ad totius Ecclesiæ regimen .... „ sunt conditæ, me . . . connivente violentur, & major sit apud „ me unius fratris voluntas, quam universæ domus Domini com- „ munis utilitas (*b*) ". Et præmiserat: „ Cum secundum conse- „ crationis suæ auctores ejus initia titubarent (ordinatus siquidem „ fuerat Constantinopolitanus Episcopus a Dioscoro post injustam „ Flaviani depositionem), benigniores circa ipsum, quam justio- „ res esse voluimus . . . quæ illum modestum magis quam immo- „ deratum facere debuerant (*c*) ". Addit: „ Neque sibi æstimet „ licuisse, quod Antiochenæ Ecclesiæ sine ullo exemplo contra in- „ stituta Canonum Episcopum ordinare præsumpsit (ordinaverat „ enim Anatolius Maximum in Episcopum Antiochenum loco Do- „ mni, non minus injuste, quam Flavianus, a prædatoria Ephe- „ sina Synodo depositi). Quod nos amore reparandæ fidei & pa- „ cis studio retractare cessavimus (*d*) ". Eadem ferme repetit in alia ad Pulcheriam epistola (*e*). Ad ipsum vero Anatolium sic scribit (*f*): „ Decessore tuo beatæ memoriæ Flaviano propter „ defensiones veritatis ejecto, non immerito credebatur, quod Or- „ dinatores tui . . . viderentur sui similem consecrasse. Sed affuit „ misericordia Dei te dirigens atque confirmans, ut malis principiis „ bene utereris, & non te judicio hominum, sed Dei benignitate „ provectum monstrares (*g*) . . . . Post igitur Ordinationis tuæ „ non inculpata principia, post consecrationem Antiocheni Episco- „ pi, quam tibi contra Canonicam regulam vendicasti, doleo et- „ iam in hoc dilectionem tuam esse prolapsam, ut sanctissimas „ Nicænorum Canonum constitutiones conareris infringere, tan- „ quam opportune se tibi hoc tempus obtulerit, quo secundi hono- „ ris privilegium Sedes Alexandrina perdiderit, & Antiochena „ Ecclesia proprietatem tertiæ dignitatis amiserit, ut his locis juri „ tuo subditis omnes Metropolitani Episcopi proprio honore pri-

„ ventur

(a) *Ibid. cap.* 2. (b) *Ibid. cap.* 3.
(c) *Ibid. cap.* 2. (d) *Ibid. cap.* 5.
(e) *Epist.* 105. *al.* 79. *pag.* 1153.
(f) *Epist.* 106. *al.* 80. *pag.* 1157.
(g) *Ibid. cap.* 1.

S. LEO MAG.

„ ventur (a)..". Subdit: Persuasioni tuæ in nullo penitus suffra- „ gantur quorumdam Episcoporum ante sexaginta annos facta con- „ scriptio; nunquamque a Prædecessoribus tuis ad Apostolicam Se- „ dem transmissam notitiam, cui ab initio sui caducæ dudumque „ collapsæ sera nunc & inutilia subjicere fundamenta voluisti (b)". Denique epistolam claudit scribens: „ Si inconcessa petieris, ipse „ te tuo opere atque judicio universalis Ecclesiæ pace priva- „ bis (c)". Ad Julianum vero scribens illum reprehendit, quod „ talia dirigere potuerit scripta, quibus in tantum pro appe- „ titu novæ transgressionis interveniret, ut sibi putaret aliquid „ speciale præstandum, si his quæ illicite concupiscuntur annue- „ ret". Dein illum sic corrigit: „ Moneo, ut major sit apud te „ universalis Ecclesiæ status, saluberrima alia & vera ordinatione „ munitus, quam in cujusquam gratiam ea a me velis postulare, „ quæ sine reatu utriusque nostrum nec mihi concedere, nec tibi „ licet obtinere". Hæ omnes epistolæ datæ undecimo Kal. Junias anni 452. ad Orientem delatæ sunt per Lucianum Episcopum.

Reversis a Synodo Chalcedonensi Legatis, acceptisque gestis & sententia adversus Eutychen & Dioscorum prolata, iterum Galliarum Episcopis scripsit S. Leo, ut eos de omnibus certiores faceret, & præcipue de catholica fide confirmata, & glorificato Apostolicæ prædicationis triumpho, addens: „ Qualis sit lata senten- „ tia, exemplaria quæ misimus edocebunt, ut agnoscat vestra dile- „ ctio in sancto examine divinum non defuisse judicium". Addit proinde epistolæ exemplar sententiæ in Eutychen & Dioscorum latæ.

Ad Theodorum Forojuliensem Episcopum 108. al. 83. pag. 1173.

Hæc ad Theodorum Forojuliensem Episcopum epistola data est 3. Idus Junii anni 452. Nonnullas proposuerat S. Leoni quæstiones Theodorus de iis, qui morti proximi pœnitentiam postulant, & de iis, qui accepta pœnitentia ægrotant, vel moriuntur, priusquam Ecclesiæ reconcilientur. Illi autem 1. respondet S. Pontifex: „ Sollicitudinis tuæ hic ordo esse debuerat, ut cum Metropo- „ litano tuo primitus de eo quod quærendum esse videbatur, con- „ ferres, ac si id quod ignorabat dilectio tua, etiam ipse nesciret, „ nos pariter posceretis, quia in causis, quæ ad generalem obser- „ vantiam pertinent omnium Domini Sacerdotum, nihil sine Pri- „ matibus oportet inquiri (d)". Deinde ad propositas difficultates descendens respondet in hæc sensa: „ Multiplex Misericordia „ Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut non solum per baptismi „ gratiam, sed etiam per pœnitentiæ medicinam spes vitæ repare- „ tur æternæ . . . Mediator enim Dei & hominum homo Christus „ Jesus hanc Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut confitenti- „ bus actionem pœnitentiæ darent, & eosdem salubri satisfactione „ purgatos ad communionem Sacramentorum per januam reconci- „ liatio-

(a) *Ibid. cap.* 2. (b) *Ibid. cap.* 3.
(c) *Ibid. cap.* 6. (d) *Ibid. cap.* 1.

S. LEO MAG.

„ liationis admitterent (*a*) . . . Quod tamen beneficium qui manens in corpore non recipit, consequi exutus carne non poterit (*b*) . . . His autem, qui in tempore necessitatis . . . præsidium pœnitentiæ . . . implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda, quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora definire, apud quem nullas patitur veniæ moras vera conversio (*c*) " : quod pluribus Scripturæ confirmat testimoniis, tum subdit : „ In dispensandis itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se lacrymas gemitusque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem ex Dei credimus inspiratione conceptam (*d*) ". De iis vero, qui pœnitentiam differunt, scribit : „ Non oportet . . . ut quis converti ad Deum de die in diem differat, nec satisfactionis tempus sibi in hac vita constituat . . . & ad paucarum horarum se reservet incertum . . . quo vix inveniat spatium vel confessio pœnitentis, vel reconciliatio Sacerdotis ". Dein sic statuit : „ At si aliqua vi ægritudinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præsentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis Fidelium circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ & reconciliationis beneficium consequantur, servata tamen regula Canonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide discedendo peccarunt (*e*) ". Denique Præsulem monet, ut „ quæ ad ejus interrogationes respondit, in Metropolitani sui notitiam faciat pervenire, ut si qui forte sunt fratrum, qui de his antea putaverint ambigendum, per ipsum de omnibus instruantur (*f*) ".

Epistola ad Maximum 119. al. 92. & ad Theodoretum 120. al. 93. pag. 1212. & 1218.

Plurimi erant in Oriente Nestoriani & Eutychiani, qui se mutuo anathematizabant. De his monitus S. Leo a Maximo Antiocheno Episcopo sua ad illum epistola data 3. Idus Junii hortatur, ut utrique obsistat errori : „ & ne ullo modo sinat in Orientalibus Ecclesiis, maximeque in iis, quas Antiochenæ Sedi . . . Nicæni Canones deputarunt, ab improbis Hæreticis Evangelio insultari, & vel Nestorii, vel Eutychetis a quovis dogma defendi (*g*) . . . nosque sæpius de profectu Ecclesiarum suis relationibus quid agatur instruere (*h*) ". Hortatur etiam ut privilegia suæ Sedis agnoscat, „ quæ (subdit) in nullo cujusquam ambitione minui, vel patiar aliqua novitate violari, sicut præsumpsit in Ephesina Synodo Juvenalis Episcopus, qui ad obtinendum Palæstinæ Provinciæ Principatum, credidit se posse proficere, & insolentes ausus per commentitia scripta firmare ". Addens etiam, quod „ si quid ab his fratribus, quos ad Sanctam Synodum vice mea

N 4 „ missi,

(a) *Ibid. cap.* 2. (b) *Ibid. cap.* 3.
(c) *Ibid. cap.* 4. (d) *Ibidem.*
(e) *Ibid. cap.* 5. (f) *Ibid. cap.* 6.
(g) *Epist. ad Maxim. cap.* 2.
(h) *Ibid. cap.* 3.

S. LEO MAG.

„ misi, præter id, quod ad causam fidei pertinebat, gestum esse „ perhibeatur, nullius erit penitus firmitatis, quia ad hoc tantum „ sunt ab Apostolica Sede directi, ut excussis hæresibus Catholicæ „ essent fidei defensores". Ut vero quanta diligentia Ecclesiarum jura tueretur, ostenderet, subdit: „Quanta diligentia hoc custodia- „ tur a nobis. Exemplaribus ejus epistolæ, quam ad Constantino- „ politanum Episcopum, refrænantes ipsius cupiditatem, dreximus, „ instrueris (a)". Monet denique: „ut præter eos, qui sunt „ Domini Sacerdotes, nullus sibi docendi & prædicandi jus audeat „ vindicare, sive ille Monachus, sive ille sit Laicus, qui alicujus „ scientiæ nomine glorietur; quia etsi optandum est, ut omnes „ Ecclesiæ filii quæ recta & sana sunt sapiant, non tamen permit- „ tendum est, ut quisquam extra Sacerdotalem ordinem constitutus „ gradum sibi prædicatoris assumat, cum in Ecclesia Dei omnia „ ordinata esse conveniat, ut in uno Christi corpore & excellen- „ tiora membra suum officium impleant, & inferiora superiori- „ bus non insultent". Hanc S. Leonis sollicitudinem ex eo crea- tam credimus ob querelas de quibusdam Monachis, qui prædicatio- nis officium sibi arrogabant, & forte indicatur Barsumas Abbas cum suis asseclis Eutychetis fautoribus, qui totam Syriam commo- visse traditur. In epistola vero ad Theodoretum Cyri Episcopum data 3. Idus Junii illum exhortatur, ut quia „in Oriente Eu- „ tychiani & Nestoriani erroris reliquias remansisse constat, ad eo- „ rum extinctionem cum Apostolica Sede collaboret, & ut sua re- „ latione currente quid apud illas regiones doctrina Dominica pro- „ ficiat, Apostolicam Sedem festinet instruere". Addit & quod Maximo scripserat, scilicet: „ut præter Domini Sacerdotes nullus „ audeat prædicare, sive Monachus ille sit, sive Laicus, qui cu- „ juslibet scientiæ nomine glorietur (b)". De Definitionibus autem Sedis Apostolicæ per Chalcedonensem Synodum confirmatis scribit: „Remeantibus ad nos fratribus . . . quos ad S. Concilium „ Sedes B. Petri direxit, agnovimus dilectionem tuam superno ad- „ jutorio nobiscum tam Nestorianæ impietatis, quam Eutychianæ „ vesaniæ extitisse victricem. Unde gloriamur in Domino . . . . „ qui nullum nos in nostris fratribus detrimentum sustinere permi- „ sit, sed quæ nostro prius ministerio definierat, universæ fraterni- „ tatis irretractabili firmavit assensu, ut vere a se prodiisse osten- „ deret, quod prius a prima omnium Sede formatum totius Chri- „ stiani Orbis judicium recepisset, ut in hoc quoque capiti mem- „ bra concordent . . . Nam, ne aliarum Sedium ad eam, quam „ cæteris omnibus Dominus statuit præsidere, consensus assentatio- „ nis videretur, aut alia quælibet subrepere posset suspicio, inventi „ prius sunt qui de judiciis nostris ambigerent. Et dum nonnulli „ a dissensionis incitati Auctore ad contradictionum bella prosi- „ liunt,

(a) *Ibid. cap. 6.*
(b) *Epist. ad Theodoretum cap. 6.*

„ liunt, ad majus bonum malo ejus, Auctore totius bonitatis dis- S. LEO MAG.
„ pensante, perventum est. Dulcius siquidem munera gratiæ divi-
„ næ proveniunt, quoties non sine magnis sudoribus adquiruntur,
„ & majus bonum videri solet pax continuata per otium, quam
„ reddita per labores. Ipsa quoque veritas & clarius nitescit, &
„ fortius retinetur, dum quæ fides prius docuerat, hæc postea exa-
„ minatio confirmaverit. Multum denique Sacerdotalis officii me-
„ ritum splendescit, ubi sic Summorum servator auctoritas, ut in
„ nullo Inferiorum putetur imminuta libertas (*a*)". Addit etiam: „ Solis justitiæ jubar densis per Orientem Nestorii, & Eu-
„ tychetis nebulis impeditum, pure ab Occidente resplenduit, ubi
„ culmen summum in Apostolis & Doctoribus principaliter collo-
„ cavit. Quamvis nec illic unquam defuisse credendus sit, quo
„ Confessores sibi egregios reservavit (*b*)". Dioscori quoque audaciam detestatur, qui in Romanum Pontificem ausus esset anathema pronunciare, scribens: „ Nec nos, licet in singulis fratribus,
„ quia membra sunt, vulnerasset, a speciali dolore fecit exceptos,
„ quibus nova & inaudita prius atque incredibili audacia inferre
„ contra suum caput est molitus injuriam (*c*)..... Igitur dum
„ sanctæ memoriæ Flaviano vitam præsentis sæculi molitur aufer-
„ re, se veræ vitæ luce privavit. Dum vos vero ab Ecclesiis ve-
„ stris conatur expellere, se a Christianorum collegio segregavit
„ (*d*)". Monet vero Theodoretum, „ ut quotiescumque...
„ illos qui foris sunt fonte doctrinæ aut submergimus aut purga-
„ mus, in nullo ab illis, quas Spiritus Sancti Divinitas in Conci-
„ lio Chalcedonensi protulit, fidei regulis recedentes, inter utrum-
„ que hostem novellæ perfidiæ sermonem nostrum cum omni caute-
„ la libremus (*e*)... ut eis nullam calumniandi occasionem,
„ quoad nos attinet, penitus relinquamus, nec unquam contra
„ Nestorianos aut Eutychianos agentes alteri eorum videamur ter-
„ ga vertisse, sed utrosque Christi hostes æqua lance vitemus, i-
„ ta ut eos, quoties audientium quantalibet poscit utilitas, cum
„ dogmatibus eorum digno anathemate promptissime... feriamus
„ (*f*)". Epistolam vero claudit Theodoreti fidem laudans in hæc verba: „ Benedictus Deus noster, cujus invincibilis veritas
„ ab omni hæreseos macula mundum te secundum Apostolicæ Se-
„ dis judicium demonstravit (*g*)".

Marcianus Imperator circa 12. Kal. Aprilis anni 453. Paulo in mandatis secreto dederat, ut S. Leonem rogaret, ut ad Eudoxiam (1) scriberet, quæ a Theodosio Monacho in Eutychianum errorem Epistola ad Eudoxiam 123. al. 96. p. 1234.

(a) *Ibid. cap.* 1. (b) *Ibid. cap.* 2.
(c) *Ibid. cap.* 3. (d) *Ibid. cap.* 4.
(e) *Ibid. cap.* 5. (f) *Ibid. cap.* 5. (g) *Ibidem.*
(1) Eudoxia Theodosii junioris Vidua Eutychianum errorem amplexa fuit, verum literis S. Simeonis Stylitæ permota ad Catholicam Ecclesiam

S. LEO MAG.

Ad Monachos Palæstinos 124. al. 97. pag. 1236. Ad Julianum Coensem 125. al. 98. pag. 1244.

rorem abrepta fuerat, utque ab eo illam revocaret. Imperatoris desideriis obsecundasse S. Leonem nullus dubitat, verum de hoc argumento conscripta desideratur Epistola. Alia tamen nobis superest S. Leonis Epistola ad Eudoxiam, qua illam hortatur, „ ut causam „ fidei, in qua quorumdam intra Provinciam Palæstinam Mona„ chorum fuerunt corda turbata, magis magisque per vos faciat ad„ juvari (*a*) . . . Si ergo prædicti nomen Catholicum venerantur „ & diligunt, & inter Dominici corporis volunt membra connume„ rari, pravos errores, quos temere admiserunt, detestentur, & a„ gant pœnitentiam impiarum blasphemiarum, cruentorumque fa„ ctorum . . . credant quod legunt in Evangelio, quod confitentur „ in Symbolo, nec impiis dogmatibus misceantur (*b*) “. Denique ab ea petit, ut „ si quid erga prædictorum conversionem ex„ hortatio vestra profecerit . . . peto, hoc mihi clementiæ vestræ „ litteris indicetis (*c*) “. Data est hæc Epistola decimo septimo Kal. Junii: de ejus erroris adhæsione nihil habet S. Leo, licet ab eo non recesserit, nisi anno 456., sed potius supponere videtur illam de Incarnationis Mysterio cum Catholicis optime sentire, cujus veritatis sensibilia argumenta ex locis ipsis sanctis, quæ incolebat, poterat desumere. Aliam & ad ipsos Monachos dedit Epistolam S. Leo, ea permotus sollicitudine, quam universali Ecclesiæ, omnibusque ejus filiis debebat. Dicit, „ eorum animis quid„ dam offensionis illatum, dum aut imperiti interpretes, aut ma„ ligni, quædam vos aliter intelligere, quam a me sunt prædica„ ta, fecerunt, non valentes in Græcum eloquium apte & proprie „ Latina verba transferre. “ Addit: „ Quod de Incarnatione Ver„ bi secundum Evangelicam Apostolicamque doctrinam . . . pate„ feci, in nullo a Sanctorum Patrum confessione discessi, quia una „ est vera singularis catholica fides, cui nihil addi, aut minui „ potest (*d*) “. Jubet illis, ut anathematizent Nestorium, Eutychen, Apollinarem, Marcionem, & Manichæos, „ qui ita ob„ cæcati & a lumine veritatis alieni sunt, ut Verbo Dei a tempo„ re Incarnationis humanam, id est nostram negent inesse natu„ ram, nec ostendunt, in quo sibi Christianum nomen usurpent, „ cum Evangelio veritatis non concordent, dum per Beatæ Vir„ ginis partum aut carnem sine Deitate, aut Deitatem sine carne „ ortam blasphemant. Sicut enim negari non potest, quod *Ver„ bum caro factum est, & habitavit in nobis*, ita negari non „ potest, quod *Deus erat in Christo Mundum reconcilians si-*

„ *bi*

clesiam regreditur. Obiit Hierosolymis anno 460. Filia erat Leontii Atheniensis Philosophi, & in politioribus literis exculta, nec non in Philosophicis, & Mathematicis erudita. Plures Scripturæ libros carmine expressit.

(a) *Epist. ad Eudox. cap.* 1.
(b) *Ibid. cap.* 2. (c) *Ibid.*
(d) *Epist. ad Monach. cap.* 1.

„ *bi* (*a*). . . Qui itaque in Salvatoris nostri corpore negant humanæ substantiæ veritatem, dicant, quo sacrificio reconciliati, quo sanguine sint redempti (*b*) “? Hinc occasionem nactus utriusque naturæ proprietates sic distinguit, scribens: „ Sine Verbi potentia non adorarent Magi puerum novo sidere declaratum, & sine veritate carnis non juberetur transferri in Ægyptum puer, & ab Herodis persecutione subduci . . . sine Verbi potentia non fieret redintegratio debilium, & vivificatio mortuorum, & sine veritate carnis nec cibus jejuno, nec somnus necessarius esset fatigato . . . . Et quamvis . . . . nihil unquam inter divinam humanamque substantiam divisionis extiterit... ea tamen quæ corporaliter facta sunt, nulla permixtione confundimus... Nec divina enim humanis præjudicant, nec humana divinis, cum ita in idipsum utraque concurrant, ut in eis nec proprietas absumatur, nec persona geminetur. Dicant igitur isti phantasmatici Christiani, quæ substantia Salvatoris affixa sit ligno, quæ jacuerit in sepulchro, & revoluto monumenti lapide . . . . caro surrexerit; vel quale corpus Jesu Discipulorum visui . . . intulerit, cum inspici oculis, digitisque tractari patentes adhuc fixuras clavorum, & recens compuncti lateris vulnus exhiberet (*c*) . . . Nec interest, ex qua Christus substantia nominetur, cum inseparabiliter manente unitate personæ, idem sit & totius hominis filius propter carnem, & totius Dei filius propter unam cum Patre Deitatem. Quidquid ergo in tempore accepit Christus, secundum hominem accepit . . . Propter quod sicut Dominus majestatis dicitur crucifixus, ita qui ex sempiternitate æqualis est Deo, dicitur exaltatus. Nam secundum potentiam Verbi, indifferenter omnia quæ habet Pater, etiam Filius habet, & quæ in forma Servi a Patre accepit, eadem in forma Patris etiam ipse donavit. Est idem ipse & dives, & pauper. Dives, quia *in principio erat Verbum . . . omnia per ipsum facta sunt* . . . Pauper vero, quia *Verbum caro factum est* . . . Nam quia captivitatis nostræ resolvi originalia vincula non poterat, nisi existeret homo nostri generis nostræque naturæ, quem veteris debiti præjudicia non tenerent, & qui immaculato sanguine suo chirographum lethale dilueret (*d*) “. Dolorem vero suum sic pandit Monachos exprobrans in hæc verba: „ Doleo vos Evangelicæ & Apostolicæ Doctrinæ ut audio insultare . . . conturbando Ecclesiam, nec solum injurias, sed etiam cædes Presbyteris atque Episcopis inferendo . . . Ubi est regula mansuetudinis & quietis? Ubi longanimitas patientiæ? Ubi tranquillitas pacis? . . . Quæ tanta extitit decipientis astutia ut obliti Prophetarum, & Apostolorum, obliti symboli salutis & confessionis, quam pronuntiantes coram multis testibus Sacramentum baptismi suscepistis, diabolicis

„ vos

S. Leo Mag.

(a) *Ibid. cap.* 3. (b) *Ibid. cap.* 4.
(c) *Ibid. cap.* 6. (d) *Ibid. cap.* 7.

„ vos illusionibus subderetis (*a*) “? Denique sic eos ad meliorem revocat frugem: „ Declinate, filii, ab his diabolicis persuasionibus „ declinate. Veritatem Dei nulla res violat, sed veritas non nisi in „ nostra carne salvat (*b*) “. Epistola vero ad Julianum Coensem data septimo Kal. Julii nihil habet notatu dignum: solum in ea S. Leo cujusdam meminit epistolæ ad Imperatorem datæ, quæ desideratur.

Epistolæ ad Anatolium 135. al. 106. pag. 1277. & binæ ad Marcianum, nimirum 136. al. 107. p. 1279. & 137. al. 108. pag. 1282.

Interim Anatolius Constantinopolitanus Episcopus ad S. Leonem epistolam dedit, quæ de intermisso litterarum commercio amice conqueritur. Deinde debitam Pontifici obedientiam ostendens scribit: „ Quia piissimus & Christianissimus Princeps . . . . . vestræ „ Beatitudinis litteras mihi sublegit, ea statim quæ continebantur „ in eis, ut placita vobis, impleri, quod me facere vel commu„ nis pacis utilitas, vel quod decuerat, hortabatur (*c*) . . . . . „ Presbyter Aetius in priori loco atque honore Ecclesiastico nobis „ est restitutus . . . Andreas autem . . . ab Ecclesia separatus est „ cum his, qui contra sanctæ memoriæ patrem nostrum atque E„ piscopum fuerant Flavianum (*d*) “. Rogat vero Beatitudinem suam, „ ut litteris suis nos lætificare dignetur, quibus illo perfici va„ leamus affectu, quem prudentissimis vestris insitum copiose jam „ novimus vigere præcordiis (*e*) “. De his vero, quæ in favorem Constantinopolitanæ Ecclesiæ in Chalcedonensi Synodo sancita fuerant, sic se excusans scribit: „ Pro certo Beatitudo vestra hoc ha„ beat, nullam esse culpam in me, homine, qui semper otium & „ quietem . . . . ab ineunte mea ætate dilexerim, sed Constanti„ nopolitanæ Ecclesiæ . . . . . Clerus est, qui hoc habuit stu„ dium, & istarum partium religiosissimi Sacerdotes, qui in hoc „ fuere concordes, & sibi pariter adjutores. Cum & sic gestorum „ vis omnis, & confirmatio auctoritati vestræ Beatitudinis fuerit „ reservata (*f*) “. Quæ verba S. Leo de appetiti honoris Constantinopolitanæ Sedis abjectione interpretatus sic respondet: „ Gratum mihi est quod dilectio tua id sibi profitetur displicere. „ Quod tunc etiam placere non debuit. Sufficit in gratiæ com„ munis regressum professio dilectionis tuæ, & contestatio Principis „ Christiani. Nec videtur tarda correctio, cui tam venerabilis as„ sertor accessit (*g*) “. In epistolis vero ad Marcianum rationes reddit, cur Anatolio scribere intermiserit, & quibus conditionibus illi reconcilietur exponit: rogat Imperatorem, ut Carosi Monachi audaciam & proterviam sua auctoritate compescat. Precatur etiam Principem, „ ut Œconomos Ecclesiæ . . . a publicis judicibus „ non sinatis audiri, & hanc injuriam sacris removeatis ordinibus, „ sed

(a) *Ibid. cap.* 8. (b) *Ibid. cap.* 9.
(c) *Epist. Anatolii ad S. Leonem* 132. *al.* 105. *p.* 126. *c.* 1.
(d) *Ibid. cap.* 2. (e) *Ibid. cap.* 3.
(f) *Ibid. cap.* 4.
(g) *Epist. ad Anatol. cap.* 3. *p.* 1279.

„ ſed rationes Eccleſiæ ſecundum traditum morem Sacerdotali examine jubeatis inquiri (*a*)“.

S. LEO MAG.

Juvenalis ad ſuam ſedem, ejecto Theodoſio, reſtitutus per Marcianum Imperatorem, S. Leoni, ut ipſum de ſua reſtitutione certiorem faceret, ſcripſit. In hac epiſtola per Andream Presbyterum, & Petrum Diaconum miſſa meminit epiſtolæ S. Leonis ad Flavianum, ſed unde occaſionem nactus ſit, ignoramus. Illi vero reſpondens S. Leo primo „ gaviſum ſe dicit, quod illi ad Epiſcopatus „ ſui ſedem redire licuiſſet“. Dein vero ſic illum admonet & corripit: „ Dolui adverſitatum tuarum temetipſum tibi fuiſſe materiam, & reſiſtendi hæreticis conſtantiam perdidiſſe . . . Beatæ „ enim memoriæ Flaviani condemnatio, & impiiſſimi Eutychis „ receptio, quid niſi D. N. J. C. ſecundum carnem negatio „ fuit“? . . . Addit vero: „ Quamvis nulli Sacerdotum liceat „ neſcire, quod Scriptura prædicat; inexcuſabilior tamen eſt omnibus imperitis quilibet Hieroſolymis habitans Chriſtianus, qui ad „ cognoſcendam virtutem Evangelii, non ſolum paginarum eloquiis, ſed ipſorum locorum teſtimoniis eruditur; & quod alibi „ non licet non credi, ibi non poteſt non videri (*b*)... Apud te eſt „ Bethleem... ubi involutum pannis inter anguſtias diverſorii præſepe ſuſcepit. Apud te eſt declarata ab Angelis, adorata a Magis, „ & per multorum infantium mortem ab Herode quæſita Salvatoris infantia. Apud te eſt, ubi pueritia ejus adolevit, ubi adoleſcentia maturavit, & per incrementa corporea in virum perfectum veri hominis natura profecit, non ſine cibo eſuritionis, „ non ſine ſomno quietis, non ſine fletu miſerationis, nec ſine pavore formidinis . . . Hoc tibi ipſa Crux indeſinenter loquitur; „ hoc lapis clamat ſepulcri, in quo Dominus humana conditione „ jacuit, & de quo divina potentia reſurrexit. Ibi unus atque „ idem eſt, qui & in forma Dei operatus eſt miracula, & in forma „ ſervi ſubiit ſævitiam paſſionis (*c*) . . . & ut repararet omnium „ cauſam, ac viam veteris chirographi, quod ſolus inter omnes „ non debuit, pro omnibus ſolvendo vacuavit (*d*)“: Addit: „ Hæc autem veritas quantis & novi & veteris Teſtamenti auctoritatibus declaretur, pro antiquitate Sacerdotii tui evidenter agnoſcis, cum fides Patrum, & ſcripta mea ad Flavianum data, „ quorum mentionem ipſe feciſti, adjecta univerſalis Synodi confirmatione, ſufficiant (*e*)“ (1).

Epiſtola ad Juvenalem Jeroſolymitanum Epiſcopum 139. al. 110. pag. 1285.

Dioſcorus Gangram Paphlagoniæ urbem relegatus poſt ejus in Chal-

Epiſtola ad Julianum 140. al. 111.

(a) *Epiſt. ad Marcian. p.* 1282.
(b) *Ibid. cap.* 1. (c) *Ibid. cap.* 2.
(d) *Ibid. cap.* 3. (e) *Ibid. cap.* 4.
(1) Theodoſius Monachus ſceleribus infamis ſchiſmaticos adverſus Juvenalem excitaverat, ſeque ejus loco Epiſcopum ordinari procuraverat. At Marcianus Juvenalem ſuæ Sedi reſtituit anno 453.

S. LEO MAG.

p. 1295. ad Marcianum 142. al. 112. iterum ad Julianum 141. al. 113. & ad Anatolium 143. al. 114. pag. 1296. & seq.

Chalcedonensi Synodo depositionem ibi ad plures abiit 4. Nonas Septembris anni 454. Hujus eventus certiorem fecit Julianus S. Leonem, qui illi rescribens ait: „ Nunc intereunte Dioscoro . . . „ & perfidiæ incentore sublato . . . . auxiliante misericordia Dei „ facilius est errantium speranda correctio, & efficacior erit præ- „ dicatio Evangelii extincto defensore mendacii: cooperante ad hoc „ remedium Christianissimi Principis pietate, cujus devotio pro o- „ mnibus Catholicæ fidei profectibus sanctas semper prætendit ex- „ cubias (*a*) “. Piissimo huic Imperatori scripsit S. Leo initio insequentis anni 455. gratias agens, quod „ Carosus & Doro- „ theus Monachi, qui hæretica pravitate in multorum perniciem da- „ mnatos tuebantur errores . . . ablati a suis Monasteriis, apud „ eos degere juberentur, quibus nocere non possent (*b*) “. Ipse Marcianus hac de re S. Leoni scripserat, quod & præstitit Julianus, qui & in alia ad S. Leonem epistola illi nuntiaverat, „ Carosum in fidei confessione correctum . . . Joannem vero Decurio- „ nem spectabilem virum, & in fidei sinceritate laudabilem ad Æ- „ gyptum causa fidei fuisse directum (*c*) “. Deferebat Decurio Joannes epistolam Imperatoris ad Monachos Ægyptios, qua illos de sceleribus Theodosii certiorem faciebat, & exhortabatur, ut eum cum suis complicibus Provinciæ Præsidi traderent non pro meritis puniendum, sed ne complicibus eos fallendo nocere posset. Huic etiam Decurioni demandata videtur executio legis Marciani adversus Eutychianos, qua vetabat, ne quid legato, vel testamento sibi relictum habere possent, & ne Episcopos, aut Clericos ordinare auderent, interminata exilii & bonorum expoliationis pœna. Data est hæc lex Kal. Augusti anni 455. Scripserat etiam Julianus S. Leoni de nonnullis adversus Maximum Antiochenum Episcopum querelis. Cui respondens S. Leo mandat, ut sibi notum faciat, tum quantum Joannes Decurio in Ægyptum missus paci, emendationique profuerit, tum ad quem tandem finem Maximi Antiocheni causa pervenerit. Scripsit biduo post S. Leo & ad Anatolium Constantinopolitanum in hæc verba: „ In qua autem „ sollicitudine dilectionem tuam vigilare conveniat, indubitanter „ intelligis: quia aliquantas apud vos pravorum hominum resedis- „ se reliquias recognoscitis, quibus comprimendis, vel potius . . . „ abolendis cupimus te instanter incumbere (*d*) “.

Hæc ad Anatolium epistola postrema est earum, quæ conscriptæ fuere ab ipso anno 455. insequentis vero anni 456. nullæ extant epistolæ, quippe qui reparandis ruinis, quas Vandali intulerant, occupatus S. Pontifex curis aliarum Ecclesiarum vacare nequibat. Prima vero anni 457. data 4. Idus Junii ad Leonem Imperatorem

---

(a) *Ad Julian.*
(b) *Epist. ad Marcian. cap. 2. pag. 1297.*
(c) *Epist. ad Julian. cap. 1. pag. 1296.*
(d) *Epist. ad Anatol. pag. 1298.*

rem (1) directa est, qui paulo ante auctoritate Patritii Asparis Imperialem obtinuerat dignitatem. Diutius Marciano, qui nonnisi sex annis cum dimidio imperavit, imperii habenas moderatus est, sed minus Ecclesiæ favens. Ad illum epistolam dedit S. Leo gratulatoriam pro ejus ad Imperium assumptione, quæ tamen desideratur; in hac autem se gaudere dicit, quod Augustus Synodi Chalcedonensis voluerit se esse custodem, & ab eodem pertinacem, & insidiosam hæreticorum contentionem compesci postulat. S. Leo Mag.

Cum Eutychianorum schisma initio Pontificatus S. Leonis exortum furorem suum exerceret non solum contra S. Proterium Alexandrinum ejusque cognatos, sed etiam adversus Episcopos, & Clerum Ægypti, ex his quatuordecim una cum quatuor Presbyteris & duobus Dioconis Alexandrinis Constantinopolim navigarunt, ubi summa caritate excepti, qualis decebat Christi Confessores, ab Imperatore & Anatolio illis sævissimam ab Timotheo Æluro motam persecutionem in catholicos ex ordine narrarunt (2). De hac persecutione commonefactus etiam S. Leo illis hanc consolatoriam dedit epistolam, qua ut pro fide Catholica patienter adversa tolerarent, hortatur scribens: „ Licet laboribus dilectionis vestræ, quos pro „ observantia Catholicæ fidei suscepistis, toto corde compatiar.... „ intelligo tamen magis esse gaudii, quam mœroris, quod confortante vos Domino Jesu Christo in evangelica apostolicaque do„ ctrina insuperabiles perstitistis . . . Fraterno itaque simul & pa„ terno cohortor affectu, ut æquo & forti animo hæc tentamenta „ toleretis; agnoscentes vos non amisisse propria, sed majora me„ ruisse, quorum fatigatione brevi, qua ad Confessorum perveni„ tur coronas, ita utitur providentia Dei, ut per vestram patien„ tiam multorum devotio roboretur (a) ". Eodem die, videlicet pridie Idus Octobris ad Anatolium scripsit gratias referens, quod sibi Ægypti turbas narraverit, & Clericos, & Coepiscopos ex Ægypti partibus ad eum confugientes fraternæ Deo placita caritatis officia impenderit. Rursus vero illum admonet: „ quod inter „ dilectionis tuæ Clericos quidam esse dicuntur, qui adversario„ rum conniveant pravitati, & vasis iræ vasa misericordiæ mi- scean-

Epistola ad Episcopos Ægypti 154. al. 123. p. 1316. & ad Anatolium 155. al. 124. p. 1317.

(1) Leo I. cognomento Marcella perfidus Imperator fuit: Regnavit annis 17. & mensibus sex, sed in Oriente solum, cum in Occidente Majorianus consentiente S. Leone imperium teneret.

(2) Timotheus audax Monachus, & discordiarum seminator adversus Chalcedonense Concilium dogmatizabat. Post obitum Marciani ad Alexandrinum inhians Episcopatum, ut illum obtineret, noctu ad Monachorum cellulas pergens pertuso calamo eorum auribus insonabat, se esse Angelum Dei, qui eos hortabatur, ut in Sede Alexandrina collocandum curarent Timotheum. Hoc pacto pluribus ad se pertractis Asseclis magnum Alexandriæ Templum invasit, & ibi se in Episcopum consecrari jussit a duobus Episcopis damnatis & exulibus. S. Proterius ambitiosi hujus Monachi victima fuit ab Eutychianis in Baptisterio Ecclesiæ ipsa die Cœnæ Domini crudeliter occisus 29. Martii anni 457.

(a) *Epist. ad Episcop. Ægypti pag. 1316.*

S. LEO MAG.

„ ſceantur. Quibus inveſtigandis, & ſeveritate congrua coercendis „ debes diligentia tua vigilanter inſiſtere: ita ut his, quibus prodeſſe non potuerit correctio, non parcat abſciſſio . . . Abjicienda eſt peſtifera illa a Sacerdotali vigore patientia eſt, qui ſibimet peccatis aliorum parcendo non parcit. Sicut Heli quondam Sacerdos filiorum ſuorum delicta tolerando, cum ipſis divinæ juſtitiæ ſententiam meruit experiri; quia ſegni indulgentia diſſimulavit plectere peccatores (*a*)“.

Epiſtola ad Leonem Auguſtum 146. al. 121. pag. 1321.

Deſideratur ea S. Leonis epiſtola, qua Leoni Auguſto gratias agit de Epiſcopis Ægyptiis exulibus benigne humaniterque ab eo ſuſceptis. Verum nobis alia ſupereſt ad eumdem data Kalendis Decembris anni 457. qua illi oſtendit, quod „ nihil ſit convenientius fidei defendendæ, quam his, quæ per omnia, inſtruente Spiritu Sancto, irreprehenſibiliter definita ſunt, inhærere; nam aliter ipſi videbimur bene ſtatuta convellere, & auctoritates, quas Eccleſia univerſalis amplexa eſt, ad arbitrium hæreticæ petitionis infringere, atque ita nullum collidendis Eccleſiis modum ponere, ſed data licentia rebellandi, dilatare magis, quam ſopire certamina (*b*)“. Addit: „ Quis eſt, niſi Antichriſtus, aut Diabolus, qui pulſare audeat inexpugnabilem firmitatem, qui . . . falſo diligentiæ nomine, dum veritatem ſe mentitur inquirere, mendacia deſiderat ſeminare (*c*)“? Hinc Imperatorem hortatur, „ ut conſtanter deſpiciat, ac repellat eos . . . . nec patiatur impios parricidas ſacrilega ſimulatione de fide agere . . . . ſed auſus nefarios reprimendo . . . veram pacem his, quæ ſunt turbata, reſtituat; depellendo ſcilicet pervaſores juris alieni, & antiquæ fidei Sedem Alexandrinæ Eccleſiæ reformando (*d*)“. Epiſcopi exules libellum Principi obtulerunt nomine Epiſcoporum Ægypti, & Cleri Alexandrini, quo narrabant Æluri uſurpationem, S. Proterii cædem, & Eutychianorum adverſus Catholicos vim & inſectationem. Æluri vero Legati & ipſi alium obtulere libellum, a nullo tamen ſignatum, dum Catholicorum libello ſubſcripſerant quatuordecim Epiſcopi, quatuor Presbyteri, & duo Diaconi.

Epiſtola ad Nicetam Aquilejenſem 149. al. 129. Pag. 1329.

Duodecimo Kal. Aprilis anni 458. S. Leo in ſua ad Nicetam epiſtola nonnullas reſolvit ſibi ab eo propoſitas difficultates cauſa Hunnorum ſub Attila excurſionis exortas. Imo videtur non ab ipſo Niceta propoſitas S. Leoni difficultates, ſed ipſas Pontifici ſuo nomine proponendas mandaſſe Adeodato Sedis Romanæ Diacono, qui Aquileja Romam revertebatur. Propoſitæ autem difficultates hujuſmodi ſunt: 1. „ Cum abductis in captivitatem viris fœminæ eorum remanſerint deſtitutæ; quæ cum viros proprios aut interemptos putarent, aut numquam a dominatione crederent liberandos, ad aliorum conjugium tranſierunt. Verum non-

„ nulli

(a) *Epiſt. ad Anatol. cap.* 2. *pag.* 1318.
(b) *Ibid. cap.* 1. (c) *Ibid. cap.* 2.
(d) *Ibid. cap.* 3.

„ nulli eorum, qui putabantur periisse, remeaverunt". His itaque positis statuit S. Leo: „ Necesse est ut legitimarum fœdera nuptiarum redintegranda credamus . . . & hoc quod legitime habuit, „ reformetur . . . ut recipiat unusquisque quod proprium est (*a*). „ Quod si quæ mulieres ad legitimum nolent redire consortium... „ ecclesiastica communione priventur (*b*)": 2. De illis, qui in captivitate idolothyta fame, vel metu compellente comederant, statuit, „ ut pœnitentiæ satisfactione purgentur, quæ non tam temporis longitudine, quam cordis compunctione pensanda est (*c*)". 3. De iis vero, qui vel metu, vel errore rebaptizati sunt, statuit, „ ut per pœnitentiæ remedium, & per impositionem Episcopalis manus, communionis recipiant unitatem; tempora pœnitudinis, habita moderatione, tuo constituente judicio, prout conversorum animos perspexeris esse devotos: pariter etiam habens „ senilis ætatis intuitum, & periculorum quorumque, aut ægritudinis respiciens necessitates. In quibus si quis ita graviter urgeatur, ut dum adhuc pœnitet, de salute ipsius desperetur, „ oportet ei sacerdotalem sollicitudinem communionis gratia subveniri (*d*)". De his vero, qui semel baptizati sunt, sed ab hæreticis, statuit quod „ in sola invocatione Spiritus Sancti per „ impositionem manuum confirmandi sunt, quia formam tantum „ baptismi sine sanctificationis virtute sumpserunt (*e*)". Epistolam vero claudit in hæc verba: „ Hanc epistolam nostram... ad „ omnes fratres, & comprovinciales tuos Episcopos facies perveni- „ re, ut in omnium observantia data prosit auctoritas. — S. LEO MAG.

Cum Eutychiani novam, quam postulabant, generalem Synodum obtinere non possent, saltem colloquium efflagitabant, in quo sua possent sensa depromere, & explicare. S. Leo, cui, ut videtur, hac de re scripserat Imperator, illi epistolam datam duodecimo Kal. Aprilis misit scribens & adhortans, ut fidem semel definitam ad examen revocare non sinat, ac „ perseveranter autem nec in „ aliquam disceptationem pie & plane definita revocentur, ne ad „ arbitrium damnatorum, ipsi de his videamur ambigere, quæ manifestum est per omnia propheticis & Evangelicis atque Apostolicis auctoritatibus consonare (*g*)". Addit: „ se illi in memoriam revocare edictum beatæ memoriæ Principis Marciani, quod „ ipse sua conversione firmaverat". Spondet vero „ a se dirigendos Legatos ex fratribus suis, sed non ad confligendum cum hostibus fidei, nec ad certandum contra ullos, quoniam de rebus & „ apud Nicæam, & apud Chalcedonem, sicut Deo placuit, definitis, nullum audemus inire tractatum . . . sed instructioni parvulorum, qui solidiore cibo satiari desiderant, ministerii nostri — Epistola 142. al. 132. p. 1339. & 144. al. 133. p. 1344. & 167. al. 134. p. 1353. ad Leonem Augustum.

(a) *Ibid. cap.* 1. (b) *Ibid. cap.* 4.
(c) *Ibid. cap.* 5. (d) *Ibid. cap.* 6.
(e) *Ibid. cap.* 7. (f) *Ibidem*.
(g) *Epist.* 142. *cap.* 2. *pag.* 1340.

S.Leo Mag. „ præſidium non negamus (*a*) “. Revera Domitianum & Geminianum Epiſcopos Conſtantinopolim Legatos miſit. Roma diſceſſere decimo ſexto Kal. Septembris aliam ad Imperatorem Sancti Pontificis deferentes epiſtolam, in qua Auguſtum rogat, „ ut nihil „ prorſus de bene compoſitis retractare ſinat, quia poſt legiti- „ mas & divinitus inſpiratas conſtitutiones velle confligere non pa- „ cifici eſt animi, ſed rebellis . . . (*b*). Nam, ſubdit, ſi de „ perſuaſionibus ſemper diſceptare ſit liberum, numquam deeſſe „ poterunt, qui veritati audeant reſultare, & de mundanæ ſapien- „ tiæ loquacitate ſe confidere, cum hanc nocentiſſimam vanitatem „ quam tua debeat fides & ſapientia chriſtiana vitare, ex ipſa D. „ N. J. C. inſtitutione cognoſcat; qui omnes nationes ad illumi- „ nationem fidei vocaturus, non de Philoſophis, aut de Oratori- „ bus, qui prædicando Evangelio famularentur, elegit: ſed de „ humilibus & piſcatoribus per quos ſe manifeſtaret aſſumpſit; ne „ doctrina cæleſtis, quæ erat plena virtutibus, auxilio videretur in- „ digere verborum . . . nec Chriſti Evangelium hac arte indiget, „ in quo doctrina veritatis ſua luce manifeſtata eſt: nec quæritur „ quid auribus placeat, ubi veræ fidei ſufficit ſcire quis doceat „ (*c*) “. Animadvertendum etiam proponit quod „ Sancta Sy- „ nodus Chalcedonenſis, quæ ab univerſis Romani Orbis Provin- „ ciis cum totius mundi eſt celebrata conſenſu, & a ſacratiſſimi „ Concilii Nicæni eſt indiviſa decretis, omnem Eutychiani dogmatis „ impietatem a corpore catholicæ communionis abſciderit, quo- „ modo erit cuiquam lapſorum ad Eccleſiaſticam pacem reverſus, „ niſi perfecta fuerit ſatisfactione purgatus (*d*) “? In altera vero epiſtola catholicum dogma de Chriſti Incarnatione diſertiſſime more ſuo explicat, & propugnat, Neſtorii, & Eutychetis prava dogmata exponit, quorum tunc Apollinarem, Valentinum, & Manichæum æmulatum evincit, quos nec chriſtiano nomine dignandos oſtendit, ſcribens: „ Quicumque ita ſunt obcæcati, & a lumine veritatis „ alieni, ut Verbum Dei a tempore Incarnationis, humanæ car- „ nis denegent veritatem, oſtendant, in quo ſibi chriſtianum no- „ men uſurpent, & cum Evangelio veritatis qua ratione concor- „ dent, ſi beatæ Virginis partu aut caro ſine Deitate, aut Dei- „ tas eſt orta ſine carne (*e*) “. Utriuſque naturæ inconfuſas proprietates ſic deinde declarat S. Leo: „ Fidei contemplatione cer- „ nendum, quid ſit quod caro ſine Verbo non agit, & quid ſit „ quod Verbum ſine carne non efficit. Sine Verbi potentia nec „ conciperet Virgo, nec pareret, & ſine veritate carnis obvoluta „ pannis infantia non jaceret (*f*) “. Quod late proſequitur. Denique catholicam veritatem late confirmat Patrum traditione, adductis SS. PP. tum Græcorum, tum Latinorum teſtimoniis.

Con-

(a) *Ibid. cap.* 3. 9.
(b) *Epiſt.* 164. *cap.* 1. *pag.* 1345.
(c) *Ibid. cap.* 2. (d) *Ibid. cap.* 3.
(e) *Epiſt.* 165. *cap.* 4. *pag.* 1361. (f) *Ibid. cap.* 6.

Conscripta fuit hæc S. Leonis ad Neonam Ravennatensem Episcopum epistola, ut ipsum certiorem faceret de statutis in Romana Synodo a se collecta circa illos, qui ab infantia in captivitatem abducti, num baptizati forent, ignorabatur. Scribit itaque, constitutum esse, ut „ sollicita prius examinatione discutiant, & longo „ tempore, nisi forte supremus finis immineat, indagent, utrum „ nemo sit penitus, qui testimonio suo juvare possit ignorantiam „ petentis. Et cum constiterit hunc, qui baptismatis indiget sacramento, sola inaniter suspicione prohiberi, accedat intrepidus „ ad consequendam gratiam, cujus in se nullum scit esse vestigium. Nec vereamur huic salutis januam aperire, quam numquam ante docetur ingressus (*a*) ". Ubi notandum, nec vestigium haberi in S. Leone de baptismo sub conditione administrato, cum hujus conditionis usus nondum obtinuerit, quippe quia conditio in ipso Ecclesiæ spiritu & doctrina continetur. Non alia de causa hæc epistola data non. Kal. Novembris ad Neonam missa creditur, nisi quia encyclica erat ad omnes Episcopos. In eadem S. Leo repetit quod & ad Nicetam scripserat, nimirum „ si „ ab hæreticis baptizatum quempiam fuisse constiterit, erga hunc „ nullatenus Sacramentum regenerationis iteretur . . . . Sed per „ episcopalis manus impositionem virtutem S. Spiritus consequatur „ (*b*) ". In Pontificali D. Leoni adscribitur decretum de non consecrandis, & velandis Virginibus, nisi probata per annos quadraginta virginitate.

S. LEO MAG. Epistola ad Neonam Ravennatensem Episcopum 166. al. 135. p. 1405.

Monet in hac epistola S. Leo Episcopos per Campaniam, Samnium, & Picenum constitutos, ne generationis sacramentum „ non- „ nisi in Paschali & Pentecostes die conferatur . . . & simul ca- „ vendum, subdit, propter multa pericula, ne cuiquam aut in „ desperata ægritudine, aut in hostilitatis incursu, aut in timore „ naufragii per Sacerdotem Domini regeneratio denegetur (*c*) ". Postea vero illorum vituperat morem, „ qui a fidelibus postula- „ bant, ut de singulorum peccatorum genere, libello scripta pro- „ fessio publice recitaretur; cum reatus conscientiarum sufficiat solis „ Sacerdotibus indicari confessione secreta. Quamvis enim (sub- „ dit) plenitudo fidei videatur esse laudabilis, quæ propter Dei „ timorem apud homines erubescere non veretur; tamen quia non „ omnium hujusmodi sunt peccata, ut ea qui pœnitentiam po- „ scunt, non timeant publicare, removeatur tam impossibilis con- „ suetudo, ne multi a pœnitentiæ remediis arceantur . . . Tunc „ enim demum ad pœnitentiam poterunt provocari, si populi au- „ ribus non publicetur conscientia confitentis (*d*) ".

Epistola ad Episcopos Campaniæ 168. al. 136. p. 1419.

Licet accuratissima indagatione celebriores Critici Auctorem librorum de vocatione omnium gentium detegere conati sint, nondum tamen certo reperire potuerunt. Olim nonnulli illos S. Ambrosio

Libri de vocatione Gentium.

O 2

(a) *Ibid. cap.* 1. (b) *Ibid. cap.* 2.
(c) *Ibid. cap.* 1. (d) *Ibid. cap.* 2.

S. LEO MAG.

brosio, S. Eucherio, S. Hilario, cujus habemus ad S. Augustinum epistolam, tribuerunt; nunc tamen plerique vel S. Prospero, vel S. Leoni adjudicant (*a*). Attamen tutius est fateri, ignoti esse Auctoris (1). Gelasius Pontifex libros citat de vocatione omnium Gentium, sed sub indefinito *cujusdam Ecclesiæ Doctoris* nomine (*b*). Auctor vero in suo Opere totus est, ut explicet, utrum, & quo sensu omnes homines salvos fieri velit Deus? Cur gratiæ donum, sine quo nemo salvus est, non omnibus hominibus conferatur? Cur omnes non salvet qui omnes vult salvos fieri? Quomodo omnibus omnium sæculorum hominibus divinæ providentiæ cura non defuerit?

Analysis libri 1. de vocatione Gentium.

Sic itaque exorditur: „ Inter defensores liberi arbitrii, & prædicatores gratiæ Dei magna & difficilis vertitur quæstio. Quæritur enim, utrum velit Deus omnes homines salvos fieri. Et quia negari hoc non potest, cur voluntas omnipotentis non impleatur, inquiritur. Cumque hoc secundum voluntatem hominum fieri dicitur, gratia videtur excludi; quæ si meritis redditur, constat eam non donum esse, sed debitum. Unde iterum quæritur, cur hoc donum, sine quo nemo salvus est, ab eo, qui omnes salvari vult, non omnibus conferatur... Inter voluntatem humanam & gratiam Dei quorumdam non sana discretio est, existimantium quod prædicatione gratiæ liberum negetur arbitrium: nec advertentium eadem regula sibi posse objici, quod gratiam negent, cum eam humanæ voluntatis non ducem volunt esse, sed comitem “. Deinde Auctor utriusque concursus necessitatem ostendit subdens: „ Si enim tollitur voluntas, nisi ipsa est verarum origo virtutum: tollitur gratia, nisi ipsa est bonorum causa meritorum (*c*) “. Duplex deinde distinguit gratiæ genus, aliud nimirum per quod „ nulli nationi hominum bonitatis suæ dona subtraxit, ut propheticas voces, & præcepta legalia convincerentur in elementorum obsequiis ac testimoniis accepisse. Unde & inexcusabiles facti sunt qui Deos sibi Dei dona fecerunt; & quæ creatæ erant ad utendum, venerati sunt ad colendum (*d*) “. Alterum vero genus est gratiæ peculiaris, & interioris; „ nam omnis homo, qui ad Deum convertitur, Dei primum gratia commovetur; non enim sibi ipse lumen est, nec cor suum radio propriæ lucis accendit ... nec lex præstat, ut aut fiat, aut non fiat, sed per gratiæ auxilium efficax fecit legis imperium: ipse enim est qui dixit, *Dabo leges meas*, in sensu ipsorum, & in corde ipsorum scribam eam. Quod utique quotidie facit, dum cordi- „ bus

(a) *Apolog. PP. lib. 1. cap. 1. 2. & 3. Antel. de Operibus S. Leon. Paris. ann. 1689. Quesn. dissert. 2. p. 191.*
(1) Præter Longuevallium Jesuitam, & Ceillarium, etiam Ballerini Editores hos libros ignoto tribuunt Auctori.
(b) *Gel. Tract. 3. cont. Pelag. Tom. 4. pag.* 1248.
(c) *Ibid. cap. 1.* (d) *Ibid. cap. 3.*

„ bus vocatorum suam inserit voluntatem, & stylo Spiritus Sancti „ quidquid in animæ paginis diabolus invidendo falsavit, veritas „ miserendo rescribit (*a*). Cum igitur homo ad pietatem re- „ dit . . . nisi illum Deus converteret, non rediret: cum sit „ novum figmentum, novaque creatura, non alia in eo crea- „ tur substantia, sed eadem, quæ fuerat labefactata, reparatur; „ nec aliud ab eo aufertur, nisi vitium, quod natura non ha- „ buit (*b*)".

S. LEO MAG.

Tria tamquam omnino certa constituit, nimirum 1. „ Deum „ velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis ve- „ nire. 2. Ad ipsam agnitionem veritatis & perceptionem salutis, „ non suis quemquam meritis, sed ope, atque opere divinæ gratiæ „ pervenire. 3. Altitudinem judiciorum Dei humanæ intelligentiæ „ penetrabilem esse non posse (*c*)". Quod vero Deus velit o- mnes homines salvos fieri, probat pluribus Sacræ Scripturæ testi- moniis, ideo quia Apostolos misit ad Evangelium omnibus gen- tibus prædicandum (*d*). „ Quod si volentes Apostoli evangelizare „ verbum in Asia, *vetiti sunt a Spiritu Sancto*, *& disponentes* „ *ire in Bithyniam*, *prohibiti sunt ab Spiritu Sancto*; non uti- „ que negata illis populis gratia, sed, quantum apparuit, retarda- „ ta. Nam postmodum etiam apud ipsos fides Christiana conva- „ luit. Quæ autem fuerit differendæ vocationis causa, non cla- „ ret . . . Sicut nec claret, cur adhuc *sol justitiæ* quibusdam gen- „ tibus non oriatur, & a tenebrosis cordibus etiam nunc radios „ suos veritas revelanda contineat? Cur corrigendi tamdiu sinan- „ tur errare, & quod senibus in fine præstandum est, per tam „ longam non tribuatur ætatem? Cur filiis jam in Christum cre- „ dentibus, necdum credant parentes; & rursum a religiosis pa- „ rentibus soboles prava discordet? Cum tamen Deo . . . secun- „ dum ipsius præceptum quotidie pro omnibus supplicetur, ut & si „ exaudit, non sit gratia miserationis; & si non exaudit, intel- „ ligatur judicium veritatis (*e*) . . . Quamvis enim speciali cura „ atque indulgentia Populum Israeliticum constet electum . . . „ non ita se tamen æterna Creatoris bonitas ab aliis hominibus „ avertit, ut eos ad cognoscendum se atque intuendum nullis signi- „ ficationibus admoneret. Cælum quippe ac terra, omnisque crea- „ tura . . . ad hanc præcipue disposita est humani generis utilita- „ tem, ut natura rationalis de contemplatione tot specierum . . . „ ad cultum & dilectionem sui imbueretur auctoris . . . . Quod „ ergo in Israel per constitutionem legis, & prophetica eloquia „ gerebatur, hoc in universis nationibus totius creaturæ testimonia, „ & bonitatis Dei miracula semper egerunt (*f*). Sed cum in il- „ lo populo, cui utraque eruditio præfuit, nemo, nisi gratia, ju- „ stifica-

Analysis 1. libri.

(a) *Ibid. cap.* 8. (b) *Ibid. cap.* 7.
(c) *Ibid. cap.* 1. (d) *Ibid. cap.* 2.
(e) *Ibid. cap.* 3. (f) *Ibid. cap.* 4.

„ stificatus sit per Spiritum fidei, quis ambigat eos, qui de qui-
Leo Mag. „ buscumque nationibus quibuslibet temporibus Deo placuere, Spi-
„ ritu gratiæ Dei fuisse discretos (*a*)? Hi omnes educti ab errore
„ diriguntur in viam vitæ; omnibus corde mutato recta sapere,
„ & recta velle donatur; omnibus timor, qui in mandatis Dei
„ custodiantur, inseritur (*b*) . . . Nulla igitur ratio dubitandi est
„ Jesum Christum Dominum nostrum pro impiis, & peccatoribus
„ mortuum; a quorum numero si aliquis liber inventus est, non
„ est pro omnibus mortuus Christus; sed prorsus pro omnibus mor-
„ tuus est . . . Quæ redemptio universo sese intulit mundo, & o-
„ mnibus hominibus indifferenter innotuit . . . . quandoquidem A-
„ postoli repleti Spiritu Sancto, cum linguis omnium gentium lo-
„ querentur, conveniebat excita miraculo diversi generis hominum
„ multitudo, ut Evangelium Christi in eis, qui aderant, totus
„ mundus audiret . . . audientes omnes suis linguis prædicari ma-
„ gnalia Dei; quorum testificatio in eas gentes, quæ remotiores
„ sunt, longe lateque procurreret. Ad cujus rei effectum credimus
„ providentia Dei Romani Regni latitudinem præparatam, ut na-
„ tiones vocandæ ad unitatem corporis Christi, prius jure unius
„ consociarentur imperia; quamvis gratia Christiana non contenta
„ sit eosdem limites habere quos Roma; multosque jam populos
„ sceptro Crucis Christi illa subdiderit, quos armis suis ista non
„ domuit (*c*) . . . . Quod si forte . . . nunc in extremis mundi
„ partibus sunt aliquæ nationes, quibus nondum gratia Salvatoris
„ illuxit: non ambigimus etiam circa illas occulto judicio Dei
„ tempus vocationis esse dispositum, quo Evangelium, quod non au-
„ dierunt, audient, atque suscipient (*d*) “. Verum sibi objicit:
„ Unde cum omnes homines Deus velit salvos fieri, quid est quod
„ alienatur a salute perpetua tanta infantium multitudo? . . . ne-
„ que enim fas est, eos qui regenerationis non sunt adepti Sacra-
„ mentum ad ullum beatorum pertinere consortium (*e*)“. Verum
respondet 1. „ Firma & stabili fide omne judicium Dei justum es-
„ se credendum est, nec appetamus habere cognitum, quod voluit
„ esse secretum, & ubi investigari non potest quare ita judicet, suf-
„ ficiat scire quis judicet “. Addit: „ Discimus super eos illam
„ manere sententiam, quam humanum genus in Adæ primi paren-
„ tis prævaricatione excepit; cujus sententiæ rigor, dum etiam cir-
„ ca tales non resolvitur, quam magnum fuerit peccatum illud, de-
„ monstratur (*f*) “. Præterea in parvulis etiam divina manife-
statur electio „ quæ quidem nec illis, qui renati non sunt, in pa-
„ rentibus defuit, sed iis, qui renati sunt, præ parentibus affuit,
„ ita ut multis sæpe, quos suorum impietas deseruit, alienorum cu-
„ ra servierit, & ad regenerationem venerint per extraneos, quæ
„ eis

(a) *Ibid. cap.* 5. (b) *Lib.* 1. *cap* 9.
(c) *Lib.* 2. *cap.* 16. (d) *Ibid. cap.* 17.
(e) *Ibid, cap.* 20. (f) *Ibid. cap.* 21.

„ eis non erat providenda per proximos (*a*)". Subdit 2. „Non la- S.LEO MAG.
„ tet, quantum in cordibus fidelium desidiæ gigneretur, si in ba-
„ ptizandis parvulis nihil de cujusquam negligentia, nihil de ipso-
„ rum esset morte metuendum, quandoquidem ut tales baptismo
„ fraudarentur, nullo modo posset accidere . . . . Nunc autem oc-
„ culta quidem Dei discretione, sed justa & recta sic ostenditur,
„ & quid conferat gratia, & quid prævaricatrix mereatur natura;
„ ut nec contra donum elevetur superbia, nec contra periculum
„ esset industria (*b*)". 3. Addit: „Omnes homines salvos fieri
„ Deum velle . . . hoc non aliunde monstratur, quam de ejus be-
„ neficiis, quæ providentia Dei universis generationibus communi-
„ ter atque indifferenter impendit. Fuerunt enim, ac sunt hujus-
„ modi dona ita generalia, ut ipsorum testimonio ad quærendum
„ verum Deum possent homines adjuvari: quibus donis auctorem
„ suum per omnia sæcula protestantibus specialis gratiæ largitas su-
„ perfusa est . . . Deo autem placuit, & hanc multis tribuere, &
„ illam a nemine submovere, ut ex utraque appareat non negatum
„ universitati quod collatum est portioni, sed in aliis prævaluisse
„ gratiam, in aliis resiliisse naturam (*c*)".

Explicans vero illa Christi Domini verba: *Nemo venit ad me, nisi Pater qui misit me traxerit eum*, sic scribit: „Hoc ideo di-
„ ctum est, ut illam fidem, sine qua nemo ad Christum venit, ex
„ Patris haberi munere noverimus . . . qui in cordibus trahendo-
„ rum hoc egit, ut crederent, hoc effecit, ut vellent. Non enim
„ esset unde traherentur, si sequaces fide, & voluntate non essent;
„ quoniam qui non credunt, nec trahuntur omnino, nec veniunt,
„ neque accedunt qui dissentiunt, sed recedunt. Qui ergo veniunt,
„ amore ducuntur; dilecti enim sunt, & dilexerunt, quæsiti sunt,
„ & quæsierunt, & quod eos voluit Deus velle, voluerunt (*d*)...
„ Igitur sicut qui crediderunt, juvantur, ut in fide maneant; sic
„ & qui nondum crediderunt, juvantur ut credant; & quemadmo-
„ dum illi in sua potestate habent, ut exeant, ita & isti in sua
„ habent potestate ne veniant . . . sed qui veniunt, Dei auxilio
„ diriguntur: qui non veniunt, sua pertinacia reluctantur (*e*)...
„ Universitati quippe hominum . . . ita multiplex atque ineffabi-
„ lis bonitas Dei consuluit semper, & consulit, ut neque ulli per-
„ euntium excusatio suppetat de abnegato sibi lumine veritatis,
„ neque cuiquam sit liberum de sua justitia gloriari; cum illos pro-
„ pria nequitia demergat ad pœnam, & istos Dei gratia perducat
„ ad gloriam (*f*). Denique sic concludit: „Apostolus dicendo: *Qui*
„ *est Salvator omnium hominum*, confirmavit bonitatem Dei super
„ universos homines esse generalem; adjiciendo autem, *Et maxime*
„ *fidelium*, ostendit esse partem generis humani, quæ merito fidei

 „ divi-

(a) *Ibid. cap.* 23. (b) *Ibid. cap.* 24.
(c) *Ibid. cap.* 25. (d) *Ibid. cap.* 27.
(e) *Ibid. cap.* 28. (f) *Ibid. cap.* 29.

S. LEO MAG. „ divinitus inspiratæ, ad summam, atque æternam salutem specialibus beneficiis provehatur: quod utique nulla iniquitate agitur justissimi, & misericordiosissimi Dei, cujus judicium in his dispensationibus non cum arrogantia discutiendum, sed cum tremore laudandum est (*a*)“.

Epistola ad Demetriadem pag. 219. T. 2. Convenit apud Eruditos, hanc ad Demetriadem (1) epistolam, & libros de vocatione gentium unius ejusdemque esse Auctoris, tum ob styli similitudinem, tum ob doctrinæ ac dictorum consonantiam, tum quia in utroque opere Scripturæ testimonia juxta Hieronymi interpretationem citantur. Licet Demetrias numquam erroribus Pelagianorum irretita fuerit, nihilominus & data ad ipsam Pelagii epistola, & cum Juliano Pelagiano nonnulla necessitudo metum incussit Scriptori librorum de vocatione gentium, ne aliquid Pelagianæ fuliginis contraxisset, ideoque ad illam hanc scripsit epistolam, qua eam in doctrina Ecclesiæ de divina gratia confirmaret. Primo itaque laudatis tum ejus virtutibus, tum sanguinis nobilitate, eam sic monet: „ Cavendæ te elationis admoneo, & humilitatis tibi sinceritatem fida suggestione commendo, ut in omnibus actionibus, in quibus tibi es bene conscia, numquam audeas esse secura (*b*)“. Ostendit, humilitatem Virginum esse peculiare ornamentum, nec minus pauperibus convenire, quam divitibus. Humilitatem „ in communis vitæ versari officiis, quibus & divina clementia conciliatur, & humana societas connectitur (*c*)“. Humilitatem esse virtutem copulatricem „ quæ inter quoslibet meritorum gradus numquam sui potest esse dissimilis. Nam & in officiorum vicissitudine, & in mansuetudinis lenitate, & in voluntariæ paupertatis electione, invenitur multa distantia, & alter altero in propositi sui devotione aut major, aut minor est; in vera autem humilitate nihil divisum, nihilque non solidum est; & ideo omnes principes suos unum facit, quia inæqualitatem ipsa non recipit (*d*)“. Sine confessione necessitatis gratiæ Dei, veram non dari humilitatem. Hinc ex superbia orta Pelagiana hæresis, quæ docet „ tam liberum unicuique declinare delictum, quam fuit Adamo possibile non violare mandatum, & gratiam secundum merita dari, non ex qua merita nascuntur (*e*)... Verum istam damnati dogmatis perversitatem Catholicæ mentes facile intelligunt, & merito detestantur confitentes, quod Filius Dei venit, ut solveret opera diaboli, & ut quæreret, ac salvaret,

---

(a) *Ibid. cap.* 31.

(1) Demetrias ex nobilissima & piissima Romana familia ortum duxit. Unica fuit Olibrii & Julianæ filia, perpetuamque servavit Virginitatem. Julianæ Demetriadis matri D. Augustinus librum obtulit de bono viduitatis, & ipsi Demetriadi S. Hieronymus librum inscripsit de servanda Virginitate.

(b) *Ibid. cap.* 1. (c) *Ibid. cap.* 3.
(d) *Ibid. cap.* 6. (e) *Ibid. cap.* 10.

S. Leo Mag.

„ ret, quod perierat, & in baptiſmo dum homo exterior ablui-
„ tur, mutatur interior: & fit nova Creatura de veteri, vaſa iræ
„ in vaſa miſericordiæ transferuntur, & in Corpus Chriſti conver-
„ titur caro peccati; de impiis juſti, & de captivis liberi, de filiis
„ hominum fiunt filii Dei (a)". Addit, in ſolo Deo eſſe glo-
riandum, a quo omnis virtus, gloria, & ſapientia eſt (b). Sine
Chriſti operantis in nobis auxilio nihil boni nos agere, nec auferri
liberum arbitrium; „ operante enim Spiritu Dei juvatur arbitrium,
„ non aufertur; & hoc agit gratia, ut voluntas peccato corrupta,
„ vanitatibus ebria, ſeductionibus circumſepta, difficultatibus impe-
„ dita, non remaneat in languoribus ſuis, ſed per opem miſerentis
„ medici curata revaleſcat (c) . . . quod gratiam nemo præveniat
„ merito ſuo, ſed propter dilectionem, qua Deus diligit, etiam
„ averſos ad miſericordiam trahi (d). Non ob aliud umquam
„ datur præceptum, niſi ut quæratur præcipientis auxilium . . . .
„ & quando id quod jubetur, ab obediente perficitur, tunc affe-
„ ctus divini operis declaratur (e) . . . Quanto ergo excellentius
„ in mandatis Dei quique proficiunt, tanto majores habent cauſas
„ formidinis, & timoris; ne de ipſis probitatis argumentis mens
„ ſibi conſcia, & laudis avida, in ſuperbiæ rapiatur exceſſus, &
„ fiat immunda vanitate, dum ſibi videtur clara virtute (f)".
Hinc occaſionem arripit oſtendendi Demetriadi, magis humilitate opus
eſſe propter & virginitatis puritatem, & familiæ ſplendorem, inde
ſcribit: „ Quamvis communis ſit tibi cum multarum Virginum
„ puritate virginitas, non tamen facile reperitur, quæ poſſit tibi
„ magnificentia domus, & ſplendore antiquiſſimæ familiæ compa-
„ rari (g)". Hinc eam monet, quod " inflatio, & ambitio ...
„ poſſunt deſtruere eleemoſynas, poſſunt evacuare martyria . . . ſu-
„ perbia omni peccato nocentior, omni genere eſt elationis inſanior
„ (h)". Hinc ſervanda humilitas, & attendendum: „ Accepiſti
„ quæ habes, & quidquid tibi diligentia tui laboris accrevit, per
„ ipſum tibi eſt auctum, per quem fuerat inchoatum. Itaque ti-
„ bi utendum eſt his quæ largitus eſt Deus, ab eodem ſemper eſt
„ petendum, ut dona ejus fideliter, & ſcienter utaris. Quid
„ enim in nobis boni poteſt eſſe ſine ipſo, quandoquidem etiam ut
„ oremus ex ipſo eſt (i)? . . . Unde audiamus Apoſtolum defi-
„ nientem, quod ipſæ quoque cogitationes noſtræ, niſi a Deo nobis
„ inſitæ fuerint, rectæ eſſe non poſſint (k). Nam ex Deo eſt in
„ fide firmitas, in tribulatione, in perſecutione victoria: magna
„ eſt in vera humilitate felicitas, cui Deus dilectio, Deus ſapien-
„ tia, Deus conſilium, Deus fortitudo eſt. Nec dubie iſta ſubje-
ctio

(a) *Ibid. cap.* 11. (b) *Ibid. cap.* 12.
(c) *Ibid. cap.* 13. (d) *Ibid. cap.* 14.
(e) *Ibid. cap.* 15. (f) *Ibid. cap.* 16.
(g) *Ibid. cap.* 18. (h) *Ibid. cap.* 20.
(i) *Ibid. cap.* 22. (k) *Ibid. cap.* 23.

S. Leo Mag. „ ctio jam ex magna parte in illius futuræ beatitudinis est constituta consortio, ubi *Deus erit omnia in omnibus* (*a*)".

ARTICULUS TERTIUS.

Præstantiora S. Leonis documenta, Dogmata, Mores, & Disciplinam spectantia.

De Sacra Scriptura. „ AB Evangelica Apostolicaque doctrina ne uno quidem verbo „ liceat diffidere, aut aliter de Scripturis divinis sapere, quam „ beati Apostoli & Patres nostri didicerunt, atque docuerunt (*b*)". Nec aliquam licet partem Scripturarum rejicere. Hinc de Manichæis sic scribit S. Leo: „ Non sinantur latere homines qui legem „ per Moysem datam, in qua Deus universitatis conditor ostendatur, recipiendam esse non credunt; Psalmos Davidicos, qui per „ universalem Ecclesiam cum pietate cantantur, damnabili impietate ausi sunt refutare (*c*)". S. Leo psal. 95. legebat, *Dominus regnavit a ligno*, unde Judæos sic exprobrat: „ Non quidem legistis, Dominus descendit de Cruce, sed *Dominus regnavit a ligno* (*d*)".

De Traditione. Traditione putabat S. Leo fideles a Pastoribus de veritate orthodoxæ fidei convincendos, & hæreticorum ora traditione obstruenda, eapropter sic ad S. Proterium scribebat: „ Hoc igitur . . . . pro „ sollicitudine fidei communis admoneo, ut quia inimici Crucis „ Christi omnibus & verbis nostris insidiantur, & syllabis, nullam illis vel tenuem occasionem demus, qua Nestoriano nos sensui congruere mentiantur. Plebem autem, & Clerum omnem, „ omnemque fraternitatem ita debita diligentia tua ad profectum „ fidei cohortare, ut nihil te novum docere demonstres, sed ea omnium insinuare pectoribus, quæ venerandæ memoriæ Patres „ consona prædicatione docuerunt, cum quibus nostra in omnibus „ concordat epistola (*e*)". Dubitandum non esse, dicebat, „ omnem „ observantiam christianam eruditionis esse divinæ, & quidquid ab „ Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione „ Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina (*f*)". Inter has consuetudines enumerat jejunium septimi mensis (*g*), & quod „ non passim omnibus diebus Sacerdotalis vel Levitica ordi-

„ natio

(a) *Ibid. cap.* 24.
(b) *Epist.* 82. *al.* 62. *pag.* 1044. *Tom.* 1.
(c) *Serm.* 9. *al.* 8. *pag.* 33. *Tom.* 1.
(d) *Serm.* 55. *al.* 53. *pag.* 209. *Tom.* 1.
(e) *Epist.* 129. *al.* 103. *cap.* 2. *pag.* 1254. *Tom.* 1.
(f) *Serm.* 79. *al.* 77. *cap.* 1. *pag.* 316. *Tom.* 1.
(g) *Serm.* 93. *al.* 91. *pag.* 361. *Tom.* 1.

„ natio celebretur ; sed post diem Sabbati , ejus noctis , quæ in „ prima Sabbati lucescit, exordia deligantur, in quibus his, qui con- „ secrandi sunt, jejunis, & a jejunantibus sacra benedictio confera- „ tur (*a*) " ; & de Baptismo nonnisi in Pascha & Pentecoste conferendo (*b*), Jejunium quoque Pentecostes (*c*), & decimi mensis (*d*) ex apostolica traditione derivat: sicut scribit „ influente in „ Ecclesiæ Principes Spiritu Sancto , hanc primam ab eis obser- „ vantiam fuisse conceptam, ut Sancti observatione jejunii , o- „ mnium virtutum regulas inchoarent (*e*) ". De Quadragesimæ vero jejunio scribit: „ Devotius est exequendum , ut Apostolica „ institutio quadraginta dierum jejunii impleatur non ciborum tan- „ tummodo parcitate, sed curatione maxime vitiorum (*f*) ". Jejunia & in veteri Testamento fuisse instituta dicit, „ sed merito dis- „ posuerunt Apostolicæ Sanctiones, ut veterum jejuniorum utili- „ tas permaneret, & licet Ecclesiæ consuetudo prolixioribus se ca- „ stigationibus exercere didicisset, amplecteretur tamen sanctifica- „ tionem ex lege venientem: quibus enim donatum erat posse quod „ majus est, indecens fuit non celebrare quod minus est (*g*) ". Ideo „ maxime sacratissimi jejunii observantiam universis fideli- „ bus suis sine exceptione denuntiat Ecclesia : quia nemo tam san- „ ctus est, ut non sanctior, nemo tam devotus, ut non debeat es- „ se devotior. Quis enim in hujus vitæ constitutus incerto , aut „ immunis a tentatione, aut liber inveniatur a culpa (*h*) "? S. LEO MAG.

Fides Ecclesiæ nullius capax est novitatis „ quod prædicarunt A- „ postoli, annuntiaverunt Prophetæ (*i*). Fides integra, fides „ vera, in qua nec augeri ab ullo quicquam, nec minui potest ; „ quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo : *Unus Domi-* „ *nus*, *una fides*, *unum Baptisma* (*k*). Hanc fidem hæreticis „ opponimus, quam, instruente nos Spiritu Dei , per Sanctos Pa- „ tres a beatis Apostolis didicimus, & docemus (*l*). Hæc fides „ diabolum vincit, & captivorum ejus vincula dissolvit. Hæc e- „ rutos mundo inserit Cælo, & portæ inferi adversus eam præva- „ lere non possunt. Tanta enim divinitus soliditate munita est , „ ut eam neque hæretica umquam corrumpere pravitas, nec paga- „ na potuerit superare perfidia . . . soliditas enim illius fidei, quæ „ in De Fide.

(a) *Epist. 9. al. 11. cap. 1. pag. 629. Tom. 1.*
(b) *Epist. 16. cap. 3. pag. 718. Tom. 1.*
(c) *Serm. 76. al. 74. pag. 300. Tom. 1.*
(d) *Serm. 15. al. 14. pag. 45. Tom. 1.*
(e) *Serm. 81. al. 79. cap. 1. pag. 314. Tom. 1.*
(f) *Serm. 81. al. 79. cap. 1. pag. 319. Tom. 1.*
(g) *Serm. 20. al. 19. cap. 1. pag. 61. Tom. 1.*
(h) *Serm. 49. al. 48. cap. 1. pag. 185.*
(i) *Serm. 23. al. 22. cap. 4. pag. 76. Tom. 1.*
(k) *Serm. 24. al. 23. cap. 6. pag. 82. Tom. 1.*
(l) *Epist. 89. al. 69. pag. 1060.*

S. LEO MAG.

„ in Apoſtolorum Principe eſt laudata, perpetua eſt. Et ſicut permanet quod in Chriſto Petrus credidit; ita permanet, quod in Petro Chriſtus inſtituit (*a*). Catholica fides, quæ humanum genus ſola vivificat, ſola ſanctificat, in una confeſſione permanet; & diſſenſiones, quæ de terrenarum opinionum varietate naſcuntur, a ſoliditate illius petræ, ſupra quam Civitas Dei ædificatur, abigantur (*b*)". At in quo fidei meritum, & excellentia collocanda? „ Incunctanter credere quæ corporeo non videntur intuitu, & ibi figere deſiderium, quo nequeas inferre conſpectum. Hæc autem pietas unde in noſtris cordibus naſceretur, aut quomodo quiſquam juſtificaretur per fidem, ſi in iis tantum ſalus noſtra conſiſteret, quæ obtutibus ſubjacerent (*c*)? Habet autem hanc potentiam fides vera, ut ab iis mente non deſit, quibus corporalis præſentia intereſſe non potuit, & ſive in præteritum redeat, ſive in futurum ſe cor credentis extendat, nullas ſentiat moras temporis cognitio veritatis (*d*). Hoc fixum habendum in animo quod dicimus in ſymbolo (*e*), & quidquid contra regulam Catholici, & Apoſtolici ſymboli aut legere, aut audire contigerit, id omnino mortiferum, & diabolicum judicandum (*f*)". Symboli brevis, & perfecta confeſſio, quæ duodecim Apoſtolorum totidem eſt ſignata ſententiis, tam inſtructa eſt munitione cæleſti, ut omnes hæreticorum opiniones ſolo ipſius poſſint gladio detruncari (*g*). Per totum mundum omnium regenerandorum depromebatur Apoſtolorum ſymbolum (*h*), & coram multis teſtibus Sacramentum Baptiſmi ſuſcepturi pronunciabant (*i*).

De Trinitate.

„ Cum in Perſonarum proprietatibus alius ſit Pater, alius ſit Filius, alius ſit Spiritus Sanctus: non tamen alia Deitas, nec diverſa natura eſt. Siquidem cum & de Patre ſit Filius unigenitus, & Spiritus Sanctus Patris, Filiique ſit Spiritus, non ſicut quæcumque Creatura quæ & Patris, & Filii eſt, ſed ſicut cum utroque vivens & potens & ſempiternus, & ex eo quod eſt Pater Filiuſque ſubſiſtens . . . Non ergo alia ſunt Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti: ſed omnia quæcumque habet Pater, habet & Filius, habet & Spiritus Sanctus, nec umquam in illa Trinitate defuit iſta communio; qua hoc eſt ibi omnia „ habe-

(a) *Serm. 3. al. 2. cap. 3. & 2. pag. 12. Tom. 1.*
(b) *Epiſt. 162. al. 132. cap. 1. pag. 1339. Tom. 1.*
(c) *Serm. 74. al. 72. cap. 1. pag. 293. Tom. 1.*
(d) *Serm. 70. al. 68. cap. 1. pag. 272. Tom. 1.*
(e) *Serm. 46. al. 45. cap. 30. pag. 176. Tom. 1.*
(f) *Serm. 24. al. 23. cap. 6. pag. 81. Tom. 1.*
(g) *Epiſt. 31. al. 27. cap. 4. pag. 858. Tom. 1.*
(h) *Epiſt. 28. al. 24. cap. 1. pag. 803. Tom. 1.*
(i) *Epiſt. 124. al. 97. cap. 8. pag. 1243. Tom. 1.*

„ habere, quod semper existere (*a*). Numquam ab omnipotentia „ Patris, & Filii Spiritus Sancti est discreta majestas, & quidquid „ in dispositione omnium rerum agit divina moderatio, ex totius ve- „ nit providentia Trinitatis. Una est ibi benignitas misericordiæ, „ una censura justitiæ, ubi nihil est in voluntate diversum. Quæ „ ergo illuminat Pater, illuminat Filius, illuminat Spiritus Sanctus, „ cumque alia sit Persona missi, alia mittentis, alia promittentis „ simul nobis & unitas manifestatur & Trinitas, ut essentia ha- „ bens æqualitatem, & non recipiens solitudinem, & ejusdem sub- „ stantiæ, & non ejusdem intelligatur esse personæ (*b*). Quod „ ergo solum cooperatione inseparabilis Deitatis quædam Pater, „ quædam Filius, quædam proprie Spiritus Sanctus exequitur: no- „ stræ redemptionis dispositio, nostræ salutis est ratio. Si enim „ homo ad imaginem, & similitudinem Dei factus in suæ honore „ naturæ mansisset, nec diaboli fraude deceptus a lege sibi posita „ per concupiscentiam deviasset, Creator Mundi Creatura non fie- „ ret; neque sempiternus temporalitatem subiret, aut æqualis Deo „ Patri Filius Deus, formam servi & similitudinem carnis peccati „ assumeret. Sed quia *invidia Diaboli mors introivit in orbem ter- „ rarum*, & aliter solvi humana captivitas non potuit, nisi cau- „ sam nostram ipse susciperet, qui sine Majestatis suæ damno & „ verus homo fieret, & solus peccati contagium non haberet; di- „ visit sibi opus nostræ reparationis misericordia Trinitatis, ut „ Pater propitiaretur, Filius propitiaret, Spiritus Sanctus igni- „ ret (*c*)".

S. Leo Mag.

„ Homo numquam desinat a venia postulanda, qui se sciat „ numquam esse sine culpa. Habet enim hoc in se vitium huma- „ na natura, non a Creatore insitum, sed a prævaricatore contra- „ ctum, & in posteros generandi lege transfusum, ut de corrupti- „ bili corpore etiam quod animam corrumpere possit, oriatur „ (*d*). Hinc dum jubetur ut nostris non consentiamus affectibus, „ ab illa concupiscentia prohibemur, & ab illa voluntate revoca- „ mur, cujus ortus ex nobis est, & ideo mala pronunciatur, quia „ nostra esse convincitur . . . Unde autem hoc desiderium conce- „ ptum sit, cui semper debeat repugnari, non difficulter intelli- „ gunt, qui se Adæ filios esse noverunt, & peccante humani ge- „ neris patre, non dubitant in propagine vitiatum esse quod est „ in radice corruptum (*e*)".

De peccato originali.

„ In ineffabili unitate Trinitatis, cujus in omnibus communia „ sunt opera, atque judicia, reparationem humani generis proprie „ Filii Persona suscepit; ut quoniam ipse, *per quem omnia facta „ sunt*,

De Incarnatione & de duplici natura & voluntate in una Persona.

(a) *Serm.* 78. *al.* 73. *cap.* 3. *pag.* 298. *Tom.* 1.
(b) *Serm.* 77. *al.* 75. *cap.* 1. *pag.* 309. *Tom.* 1.
(c) *Ibid. cap.* 2.
(d) *Serm.* 90. *al.* 88. *cap.* 1. *pag.* 351. *Tom.* 1.
(e) *Serm.* 93. *al.* 91. *cap.* 1. *pag.* 361. *Tom.* 1.

S. LEO MAG.

„ *ſunt*, *& ſine quo factum eſt nihil*, quique plaſmatum de limo
„ terræ hominem flatu vitæ rationalis animavit, idem naturam no-
„ ſtram ab æternitatis arce dejectam, amiſſæ reſtitueret dignitati,
„ & cujus erat conditor, eſſet etiam reformator . . . Nulla San-
„ ctorum merita conditionem poterant illatæ mortis evincere; ve-
„ nit e cælo medicus ſingularis, multis ſæpe ſignificationibus nun-
„ tiatus, & prophetica diu pollicitatione promiſſus, qui manens
„ in forma Dei, & nihil propriæ Majeſtatis amittens, in carnis
„ noſtræ, animæque natura, ſine contagione antiquæ prævarica-
„ tionis oriretur. Solus enim beatæ Virginis natus eſt Filius abſ-
„ que delicto, non extraneus ab hominum genere, ſed alienus a
„ crimine (*a*). Conceptus quippe eſt de Spiritu Sancto intra u-
„ terum Matris Virginis, quæ illum ita ſalva virginitate edidit,
„ quemadmodum ſola virginitate concepit . . . . Fœcunditatem e-
„ nim Virgini Spiritus Sanctus dedit, veritas autem corporis ſum-
„ pta de corpore eſt . . . & *Verbum caro factum eſt*, *& habita-*
„ *vit in nobis*; hoc eſt, in ea carne, quam aſſumpſit ex homine,
„ & quam Spiritus vitæ rationalis animavit. Salva igitur proprie-
„ tate utriuſque naturæ, & in unam coeunte perſonam, . . . ad
„ reſolvendum conditionis noſtræ debitum natura inviolabilis na-
„ turæ eſt conjuncta paſſibili; ut quod noſtris remediis congrue-
„ bat, unus atque idem mediator Dei, & hominum, homo Jeſus
„ Chriſtus, & mori poſſet ex uno, & mori non poſſet ex altero
„ (*b*) . . . Non ejuſdem naturæ eſt dicere: *Ego & Pater unum*
„ *ſumus*, & dicere, *Pater major me eſt*. Quamvis enim in Do-
„ mino Jeſu Chriſto Dei, & hominis una perſona ſit, aliud ta-
„ men eſt, unde in utroque communis eſt contumelia, aliud unde
„ communis eſt gloria (*c*) . . . Propter hanc ergo unitatem per-
„ ſonæ in utraque natura intelligendam & filius hominis legitur
„ deſcendiſſe de Cælo, cum Filius Dei carnem de ea Virgine, de
„ qua eſt natus, aſſumpſerit. Et rurſus, Filius Dei crucifixus
„ dicitur ac ſepultus, cum hæc non in divinitate ipſa . . . . ſed
„ in naturæ humanæ ſit infirmitate perpeſſus. Unde unigenitum
„ Filium Dei crucifixum & ſepultum omnes etiam in ſymbolo
„ confitemur ſecundum illud Apoſtoli: *Si enim cognoviſſent*, *num-*
„ *quam Dominum Majeſtatis crucifixiſſent*. Cum autem ipſe Do-
„ minus noſter, atque Salvator fidem Diſcipulorum ſuis interroga-
„ tionibus erudiſſet, *Quem me*, inquit, *dicunt homines eſſe Fi-*
„ *lium hominis?* Cumque illi diverſas aliarum opiniones retexuiſ-
„ ſent, *Vos autem*, ait, *quem me eſſe dicitis?* . . . Ubi B. Pe-
„ trus divinitus inſpiratus . . . *Tu es*, inquit, *Chriſtus Filius Dei*
„ *vivi* . . . eumdem & Dei Filium eſt confeſſus & Chriſtum . . .
„ Poſt reſurrectionem vero Dominus colloquens cum Diſcipulis

„ ſuis,

(a) *Serm. 64. al. 61. cap. 2. pag. 248. Tom. 1.*
(b) *Epiſt. 28. al. 24. cap. 2. & 3. pag. 812. Tom. 1.*
(c) *Ibid. cap. 4. pag. 823.*

„ ſuis, & cohabitans, atque conveſcens, & pertractari ſe diligenti curioſoque contactu ab eis . . . ideo & clauſis ad Diſcipulos januis introibat, & flatu ſuo dabat Spiritum Sanctum, & donato intelligentiæ lumine, Sanctarum Scripturarum occulta pandebat . . ., ut agnoſcerentur in eo proprietates divinæ, humanæque naturæ individuæ permanere (*a*)". Aliquando S. Leo ad intimam utriuſque naturæ unitionem explicandam, vocabulo *mixtionis* uſus invenitur. Sic ſermone 23. ſcribit: *Ut naturæ alteri altera miſceretur*; & ſermone 4. in Epiphaniam; *Deus* (ſcribit) *Dei Filius naturæ carnis commixtus*. At mixtionis voce non aliud indicatum voluit, quam intimam penetrationem animæ, totiuſque per eam naturæ, cui ſe ipſe Deus totus totum infundit eo modo, qui creaturæ convenire non poteſt. Securius autem locutus eſt nondum exortis Eutychianis. Poſt cujus hæreſim cautius ac penſiculatius locutus eſt S. Leo, „ ne contra Neſtorianos aut Eutychianos agens alteri eorum videretur terga vertiſſe. Sed utroſque Chriſti hoſtes æqualiter vitaret, atque damnaret", ut ipſe ſcribit (*b*). Porro ita dilucide alibi, & præſertim in locis a nobis ſuperius recitatis, duarum diſtinctionem naturarum exponit, ut Sanctum Pontificem erroris inſimulare nullus prudens valeat. S. LEO MAG.

Christus pro omnibus mortuus est.

„ In Chriſto omnes crucifixi, omnes mortui, omnes ſepulti, omnes etiam ſunt ſuſcitati, de quibus ipſe dicebat, *Cum exaltatus fuero, omnia traham ad meipſum*. Fides enim vera juſtificans impios, & creans juſtos ad naturæ ſuæ tracta participem, in illo acquirit ſalutem, in quo ſolo homo ſe invenit innocentem (*c*). Dominus ſciens, quid magis myſterio ſuſcepto converteret . . . perſecutores ſuos in facultatem diſpoſiti ſceleris redire permiſit. Nam ſi teneri nollet, non utique teneretur. Sed quis hominum poſſet ſalvari, ſi ille ſe non ſineret comprehendi? . . . Contra enim ſacramentum erat redemptionis noſtræ, ut qui mori pro omnibus venerat, capi nollet; & dilato Crucis triumpho, & dominatio diabolica fieret longior, & captivitas humana diuturnior. Dat ergo in ſe furentibus licentiam ſæviendi, nec tamen etiam talibus dedignatur ſe indicare divinitas. Aurem ſervi jam ipſa ſectione demortuam, & a compage viventis corporis alienam, in ſedem dehoneſtati capitis revocat manus Chriſti (*d*). Nullus eſt, cui non Chriſti auxilietur oratio. Quæ ſi multis in ipſum ſævientibus profuit, quanto magis eos, qui ad ipſum convertuntur, adjuvat? Sublata eſt ignorantia, temperata eſt difficultas, & igneam illam, qua vi-

„ tæ

(a) *Ibid. cap.* 5. *pag.* 825.
(b) *Epiſt.* 96. *al.* 63.
(c) *Serm.* 64. *al.* 61. *cap.* 3. *pag.* 244. *Tom.* 1.
(d) *Serm.* 52. *al.* 50. *cap.* 4. *pag.* 200. *Tom.* 1.

S. LEO MAG.

,, tæ regio erat incluſa, romphæam ſacer Chriſti ſanguis extin-
,, xit (*a*) ''.

De Baptiſmo ejuſque ritu & cæremoniis.

,, In morte crucifixi, & in reſurrectione mortui potentia ba-
,, ptiſmatis novam condit creaturam ex veteri . . . dum in baptiſ-
,, matis regula & mors intervenit interfectione peccati, & ſepul-
,, turam triduanam imitatur trina demerſio, & ab aquis elevatio
,, reſurgentis inſtar eſt de ſepulcro. Ideo in paſchali tempore
,, celebratur Baptiſma. Cui additur etiam Pentecoſtes ex ad-
,, ventu Spiritus Sancti ſacrata ſolemnitas, quæ de paſchalis feſti
,, pendet articulo . . . . porrigens quodammodo auxiliantis gratiæ
,, manum, & eos, quos a die Paſchæ aut moleſtia infirmitatis,
,, aut longinquitas itineris, aut navigationis difficultas interclufit,
,, invitans, ut quibuslibet neceſſitatibus impediti deſiderii ſui effe-
,, ctum dono Sancti Spiritus conſequantur. Ipſe enim Unigenitus
,, Dei in fide credentium, & in virtute operum, nullam inter ſe
,, & Spiritum Sanctum voluit eſſe diſtantiam... ideo & S. Petrus
,, trium millium populum, ſua prædicatione converſum, lavacro Ba-
,, ptiſmatis conſecravit (*b*) ''. Hinc S. Leo Siculos Epiſcopos repre-
hendit, ,, qui baptiſmi Sacramentum numeroſius in die Epiphaniæ,
,, quam in Paſchali tempore celebrabant (*c*). Qui vero Paſchali tem-
,, pore baptiſmate abluebantur, prius exorciſmis ſcrutandi, & jejuniis
,, ſanctificandi, & frequentibus erant prædicationibus imbuendi (*d*).
,, Inexpiabile eſt facinus, quoties cogatur aliquis lavacrum, quod
,, regenerandis ſemel tributum eſt, bis ſubire (*e*). At qui in ca-
,, ptivitatem in illa ætate devenerunt, qui utrum ejuſdem myſte-
,, rium baptiſmatis, ac ſacramenta perceperant, infantiæ inſcien-
,, tia non poſſunt reminiſci . . . . nec alter atteſtari de eo poſſit,
,, omni remoto ſcrupulo baptizentur, quoniam non poteſt in itera-
,, tum crimen venire, quod factum eſſe omnino neſcitur (*f*).
,, Quod ſi ab hæreticis baptizatum quempiam fuiſſe conſtiterit, er-
,, ga hunc nullatenus ſacramentum regenerationis iteretur; ſed hoc
,, tantum quod ibi defuit, conferatur, ut per Epiſcopalis manus
,, impoſitionem (per ſacramentum ſcilicet Confirmationis) virtu-
,, tem Spiritus Sancti conſequatur (*g*) ''.

De Confirmatione.

,, Hi itaque, qui baptiſmum ab hæreticis acceperunt, cum antea
,, baptizati non fuiſſent, ſola invocatione Spiritus Sancti per impo-
,, ſitionem manuum confirmandi ſunt, quia formam tantum baptiſ-
,, mi ſine ſanctificationis virtute ſumpſerunt (*h*) ''.

Cum

(a) *Serm. 64. al. 62. cap. 3. pag. 252. Tom. 1.*
(b) *Epiſt. 16. cap. 3. 4. pag. 718.*
(c) *Ibid. cap. 1.*
(d) *Ibid. cap. 6.*
(e) *Epiſt. 166. al. 135. cap. 1. pag. 1407. Tom. 1.*
(f) *Ibidem.*
(g) *Ibid. cap. 2.*
(h) *Epiſt. 168. al. 129. cap. 7. pag. 1334. Tom. 1.*

Cum mos esset in Ecclesia, ut uno eodemque die Sacramentum Baptismi, Confirmationis, & Eucharistiæ uni eidemque administrarentur, hinc S. Leo ad veritatem Incarnationis comprobandam sacramentum affert Eucharistiæ, „ in quo nec ab infantium linguis „ veritas Corporis, & Sanguinis Christi tacebatur (*a*) “; respondebant siquidem, Amen, ut & adulti. *Sacrificium* appellat Eucharistiam, scribens: „ Tunc enim & sacrificii munda est oblatio, & „ misericordiæ sancta largitio, quando ii, qui ista dependunt, „ quod operentur, intelligunt. Nam dicente Domino, *Nisi manducaveritis carnem filii hominis, & biberitis ejus sanguinem,* „ *non habebitis vitam in vobis*, sic sacræ mensæ communicare de„ betis, ut nihil prorsus de veritate corporis Christi, & sangui„ nis ambigatis. Hoc enim ore sumitur, quod fide creditur: & „ frustra ab illis Amen respondetur, a quibus contra id quod acci„ pitur disputatur (*b*). Non aliud agit participatio Corporis „ Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus (*c*). Cum „ solemnior festivitas conventum populi numerosioris indixerit, & „ ea fidelium multitudo convenerit, quam recipere Basilica simul „ una non possit, sacrificii oblatio indubitanter iteretur; ne his „ tantum admissis ad hanc devotionem qui primi advenerint, vi„ deantur hi, si qui postmodum confluxerint, non recepti (*d*)“.

S. LEO MAG.

De Eucharistia.

„ Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subvenit humanis, ut „ non solum per baptismi gratiam, sed etiam per pœnitentiæ me„ dicinam spes vitæ reparetur æternæ, ut qui regenerationis dona „ violassent, proprio se judicio condemnantes ad remissionem cri„ minum pervenirent: sic divinæ bonitatis præsidiis ordinatis, ut „ ad indulgentiam Dei nisi supplicationibus Sacerdotum nequeat „ obtineri. Mediator enim Dei, & hominum Christus Jesus hanc „ Præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, ut & confitentibns actio„ nem pœnitentiæ darent; & eosdem salubri satisfactione purga„ tos, ad communionem Sacramentorum per januam reconcilia„ tionis admitterent (*e*)“. Qui quocumque interceptus obstacu„ lo, a munere indulgentiæ præsentis exciderit, & priusquam ad „ constituta remedia pervenerit, temporalem vitam humana condi„ tione finierit, quod manens in corpore non recepit, consequi „ exutus carne non poterit (*f*). His vero, qui in tempore neces„ sitatis, & in periculi urgentis instantia, præsidium pœnitentiæ, „ & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, „ nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensu„ ras possumus ponere, nec tempora definire . . . In dispensandis „ itaque

De Pœnitentia.

(a) *Epist. 59. al. 46. cap. 2. pag. 977. Tom. 1.*
(b) *Serm. 91. al. 89. cap. 3. pag. 356. Tom. 1.*
(c) *Serm. 63. cap. 7. pag. 247. Tom. 1.*
(d) *Epist. 9. al. 11. cap. 2. pag. 631. Tom. 1.*
(e) *Epist. 108. al. 83. cap. 2. pag. 1174. Tom. 1.*
(f) *Ibid. cap. 3.*

S.LEO.MAG.

„ itaque Dei donis non debemus esse difficiles, nec accusantium se „ lacrymas, gemitusque negligere, cum ipsam pœnitendi affectionem „ ex Dei inspiratione credamus conceptam (*a*). Qui vero vi ægritu„ dinis ita fuerint aggravati, ut quod paulo ante poscebant, sub præ„ sentia Sacerdotis significare non valeant, testimonia eis fidelium „ circumstantium prodesse debebunt, ut simul & pœnitentiæ, & re„ conciliationis beneficium consequantur : servata tamen regula ca„ nonum paternorum circa eorum personas, qui in Deum a fide dis„ cedendo peccarunt (*b*) ".

De Ordine. „ Alienum est (scribit S. Leo) a consuetudine Ecclesiastica, „ ut qui in presbyterali honore, aut in Daconii gradu fuerint con„ secrati, ii pro crimine aliquo suo per manus impositionem reme„ dium accipiant pœnitentiæ (*c*). Lex continentiæ eadem est mi„ nistris Altaris, quæ Episcopis atque Presbyteris, qui cum essent „ laici sive lectores, licite & uxores ducere, & filios procreare „ potuerunt. Sed cum ad prædictos pervenerunt gradus, cœpit „ eis non licere quod licuit (*d*). Ne Subdiaconis quidem con„ nubium carnale conceditur (*e*). Is qui ordinandus est, etiamsi „ bonæ vitæ testimonium habeat, non laicus, non neophytus, nec „ secundæ conjugis sit maritus, aut qui unam quidem habeat, vel „ habuerit, sed quam sibi viduam copularit (*f*). Illi in Sacer„ dotes ordinentur, qui multo tempore per singulos officiorum gra„ dus provecti experimentum sui probabile perhibuissent (*g*). Eos „ qui vel secundas nuptias iniverunt, vel viduarum se conjugio „ sociarunt, nec apostolica, nec legalis auctoritas Sacerdotium „ obtinere permittit (*h*). Pietate & prædicatione verbi veritatis „ nihil honorabilius Episcopis (*i*) ". Comprovincialium Episcoporum ordinationes a Metropolitanis fiebant (*k*), & quidem die Dominico, quo etiam Diaconi, & Presbyteri erant consecrandi, (*l*) & quidem jejuni a jejunantibus (*m*). Mos erat Episcopis, ut diem suæ consecrationis anniversarium cum Episcopis celebrarent (*n*). In consecratione Episcopi & unctio adhibebatur, & psalmus 109. decantabatur (*o*). „ Non debet Episcopus vacationem „ ab Episcopatus laboribus peroptare, & malle in silentio, atque

„ otio

(a) *Ibid. cap.* 4. (b) *Ibid. cap.* 5.
(c) *Epist.* 167. *al.* 2. *cap.* 2. *pag.* 1421. *Tom.* 1.
(d) *Ibid. cap.* 3.
(e) *Epist.* 14. *al.* 12. *cap.* 4. *pag.* 687. *Tom.* 1.
(f) *Ibid. cap.* 3.
(g) *Epist.* 12. *al.* 1. *cap.* 4. *pag.* 663. *Tom.* 1.
(h) *Ibid. cap.* 5.
(i) *Epist. Flav. ad Leon.* 26. *al.* 21. *pag.* 789. *Tom.* 1.
(k) *Epist.* 6. *al.* 4. *cap.* 4. *pag* 621. *Tom.* 1.
(l) *Epist.* 9. *al.* 11. *cap.* 1. *pag.* 619. *Tom.* 1.
(m) *Ibidem.*
(n) *Serm.* 3. *al.* 2. *cap.* 4. *pag.* 13. *Tom.* 1.
(o) *Ibid. cap.* 1.

„ otio vitam degere. Sed in his, quæ sibi commissa sunt, permane- S. LEO MAG.
„ re . . . & consilium eorum ac fortitudo sit Christus . . . cujus „ tam potentia sunt adjutoria, quam vera promissa (*a*). Si quis „ Episcopus Civitatis suæ mediocritate despecta, administratio- „ nem loci celebrioris ambierit, & ad majorem se plebem qua- „ cumque ratione transtulerit, a cathedra quidem pelletur aliena, „ sed carebit & propria; ut nec illis præsideat, quos per avaritiam „ concupivit, nec illis, quos per superbiam sprevit (*b*). In E- „ piscopo non sola est fidei integritas intuenda, sed in illo & in- „ tegræ fidei veritas, & bonorum operum plenitudo quæratur „ (*c*). Vix ferenda in Episcopis excusatio, quæ prætendat in- „ scientiam (*d*), nec ignorare umquam licuerit Sacerdoti quod „ Canonum fuerit regulis definitum (*e*), sed Canonum præcepta „ servari maxime ad Sacerdotes universarum plebium pertinet, ut „ sanctarum constitutionum regulæ nullis corrumpantur excessibus „ (*f*), a quibus nec illis declinare, aut deviare nullo modo li- „ cet (*g*). Quamvis in Episcopis dignitas sit communis, non est „ tamen ordo generalis . . . unde Episcoporum est orta distinctio, „ & magna ordinatione provisum est, ne omnes sibi omnia vindi- „ carent; sed essent in singulis Provinciis singuli, quorum inter „ fratres haberetur prima sententia; & rursum quidam in majori- „ bus urbibus constituti, sollicitudinem susciperent ampliorem, per „ quos ad unam Petri Sedem universalis Ecclesiæ cura confluerer, „ & nihil usquam a suo capite dissideret . . . . quoniam & inter „ beatissimos Apostolos in similitudine honoris fuit quædam discre- „ tio potestatis, & cum omnium par esset electio, uni tamen da- „ tum est, ut cæteris præemineret (*h*). Præter Domini Sacerdo- „ tes nullus audeat prædicare, sive Monachus, sive ille sit laicus, „ qui cujuslibet scientiæ nomine glorietur (*i*). In Templo sede- „ bat Episcopus Episcopali subsellio sublimatus, & Sacerdotalibus „ infulis redimitus (*k*)". Presbyteros secundi ordinis Sacerdotes appellat; nam in primo Ordine Episcopos, in tertio vero Diaconos collocat (*l*). Plures commemorat Ecclesias in Urbis Regionibus constitutas, ad quas in Sabbatis misericordiæ munera fideles deferebant (*m*). Circa Presbyteros, Diaconos, vel Subdia-

P 2 conos

(a) *Epist.* 167. *al.* 2. *pag.* 1417. *Tom.* 1.
(b) *Epist.* 14. *al.* 12. *cap.* 8. *pag.* 689. *Tom.* 1.
(c) *Epist.* 169. *al.* 137. *cap.* 2. *pag.* 1432. *Tom.* 1.
(d) *Epist.* 16. *cap.* 1. *pag.* 717. *Tom.* 1.
(e) *Epist.* 4. *al.* 3. *cap.* 2. *pag.* 614. *Tom.* 1.
(f) *Epist.* 19. *al.* 18. *cap.* 1. *pag.* 733. *Tom.* 1.
(g) *Epist.* 4. *al.* 3. *cap.* 2. *pag.* 614. *Tom.* 1.
(h) *Epist.* 14. *al.* 12. *cap.* 11. *pag.* 691. *Tom.* 1.
(i) *Epist.* 120. *al.* 93. *cap.* 6. *pag.* 1227. *Tom.* 1.
(k) *Serm.* 14. *in append. al.* 96. *cap.* 2. *pag.* 435. *Tom.* 1.
(l) *Serm.* 68. *al.* 67. *cap.* 1. *pag.* 181. *Tom.* 1.
(m) *Serm.* 11. *al.* 10. *cap.* 2. *pag.* 38. *Tom.* 1.

S. LEO MAG.

conos, qui ad Catholicam fidem ab hæresi revertuntur, „ illam „ Canonum Constitutionem præcipit custodiri, ut in magno sub„ eant beneficio, si adempta sibi omni spe promotionis, in quo in„ veniuntur ordine, stabilitate perpetua maneant, si tamen iterata „ sanctione non fuerint maculati (*a*)". Commendat, quod „ Mun„ di Principes hæreticorum amentiam ita detestentur, ut auctores „ cum plerisque discipulis legum publicarum ense prosternerent .... „ Profuit enim (subdit) ista distinctio ecclesiasticæ lenitati, quæ „ etsi sacerdotali contenta judicio cruentas refugit ultiones, severis „ tamen divinisque constitutionibus adjuvatur, dum ad spirituale „ nonnumquam recurrunt remedium qui timent corporale suppli„ cium (*b*)".

De Matrimonio.

„ Uxores, quæ cum viros proprios aut interemptos putarent, aut „ numquam a dominatione crederent liberandos, ad alterum conju„ gium transierunt, si eos reverti contigeret, statuit S. Leo legiti„ marum fœdera nuptiarum redintegranda, ut recipiat unusquisque „ quod suum est. Nec tamen culpabilis judicetur, & tamquam „ alieni juris pervasor habeatur, qui personam ejus mariti, qui „ jam non esse existimabatur, assumpsit. Uxores vero, quæ reverti „ ad viros suos nolunt, impiæ habendæ sunt, & ecclesiastica com„ munione priventur (*c*)".

De Gratia, & libero arbitrio.

Summa humilitate & pietate S. Leo confitetur, „ quod opus mi„ nisterii nostri in omnibus, quæ recte agimus, Christus exequitur, „ & non in nobis, qui sine illo nihil possumus, sed in ipso, qui „ possibilitas nostra est, gloriamur (*d*). Nam sublimitas gratiæ „ Dei hoc quotidie operatur in cordibus Christianis, ut omne de„ siderium nostrum a terrenis ad cælestia transferatur. Sed etiam „ præsens vita per Creatoris opem ducitur, & per ipsius providen„ tiam sustinetur, quia idem est largitor temporalium, qui pro„ motor est æternorum (*e*)". Gratiæ efficacitas in stella, quæ Magis apparuit, demonstratur; „ dedit enim Deus aspicientibus in„ tellectum, qui præstitit signum, & quod fecit intelligi, fecit in„ quiri, & se inveniendum obtulit inquisitus (*f*). Quamvis ædi„ ficium nostrum sine ope sui non subsistat artificis, nec fabrica „ nostra possit esse incolumis, nisi ei protectio præfuerit condito„ ris, tamen quia rationabiles lapides sumus, & viva materies, „ sic nos auctoris nostri extruxit manus, ut cum opifice suo, et„ iam is qui reparatur operetur. Gratiæ igitur Dei obedientia „ se humana non subtrahat, nec ab illo bono, sine quo bona esse „ non potest, deficiat, ac si quid sit impossibile, aut arduum in „ man-

(a) *Epist.* 18. *al.* 14. *pag.* 731. *Tom.* 1.
(b) *Epist.* 15. *pag.* 696. *Tom.* 1.
(c) *Epist.* 159. *al.* 129. *cap.* 1. 2. & 4. *pag.* 1331. & *seq.* *Tom.* 1.
(d) *Serm.* 5. *al.* 4. *cap.* 4. *pag.* 22. *Tom.* 1.
(e) *Serm.* 16. *al.* 15. *cap.* 1. *pag.* 47. *Tom.* 1.
(f) *Serm.* 31. *al.* 30. *cap.* 1. *pag.* 112. *Tom.* 1.

„ mandatorum effectibus experitur, non in se remaneat, sed ad ju- „ bentem recurrat, qui ideo dat præceptum, ut excitet desiderium, „ & præstet auxilium, dicente Propheta, *Jacta in Domino cogitatio-* „ *nem tuam, & ipse te enutriet* (*a*). In Domino, & non in „ nobis de ipso gloriari debemus in virtutibus profectu; bonorum „ namque operum & spiritualium studiorum Deus auctor est, qui „ quorum incitat mentem, adjuvat actionem (*b*). Sine gratia ni- „ hil possumus: per ipsam omnia possumus (*c*). Ipsam pœni- „ tentiam miseratio divina largitur (*d*). Ipse Deus, qui dedit „ velle, donabit & posse, ut simus cooperatores operum ejus „ (*e*). Gratia Dei, qua semper est universitas justificata Sancto- „ rum, aucta est Christo nascente, non cœpta, & hoc magnæ „ pietatis Sacramentum, quo totus jam Mundus impletus est, tam „ potens etiam in suis significationibus fuit, ut non minus adepti „ sint qui illud credidere promissum, quam qui suscepere donatum „ (*f*). Nam ad vitam æternam nisi per mediatorem Dei, & „ hominum hominem Jesum Christum nemo potest pervenire (*g*); „ nec est redemptio captivitatis humanæ nisi in sanguine e- „ jus (*h*)". S.LEO MAG.

„ Generatio Christi origo est populi Christiani, & natalis capi- „ tis, natalis est corporis (*i*). Christianæ fidei fortitudo, quæ „ portas mortis super inexpugnabilem petram ædificata non metuit, „ unum Dominum Jesum Christum, & verum Deum, & verum „ hominem confitetur, eumdem credens Filium Virginis, qui au- „ ctor est Matris: eumdem natum in fine sæculorum, qui Creator „ est temporis: eumdem Dominum omnium virtutum, & unum de „ stirpe mortalium: eumdem peccati conscium, & in similitudi- „ nem carnis peccati pro peccatoribus immolatum (*k*)". Verba Christi Domini, *Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*, non semel de ipsa Petri Persona interpretatur; hinc scribit: „ Manet dispositio veritatis, & Beatus Petrus in „ accepta petræ fortitudine perseverans suscepta Ecclesiæ guberna- „ cula non reliquit. Sic enim præ cæteris est ordinatus, ut dum „ petra dicitur, dum fundamentum pronuntiatur, dum regni Cæ- „ lorum janitor constituitur, dum ligandorum, solvendorumque ar- „ biter mansura etiam in Cælis judiciorum suorum definitione præ- De Ecclesia.

 „ ficitur,

(a) *Serm. 43. al. 42. cap. 1. pag. 163. Tom. 1.*
(b) *Epist. 61. al. 49. cap. 1. pag. 983. Tom. 1.*
(c) *Epist. 167. al. 2. pag. 1418. Tom. 1.*
(d) *Epist. 116. al. 90. pag. 1207. Tom. 1.*
(e) *Serm. 26. al. 25. cap. 4. pag. 90. Tom. 1.*
(f) *Serm. 23. al. 22. cap. 4. pag. 76. Tom. 1.*
(g) *Epist. 126. al. 97. cap. 6. pag. 1240. Tom. 1.*
(h) *Ibidem.*
(i) *Serm. 26. al. 25. cap. 2. pag. 88. Tom. 1.*
(k) *Serm. 62. al. 60. cap. 2. pag. 239. Tom. 1.*

S. LEO MAG. „ ficitur, qualis ipsi cum Christo esset societas, per ipsam appellationem ejus .... nosceremus (*a*). In omnibus Sanctis suis „ unus idemque est Christus, & sicut a membris caput, ita a capite membra dividi non possunt (*b*). Illa est Virgo Ecclesia, „ Sponsa unius veri Christi, quæ nullo se patitur errore vitiari, „ ut per totum Mundum una nobis sit unius castæ communionis „ integritas (*c*). De toto Mundo unus Petrus eligitur, qui & „ universarum gentium vocationi, & cunctis Apostolis, omnibusque Ecclesiæ Patribus præponitur, ut quamvis in populo Dei „ multi Sacerdotes sint, multique Pastores, omnes tamen proprie „ regat Petrus quos principaliter regit & Christus (*d*). Magnum „ & mirabile huic vero consortium patientiæ suæ tribuit divina „ dignatio, & si quid cum eo commune voluit cæteris esse principibus, numquam nisi per ipsum dedit quidquid aliis non negavit (*e*) ... Dicitur beatissimo Petro, *Tibi dabo claves Regni* „ *Cælorum. Et quæcumque ligaveris super terram, erunt ligata* „ *& in Cælis, & quæcumque solveris super terram, erunt soluta* „ *& in Cælis.* Transivit quidem & in alios Apostolos jus potestatis ipsius, & ad omnes Ecclesiæ principes decreti hujus constitutio commeavit, sed non frustra uni commendatur, quod omnibus intimetur. Petro enim ideo hoc singulariter creditur, quia „ cunctis Ecclesiæ Rectoribus Petri forma præponitur. Manet ergo Petri privilegium ubicumque ex ipsius fertur æquitate judicium (*f*)".

De Conciliis. Tantum Ecclesiæ Conciliis deferebat S. Leo, ut quæ in Nicæna, & Chalcedonensi Synodo definita fuerant, in aliquam disceptationem revocari nullo modo passus sit, earum definitiones tamquam Spiritus Sancti oracula habenda esse pronuntians (*g*). Leoni Imperatori petenti, ut denuo ad examen revocarentur sancita in Synodo Chalcedonensi, auctoritatem objiciebat Marciani Imperatoris, qui ea omnia confirmaverat (*h*). Ipsum Leonem Imperatorem Chalcedonensis Concilii *custodem* appellat (*i*). In memoriam illi revocat, „ regiam potestatem sibi non ad solum Mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam (*k*)". Veram, legitimamque fuisse Chalcedonensem Synodum probat ex duabus ad vera Concilia requisitis conditionibus, nimirum 1. quia „ ab universis Romani orbis Provinciis cum totius mundi est „ cele-

(a) *Serm. 3. al. 2. cap. 3. pag. 12. Tom. 1.*
(b) *Serm. 63. cap. 3. pag. 244. Tom. 1.*
(c) *Epist. 80. al. 60. cap. 1. pag. 1039. Tom. 1.*
(d) *Serm. 4. al. 3. cap. 2. pag. 16. Tom. 1.*
(e) *Ibidem.* (f) *Ibid. cap. 3.*
(g) *Epist. 162. al. 132. cap. 1. pag. 1339. Tom. 1.*
(h) *Ibid. cap. 2.*
(i) *Epist. 148. al. 122. pag. 1303.*
(k) *Epist. 156. al. 125. cap. 3. pag. 1323. Tom. 1.*

S. Leo Mag.

„ celebrata consensu; 2. & a sacratissimi Concilii Nicæni est indi-
„ visa decretis (*a*). Chalcedonense Concilium ex præcepto Chri-
„ stianorum Principum, & consensu Apostolicæ Sedis congregatum
„ dicit (*b*)". Ad Concilium invitatus renuit scribens: „ Etiam
„ si secundum aliquod præcedens exigeretur exemplum, nunc ta-
„ men nequaquam posset impleri, quia rerum præsentium nimium
„ incerta conditio sane Urbis populis me abesse non sineret (*c*)".
Suos tamen misit Legatos Paschasium Episcopum, & Bonifacium Presbyterum, quibus & Julianum Episcopum adjunxit, qui vice sua Concilio præsiderent (*d*). Concilii Chalcedonensis de fide decreta nulla umquam permisit retractatione pulsari, nec ei regulæ, quæ ex divina inspiratione prolata est, nihil addi posse aut minui docebat (*e*). Se tamen in sola causa fidei decreta se adprobare, & confirmare protestabatur, propter quam solam Concilium congregatum fuisse dicebat (*f*). Concilia generalia ad Ecclesiæ removenda scandala docet esse opportuna (*g*); sed in iis ea præcipue tractentur quæ ad fidem pertinent (*h*). Quæ ad disciplinam pertinent, in Provincialibus, vel Nationalibus Conciliis sunt pertractanda, in quibus fraterno studio, quod ad Ecclesiæ utilitatem opportunum esse Spiritu Sancto suggerente cognoverint, statuant, atque decernant congregati Præsules. At Concilii generalis definitionibus nullus sit qui audeat contraire. Decretum Concilii Chalcedonensis in favorem Ecclesiæ Constantinopolitanæ infracto animo rejicit tamquam Nicænæ Synodi Decretis contrarium (*i*). Concilium Ephesinum non judicium, sed latrocinium appellat, nec Concilii nomine dignum (*k*). Tamquam certum statuit, sententiam in hæreticos latam in Concilio Provinciali *nullum posse relaxare* (*l*).

De auctoritate Summi Pontificis.

„ Antea & ab initio in iis, quæ factæ sunt, Synodis tantam
„ nos accepimus fiduciam a Sanctissimo Petro, & Principe Apo-
„ stolorum, ut potestatem habeamus & veritatis vindicandæ pro
„ nostra pace, & nemini ipsam liceat, cum munita adeo sit, con-
„ cutere (*m*)". Summus Pontifex „ locum habet ac facultatem
„ de fide & Sacerdotibus judicare (*n*)". Ab Apostolica Sede

(a) *Epist. 146. al. 133. cap. 3. pag. 1346. Tom. 1.*
(b) *Epist. 214. al. 87. cap. 1. pag. 1197. Tom. 1.*
(c) *Epist. 31. al. 27. cap. 4. pag. 857. Tom. 1.*
(d) *Epist. 89. al. 69. pag. 1061.*
(e) *Epist. 145. al. 115. cap. 1. pag. 1301. Tom. 1.*
(f) *Epist. 114. al. 87. cap. 1. pag. 1197. Tom. 1.*
(g) *Epist. 70. al. 54. pag. 1010.*
(h) *Epist. 119. al. 92. cap. 5. pag. 1217.*
(i) *Epist. 106. al. 90. cap. 4. pag. 1165. Tom. 1.*
(k) *Epist. 95. al. 75. cap. 2. pag. 1077.*
(l) *Epist. 31. al. 27. cap. 3. pag. 856. Tom. 1.*
(m) *Epist. 63. al. 34. cap. 1. p. 902. Tom. 1.*
(n) *Epist. 55. al. 47. pag. 962.*

S. LEO MAG. „ habere (ſcribunt Epiſcopi Galliarum) infideles, ut a perfidia „ ſua, agnita veritate, diſcedant, & Apoſtolicæ inſtitutionis luce „ perfuſi erroris ſui tenebras derelinquant (*a*) “. Cum S. Leo de Theodoreto pronunciaſſet: „ Benedictus Deus... cujus invin- „ cibilis veritas ab omni hæreſeos macula mundum te ſecundum „ Sedis Apoſtolicæ judicium demonſtravit (*b*) “, hoc judicium confirmavit Synodus Chalcedonenſis ſtatuens: „ Ingrediatur & Re- „ verendiſſimus Epiſcopus Theodoretus, ut ſit particeps Synodi, „ quia & reſtituit ei Epiſcopatum Sanctiſſimus Archiepiſcopus „ Leo (*c*) “. Ex epiſtola S. Leonis ad Marcianum (*d*) apparet, etiam generalia Concilia eſſe confirmatione Sedis Apoſtolicæ corroboranda. Cauſas majores ubi Vicarios inſtituerat, ſibi reſervat (*e*). Galliarum Epiſcopis ſcribit, eis compertum „ Apoſtolicam Sedem pro „ ſui reverentia a veſtræ etiam Provinciæ Sacerdotibus innumeris re- „ lationibus eſſe conſultam, & per diverſarum, quemadmodum ve- „ tus conſuetudo poſcebat, appellationem cauſarum aut retractata „ aut confirmata fuiſſe judicia (*f*) “. Adverſus prædatoriam Epheſinam Synodum libellum appellationis ad Sedem Apoſtolicam dedit S. Flavianus (*g*). Eccleſiæ univerſalis ſollicitudinem ex divina inſtitutione ſibi demandat, ac deprædicat S. Leo (*h*). Romanam Eccleſiam laudat, quod “ per tot ſæcula docente Spiritu San- „ cto nulla eam hæreſis violaverit (*i*) “. Tempore S. Leonis decretalia conſtituta tam beatæ recordationis Innocentii, quam omnium deceſſorum Pontificum collecta ſervabantur (*k*). Scrinia etiam in Romana Eccleſia habebantur, in quibus epiſtolæ, & monimenta ad poſteros tranſmittenda ſervabantur (*l*).

De cultu Sanctorum, & Reliquiarum. Commendat S. Leo Pulcheriam Auguſtam, quod Chriſtianam fidem defenderit, & „ reliquias Sanctæ memoriæ Flaviani innocentis, „ & catholici Sacerdotis ad Eccleſiam debito cum honore fecerit „ revocari (*m*) “. Summa alacritate Sanctorum feſta celebrabat, & in eorum commemoratione lætandum eſſe docebat (*n*). Dies Sanctorum natalis ſolemniter celebrabatur in Eccleſia, loca, quibus eorum ſervabantur reliquiæ, ornabantur, & luminaribus pluribus illuſtrabantur, hymni, & cantica in eorum decantabantur honorem, & et-

(a) *Epiſt. 99. al. 76. cap. 3. pag. 1108. Tom. 1.*
(b) *Epiſt. 120. al. 93. cap. 5. p. 1226. Tom. 1.*
(c) *Synod. Chalced. act. 1. pag. 874.*
(d) *Epiſt. 115. al. 99. pag. 1201.*
(e) *Epiſt. 6. al. 4. cap. 5. pag. 622. Tom. 1.*
(f) *Epiſt. 10. cap. 2. pag. 634. Tom. 1.*
(g) *Epiſt. 44. al. 40. cap. 3. pag 915. Tom. 1.*
(h) *Epiſt. 12. al. 1. cap. 1. pag. 658. Tom. 1.*
(i) *Serm. 96. al. 93. cap. 3. pag. 374. Tom. 1.*
(k) *Epiſt. 4. al. 3. cap. 5. pag. 616. Tom. 1.*
(l) *Epiſt. 64. al. 57. cap. 2. p. 995. Tom. 1.*
(m) *Epiſt. 89. al. 59. cap. 2.*
(n) *Serm. 82. al. 80. cap. 7. pag. 326. Tom. 1.*

& etiam ab operibus servilibus in eorum festis abstinebant fideles. Sanctorum intercessionem sæpe commendat scribens de S. Laurentio Martyre (*a*): „Cujus oratione, & patrocinio adjuvari confidimus... „ ut corroboremur spiritu caritatis, & ad superandas omnes tenta- „ tiones constantis fidei perseverantia muniamur". Et alibi dicit: „ Sabbato autem apud beatissimum Petrum vigilias celebremus, „ qui & orationes, & jejunia, & eleemosynas nostras precibus „ suis dignabitur adjuvare (*b*)". S. Petrum Romam sub Claudio venisse, & sub Nerone Martyrium consummasse scribit (*c*). Licet a pluribus sæculis defunctum Sedi suæ tamen præesse non desinere prædicat, & petræ soliditatem in suos transfundere hæredes (*d*).

S. LEO MAG.

„ Universa vitia (inquit S. Leo) per abstinentiam destruun- „ tur . . . & superfluum est sustinere esuriem, & iniquam non de- „ ponere voluntatem, reciso affligi cibo, & a concepto non resili- „ re peccato. Carnale est, non spirituale jejunium, ubi soli corpo- „ ri non parcitur, & in iis, quæ omnibus deliciis nocentiora sunt, „ permanetur . . . jejunante ergo corpore ab escis, mens jejunet „ a vitiis, & curas cupiditatesque terrenas regis sui lege dijudicet „ (*e*) . . . Etsi in hac vita jejunium difficile est continuari, pot- „ est tamen frequenter assumi, ut sæpius, ac diutius spiritualibus „ potius, quam carnalibus occupemur . . . Hujus observantiæ uti- „ litas in Ecclesiasticis præcipue est constituta jejuniis, qui per do- „ ctrinam Sancti Spiritus ita per totius anni circulum distributa „ sunt, ut lex abstinentiæ omnibus sit adscripta temporibus. Siqui- „ dem jejunium vernum in quadragesima, æstivum in Pentecoste, „ autumnale in mense septimo, hyemale autem in hoc qui est de- „ cimus celebremus (*f*). Cum ii, qui nihil omittunt de humilia- „ tione jejunii, sub sterili fatigatione desudent, nisi se eleemosynarum „ qua possunt erogatione sanctificent, dignum est, ut in alimoniam „ pauperum abundantior sit eorum largitio, quorum ad abstinendum „ minor est fortitudo. Quod ergo quis in sua sibi infirmitate non „ denegat, alienæ inopiæ libenter impendat, & propriam necessitatem „ faciat sibi cum indigente communem. Non culpatur infirmus jeju- „ nium solvens, a quo cibum accipit pauper esuriens, nec escam su- „ mendo polluitur, qui eleemosynam impertiendo mundatur, dicente „ Domino, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* „ In quo opere etiam ii, qui ab epularum delectatione se continent, „ fructum sibi debent misericordiæ comparare, ut quod abundan- „ tius seminaverint, copiosius metant . . . Non sit anxia liberali- „ tas,

De jejunio, Oratione, Collectis, & bonis operibus in commune habitis.

(a) *Serm. 85. al. 83. cap. 4. pag. 339. Tom. 1.*
(b) *Serm. 12. al. 11. cap. 4. pag. 43. Tom. 1.*
(c) *Serm. 82. al. 80. cap. 4. pag. 324. Tom. 1.*
(d) *Serm. 5. al. 4. cap. 4. pag. 22. Tom. 1.*
(e) *Serm. 19. al. 18. cap. 2. pag. 60. Tom. 1.*
(f) *Ibid. cap. 1. & 2.*

S. LEO MAG.

„ tas, nec triste jejunium, *hilarem enim datorem diligit Deus*, „ qui fidelis est, & abundanter largita retribuit, quæ benigne largienda donavit Jesus Christus (*a*). Efficacissima pro peccatis „ deprecatio est etiam in eleemosynis, & velociter ad divinas conscendit aures talibus oratio elevata suffragiis (*b*). Nos expoliare debemus non solum in distribuendis eleemosynis, quæ magnum habent emendationis effectum, sed etiam in remittendis „ offensionibus, & peccatorum reatibus relaxandis, ut conditio, „ quam inter se & hominem Deus posuit, non resistat orantibus. „ Dicentes enim secundum doctrinam Domini: *Dimitte nobis debita* „ *nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*, debemus toto „ corde implere quod dicimus (*c*). Deus pro nobis omnia bella „ conficiet, ipse qui dedit velle, donabit & posse (*d*)". In subsidium pauperum Apostolorum exemplum imitati SS. Patres, certos designaverunt dies, in quibus collectæ fiebant (*e*). Hujusmodi dies vel Dominici erant, vel feriæ tertiæ, vel quartæ, vel alii etiam dies. De his collectis scribit S. Leo: „ Sanctarum collationum „ collectio est prudenter a Patribus, & utiliter ordinata, ut quia „ in hoc tempore gentilis quondam populus superstitiosius dæmonibus serviebat, contra prophanas hostias impiorum sacratissima „ nostrarum eleemosynarum celebraretur oblatio (*f*)". Communia jejunia, & publica privatis anteferebat S. Leo scribens: „ Divinarum reverentia sanctionum inter quælibet spontaneæ observantiæ studia habet semper privilegium suum, ut sacratius sit, „ quod publica lege celebratur, quam quod privata institutione dependitur. Exercitatio enim continentiæ, quam sibi quisque proprio indicit arbitrio, ad utilitatem cujusdam pertinet; portionis „ jejunium vero, quod universa Ecclesia suscipit, neminem a generali purificatione sejungit: & tunc fit potentissimus Dei populus, quando in unitatem sanctæ obedientiæ omnium fidelium „ corda conveniunt... Per hanc autem Dei gratiam, *qui operatur* „ *omnia in omnibus*, communis fidelium fructus commune fit meritum. Quoniam quidem potest & eorum par esse animus, quorum impar est sensus; & cum alter de alterius lætatur largitate, „ cui æquari non potuit impendio, æquatur affectu. Nihil in tali „ populo inordinatum, nihil diversum est, ubi ad omnem pietatis „ vigorem sibi totius corporis membra consentiunt (*g*)".

AR-

(a) *Serm.* 87. *al.* 85. *cap.* 3. *&* 4. *pag.* 342. *Tom.* 1.
(b) *Serm.* 16. *al.* 15. *cap.* 2. *pag.* 48. *Tom.* 1.
(c) *Serm.* 46. *al.* 45. *cap.* 4. *pag.* 176. *Tom.* 1.
(d) *Serm.* 26. *al.* 25. *cap.* 4. *pag.* 90.
(e) *Serm.* 8. *al.* 7. *pag.* 29.
(f) *Serm.* 4. *al.* 3. *Tom.* 1.
(g) *Serm.* 88. *al.* 86. *cap.* 2. *&* 4. *pag.* 345.

ARTICULUS QUARTUS.

Selectiora S. Leonis ascetica vitæ documenta.

I. DE justitia sua nemo præsumat, & de ipsius misericordia nemo diffidat, quæ tunc evidentius præeminet, quando peccator sanctificatur, & abjectus erigitur, neque enim de qualitate nostrorum operum pendet cælestium mensura donorum: aut in isto sæculo, in quo *tota vita tentatio est*: hoc unicuique retribuitur, quod meretur: ubi si iniquitates Dominus observaret, nullus judicium suum sustineret. (*Serm.* 2. *Ed. Ver. cap.* 1. *p.* 9.) De propria virtute nemo præsumat, nec de divina misericordia diffidat.

II. *Omne enim*, sicut scriptum est, *datum optimum*, & *omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum*: gratias agere bonorum omnium debemus auctori: quoniam sive in naturalibus incrementis, sive in moralibus institutis, *ipse fecit nos*, & *non ipsi nos*: cumque hoc pie, & fideliter confitemur, neque in nobis, sed in Domino gloriamur. (*Serm.* 5. *cap.* 1. *pag.* 20.) Omnia ad Dei gloriam referenda.

III. Certum est enim unumquemque nostrum animæ suæ benefacere, quoties misericordia sua inopiæ succurrit alienæ. Prompta ergo, dilectissimi, & facilis apud nos largitas esse debet, si credimus id sibi unumquemque præstare, quod indigentibus tribuit. Thesaurum enim suum condit in cælo, qui Christum pascit in paupere. Benignitatem itaque in hoc, & dispensationem divinæ pietatis agnosce. Idcirco enim te abundare voluit, ut per te alius non egeret, & per ministerium operis tui pauperem ab egestatis labore, teque a peccatorum multitudine liberaret. O mira providentia, & bonitas Creatoris, ut uno facto duobus vellet esse succursum! (*Serm.* 6. *pag.* 17.) Pauperibus alacriter & affluenter subveniendum.

IV. Dilectissimi, solicita benignitate vigilandum est, ut quem modestia tegit, & verecundia præpedit, invenire possimus. Sunt enim, qui palam pascere ea, quibus indigent, erubescunt; & malunt miseria tacitæ egestatis affligi, quam publica petitione confundi. Intelligendi ergo isti sunt, & ab occulta necessitate sublevandi, ut hoc ipso amplius gaudeant, cum & paupertati eorum consultum fuerit, & pudori. (*Serm.* 9. *cap.* 3. *pag.* 33.) Pauperibus verecundis præcipue subveniendum.

V. Sed forte sunt aliqui divitum, qui licet nullis largitionibus pauperes Ecclesiæ soleant adjuvare, alia tamen Dei mandata custodiunt, & inter diversa fidei, & probitatis merita, veniabiliter sibi æstimant unam deesse virtutem. Verum hæc tanta est, ut sine illa cæteræ, etsi sint, prodesse non possint. Quamvis enim quis fidelis sit, & castus, & sobrius, & aliis majoribus ornatus insignibus, si misericors tamen non est, misericordiam non meretur; ait enim Dominus: *Beati misericordes, quoniam ipsorum miserebitur Deus*. (*Serm.* 19. *cap.* 3. *pag.* 35.) Sine charitate erga pauperes cæteræ virtutes nihil prosunt.

VI. Dixerat Dominus: *Beati misericordes, quia ipsum miserebitur Deus*; omne illud examen, quo majestate præsenti univer- Charitas erga pauperes extremi judicii rigorem temperabit.

sum

S. LEO MAG.

ſum judicaturus eſt mundum, ſub hac oſtendit æquitate librandum, ut ſola erga inopes operum qualitate diſcuſſa, & impiis ardere cum diabolo & benignis paratum ſit regnare cum Chriſto. Quæ ibi in medium facta non venient? quæ occulta non detegentur? quæ conſcientiæ non patebunt? ubi vere nemo gloriabitur caſtum ſe habere cor, aut mundum ſe eſſe a peccato: ſed quoniam exaltabitur ſuper judicium miſericordia, & omnem retributionem juſtitiæ tranſcendent dona clementiæ. (*Serm.* 11. *cap.* 1. *pag.* 37.)

Homo ad imaginem Dei conditus, ut auctorem ſuum imitetur.

VII. Si fideliter, dilectiſſimi, atque ſapienter creationis noſtræ intelligamus exordium, inveniemus hominem, ideo ad imaginem Dei conditum, ut imitator ſui eſſet auctoris; & hanc eſſe naturalem noſtri generis dignitatem, ſi in nobis quaſi in quodam ſpeculo divinæ benignitatis forma reſplendeat. (*Serm.* 12. *cap.* 1. *pag.* 39.)

Omnibus divinis judiciis acquieſcendum.

VIII. Cum Deus bonos nos eſſe velit, quia bonus eſt, nihil nobis debet de ejus judiciis diſplicere. Nam non per omnia illi gratias agere, quid eſt aliud, quam ex quadam eum parte reprehendere? Audet plerumque humana inſipientia adverſus Creatorem ſuum, non ſolum de inopia, ſed etiam de copia murmurare: ut & cum aliquid non ſuppetit, querula, & cum quædam exuberant, ſit ingrata. (*Ibid.* *cap.* 2. *pag.* 41.)

Oratio, jejunium, eleemoſyna omnes virtutes complectuntur.

IX. Tria ſunt, quæ maxime ad religioſas pertinent actiones, oratio ſcilicet, jejunium, & eleemoſyna, quibus exercendis omne quidem tempus acceptum, ſed illud eſt ſtudioſius obſervandum, quod Apoſtolicis accepimus traditionibus conſecratum. (*Ibidem* *cap.* 4. *pag.* 42.)

Salutares jejunii effectus.

X. Jejunia concupiſcentias vincunt, tentationes repellunt, ſuperbiam inclinant, iram mitigant, & omnes bonæ voluntatis affectus ad maturitatem totius virtutis enutriunt: ſi tamen in ſocietatem ſibi benevolentiam caritatis aſſumant, & in operibus miſericordiæ ſe prudenter exerceant. (*Serm.* 15. *cap.* 2.)

Pauperibus dandum cum fiducia divinæ retributionis.

XI. Conſtans eſto, Chriſtiane largitor: da quod accipias, ſere quod metas, ſparge quod colligas. Noli metuere diſpendium, noli de dubio ſuſpirare proventu. Subſtantia tua cum bene erogatur, augetur; & concupiſcere juſtum miſericordiæ lucrum, æterni quæſtus eſt ſectari commercium. Munerator tuus vult te eſſe munificum, & qui dat ut habeas, mandat ut tribuas, dicens: *Date, & dabitur vobis.* (*Serm.* 18. *cap.* 2. *pag.* 53.)

Prima dilectio Deo, ſecunda proximo debetur.

XII. Meminerit (Homo) primam dilectionem Deo, ſecundam deberi proximo, omneſque affectus ſuos hac regula dirigendos: ut nec a cultu recedat Domini, nec ab utilitate conſervi. Quomodo autem Deus colitur, niſi, ut quod ipſi placet, placeat & nobis; nec ab ejus imperio noſter unquam reſultet effectus? quoniam ſi hoc, quod ille vult, volumus, ab illo ſumet infirmitas noſtra virtutem, a quo ipſam accepimus voluntatem: *Deus eſt enim*, ſicut ait Apoſtolus, *qui operatur in nobis & velle, & perficere pro bona voluntate.* (*Serm.* 19. *cap.* 3. *pag.* 60.)

Omnes debent Nativitatis D. N. J. C. participes eſſe.

XIII. Salvator noſter (Dilectiſſimi) hodie natus eſt, gaudeamus. Neque enim locum fas eſt ibi eſſe triſtitiæ, ubi natalis eſt

vitæ:

vitæ: quæ consumpto mortalitatis timore, nobis ingerit de promissa æternitate lætitiam. Nemo ab hujus alacritatis participatione secernitur, una cunctis lætitiæ communis est ratio: quia Dominus noster peccati, mortisque destructor, sicut nullum a reatu liberum reperit, ita liberandis omnibus venit. (*Serm.* 21. *cap.* 1. *pag.* 64.) S.LEO MAG.

XIV. Deponamus veterem hominem cum actibus suis; & adepti participationem generationis Christi, carnis renuntiemus operibus. Agnosce, o Christiane, dignitatem tuam, & divinæ consors factus naturæ, noli in veterem vilitatem degeneri conversatione redire. Memento cujus capitis, & cujus corporis sis membrum. Reminiscere, quia erutus de potestate tenebrarum, translatus es in Dei lumen, & regnum. Per Baptismatis Sacramentum Spiritus Sancti factus es Templum: noli tantum habitatorem pravis de te actibus effugare, & Diaboli te iterum subjicere servituti, quia pretium tuum sanguis est Christi, quia in veritate te judicabit, qui in misericordia te redemit; qui cum Patre, & Spiritu Sancto regnat in sæcula sæculorum, Amen. (*Ibidem cap.* 2. *pag.* 66.)

Veterem hominem deponere debemus, ut novum induamus.

XV. Non segni, neque carnali lætitia diem Dominicæ Nativitatis celebrare debemus. Quod digne, ac intelligenter fiet a singulis, si meminerit quisque, cujus corporis membrum sit, & cui capiti coaptatum: ne sacræ ædificationi discors compago non hæreat. (*Serm.* 23. *cap.* 5. *pag.* 77.)

Non carnalibus, sed spiritualibus gaudiis Nativitatis J.C. festum celebrandum.

XVI. Exultent in laudem Dei corda credentium, & mirabilia ejus confiteantur filii hominum: quoniam in hoc præcipue Dei opere humilitas nostra cognoscit, quanti eam suus conditor æstimarit. Qui cum origini humanæ multum dederit, quod nos ad imaginem suam fecit, reparationi nostræ longe amplius tribuit, cum servili formæ ipse se Dominus coaptavit. (*Serm.* 24. *cap.* 2. *pag.* 79.)

Dei erga homines amor in redemptione maxime elucet.

XVII. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma: unus Deus & Pater omnium, qui super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis.* Huic unitati, dilectissimi, inconcussis mentibus inhærete, & in hac omnem *sectamini sanctitatem*, in hac præceptis Domini deservite, quia *sine fide impossibile est placere Deo*; & nihil sine illa sanctum, nihil castum est, nihil vivum: *Justus enim ex fide vivit*; quam qui Diabolo decipiente perdiderit, vivens mortuus est. (*Ibid. cap.* 6. *pag.* 82.)

Unitati Fidei maxime inhærendum.

XVIII. Omnibus quidem diebus, dilectissimi, atque temporibus, animis fidelium divina meditantium Domini, & Salvatoris nostri ex Matre Virgine ortus occurrit: ut mens ad confessionem sui auctoris erecta, sive in gemitu supplicationis, sive in exultatione laudis, sive in sacrificii oblatione versetur, nihil crebrius, nihilque fidentius spiritali attingat intuitu. (*Serm.* 26. *cap.* 1. *pag.* 87.)

Nativitatis, ac Infantiæ D. N. J. C. mysteria continuo meditanda.

XIX. Pax spiritualium, & catholicorum a supernis veniens, & ad superna perducens cum amatoribus mundi nulla nos vult communione misceri, sed omnibus obstaculis resistere, & ad vera gaudia a perniciosis delectationibus evolare, dicente Domino: *Ubi fuerit thesaurus tuus, ibi erit cor tuum*: hoc est, si deorsum sunt, quæ amas,

Christianorum pax a Deo venit, & ad Deum perducit.

S. LEO MAG.

amas, ad ima descendes; si sursum sunt, quæ diligis, ad summa pervenies. (*Ibid. cap.* 5. *pag.* 91.)

Adoptionis filii omnem Patris voluntatem implere debent.

XX. Dignum est enim, atque conveniens, ut testantis Patris voluntas ab adoptionis filiis impleatur, & dicente Apostolo: *Si compatimur, & conglorificabimur*, sint humilitatis Christi comparticipes, qui sunt futuræ gloriæ cohæredes. (*Serm.* 29. *cap.* 13. *pag.* 105.)

Fidem nostram, non secus ac Magi, muneribus protestari debemus.

XXI. Adorant in carne Verbum, in infantia Sapientiam, in infirmitate virtutem, & in hominis veritate Dominum majestatis: utque sacramentum fidei suæ, intelligentiæque manifestent, quod cordibus credunt, muneribus protestantur. Thus Deo, myrrham homini, aurum offerunt Regi: scientes divinam, humanamque naturam in unitate venerantes: quia quod erat in substantiis proprium, non erat in persona diversum. (*Serm.* 31. *in Epist. cap.* 2. *pag.* 113.)

Quas virtutes Deus infans nobis imitandas proponat.

XXII. Erigite, dilectissimi, fideles animos ad coruscantem gratiam luminis sempiterni, & impensa saluti humanæ, gratiæ sacramenta venerantes studium vestrum iis, quæ pro vobis gesta sunt, subdite. Diligite castimoniæ puritatem, quia Christus virginitatis est filius. *Abstinete vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam, quemadmodum nos præsens* Beatus Apostolus suis, ut legimus, verbis hortatur. *Malitia parvuli estote*; quia Dominus gloriæ, mortalium se conformavit infantiæ. Sectamini humilitatem, quam Dei filius Discipulos suos docere dignatus est. Induite vos virtutem sapientiæ, in qua animas vestras possitis acquirere, quoniam qui cunctorum est redemptio, ipse est omnium fortitudo: *Quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram.* Per viam veritatis & vitæ constanter incedite: nec vos impediant terrena, quibus sunt parata cælestia, per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in sæcula sæculorum, Amen. (*Ibid. cap.* 3.)

Magorum vocatio nostræ vocationis initium fuit: quare debemus eorum exemplo nos etiam Jesu Christo munera exhibere.

XXIII. Agnoscamus, dilectissimi, in Magis adoratoribus Christi, vocationis nostræ, fideique primitias, & exultantibus animis beatæ spei initia celebremus. Exinde enim in æternam hæreditatem cœpimus introire. Exinde nobis Christum loquentia Scripturarum arcana patuerunt; & veritas, quam Judæorum obcæcatio non recepit, omnibus nationibus lumen suum invexit. Honoretur itaque a nobis sacratissimus dies, in quo salutis nostræ Auctor apparuit; & quem Magi infantem venerati sunt in cunabulis, nos omnipotentem adoremus in Cælis. Ac sicut illi de thesauris suis mysticas Domino munerum species obtulerunt: ita & nos de cordibus nostris, quæ Deo sunt digna, promamus. Quamvis enim omnium bonorum sit ipse largitor, etiam nostræ tamen fructum quærit industriæ: non enim dormientibus provenit Regnum Cælorum, sed in mandatis Dei laborantibus, atque vigilantibus, ut si dona illius irrita non fecerimus, per ea, quæ dedit, mereamur accipere, quod promisit. Unde cohortamur dilectionem vestram, ut abstinentes vos ab omni opere malo, quæ sunt casta, & justa sectemini.

ctemini. Filii enim lucis abjicere debent opera tenebrarum. Itaque odia declinate, mendacia abjicite, superbiam humilitate destruite, avaritiam projicite, largitatem diligite: decet enim, ut capiti suo membra conveniant: ut promissarum beatitudinum mereamur esse consortes; per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivit, & regnat Deus in sæcula sæculorum, Amen. (*Serm.* 32. *cap.* 4. *pag.* 117.) S.LEO MAG.

XXIV. Providentia namque misericordiæ Dei dispositum habens per cuncta Mundo in novissimis temporibus subvenire, salvationem omnium gentium præfinit in Christo, ut quia & cunctas nationes a veri Dei cultu impius dudum error averterat, & ipse peculiaris Dei populus Israel ab institutis legalibus pene totus exciderat, conclusis omnibus sub peccato, omnium misereretur. Deficiente enim ubique justitia, & toto mundo in vana, & maligna prolapso, nisi judicium suum divina potestas differret, universitas hominum sententiam damnationis exciperet. Sed in indulgentiam ira translata est, & ut clarior fieret exerendæ gratiæ magnitudo, tunc placuit abolendis peccatis hominum Sacramentum remissionis afferri, quando nemo poterat de suis meritis gloriari. (*Serm.* 33. *cap.* 1. *pag.* 118.)

J.C. in mundum venit, ut eum rediméret, cum omnes homines suorum peccatorum captivi essent.

XXV. Dum in hoc corpore vivitur, nullius desperanda reparatio: sed omnium est optanda correctio, auxiliante Domino: *Qui erigit elisos, solvit compeditos, illuminat cæcos.* (*Serm.* 33. *cap.* 5. *pag.* 127.

De nullius salute desperandum.

XXVI. Non enim dormientibus provenit Regnum Cælorum, nec otio, desidiaque torpentibus beatitudo æternitatis ingeritur; sed quia, sicut Apostolus ait: *Si compatimur, & conglorificabimur*, illa nobis currenda est via, quam ipse Dominus se esse testatus est; qui nobis nullis operum meritis suffragantibus, & sacramento consuluit, & exemplo: ut in adoptionem vocatos, per illud proveheret ad salutem, per hoc imbueret ad laborem. (*Serm.* 35. *cap.* 3. *pag.* 13.)

In ea via ambulandum, quam Christus præmonstravit.

XXVII. Habet, dilectissimi, pax nostra pericula sua: & frustra de fidei libertate securi sunt, qui vitiorum desideriis non resistunt: cor hominum de operum ostenditur qualitate, & formas mentium species detegit actionum. Nam sunt quidam, sicut ait Apostolus: *Qui Deum profitentur se scire, factis autem negant.* Vere enim reatus negationis incurritur, quando bonum, quod in sono vocis auditur, in conscientia non habetur. (*Serm.* 36. *cap.* 4. *pag.* 135.)

In Ecclesiæ pace cupiditatum nostrarum persecutio timenda est.

XXVIII. Ipsa primordia, quæ Dei Filius per Matrem Virginem nascendo suscepit, ad provectum nos pietatis instituunt. Simul enim apparet cordibus rectis in una, eademque persona, & humana humilitas, & divina Majestas. Quem cunæ testantur infantem, Cælum, & cælestia suum loquuntur auctorem. Puer corporis parvi, Dominus & rector est Mundi; & genitricis gremio continetur, qui nullo fine concluditur. Sed in his nostrorum vulnerum est curatio, & nostræ dejectionis erectio: quia nisi in unum

Jesu Christi Infantia norma est vitæ nostræ.

S. LEO MAG. unum tanta diversitas conveniret, reconciliari Deo humana natura non posset. (*Serm.* 36. *cap.* 1. *pag.* 136.)

Idem. XXIX. Legem vivendi remedia nobis nostra sanxerunt; & inde data est moribus forma, unde mortuis est impensa medicina. Nec immerito, cum tres Magos ad adorandum Jesum novi sideris claritas deduxisset, non eum imperantem Dæmonibus, non mortuos suscitantem, non cæcis visum, aut claudis gressum, aut mutis eloquium reformantem, vel in aliqua divinarum virtutum actione viderunt, sed puerum silentem, quietum, & sub matris sollicitudine constitutum: in quo nullum quidem apparet de potestate signum, sed magnum præbetur de humilitate miraculum. Ipsa itaque species sacræ infantiæ, cui se Deus Dei filius aptarat, prædicationem auribus intimandam, oculis ingerebat: ut quod adhuc vocis non proferebat sonus, visionis jam doceret effectus. (*Ibid. cap.* 2.)

J. C. Infantia humilitatis magistra, innocentiæ regula, mansuetudinis forma. XXX. Amat Christus infantiam, quam primum, & animo suscepit, & corpore. Amat Christus infantiam, humilitatis magistram, innocentiæ regulam, mansuetudinis formam. Amat Christus infantiam, ad quam majorum dirigit mores, ad quam reducit ætates; & eas ad suum inclinat exemplum, quos ad regnum sublimat æternum. (*Ibid. cap.* 3. *pag.* 138.)

Quæ sint certamina in hac vita sustinenda. XXXI. Sunt intra nosmetipsos multa certamina, & aliud caro adversus spiritum, aliud adversus carnem spiritus concupiscit. In qua dissensione, si cupiditates corporeæ fuerint fortiores, turpiter animus amittet propriam dignitatem, & perniciosissimum erit eum servire, quem decuerat imperare. Si autem mens rectori suo subdita, & supernis muneribus delectata, terrenæ voluptatis incitamenta calcaverit; & in suo mortali corpore regnare peccatum non siverit, ordinatissimum tenebit ratio principatum, & munitiones ejus nulla spiritalium nequitiarum labefactabit illusio: quia tunc est vera pax hominis, & vera libertas, quando & caro animo judice regitur, & animus Deo præside gubernatur. (*Serm.* 39. *cap.* 2. *pag.* 144.)

Non satis est in jejunio a carnibus abstinere; anima etiam roborari debet. XXXII. Parum est, si carnis substantia tenuatur, & animæ fortitudo non alitur. Afflicto paululum exteriore homine reficiatur interior: & subtracta carni saturitate corporea, spiritalibus mens delitiis roboretur. (*Ibid. cap.* 5. *pag.* 146.)

Semper in virtute proficiendum, dum vivimus. XXXIII. Natura nostra, manente adhuc mortalitate, mutabilis etiamsi ad summa quæque virtutum studia provehatur; semper tamen sicut potest habere, quo recidat, ita potest habere, quo crescat. Et hæc est perfectorum vera justitia, ut numquam præsumant se esse perfectos, ne ab itineris nondum finiti intentione cessantes, ibi incidant deficiendi periculum, ubi proficiendi deposuerint appetitum. Nemo nostrum, dilectissimi, tam perfectus, & sanctus est, ut perfectior, sanctiorque esse non possit. (*Serm.* 40. *cap.* 1. *pag.* 148.)

Ad Redemptionis mysterium celebrandum cum animi puritate parare nos debemus. XXXIV. Si enim rationabile, & quodammodo religiosum videtur, per diem festum in vestitu nitidiore prodire, & habitu corporis hilaritatem mentis ostendere; si ipsam quoque orationis do-

mum

mum propenſiore tunc cura, & ampliore cultu, quantum poſſumus, adornamus: nonne dignum eſt, ut anima Chriſtiana, quæ verum, vivumque Dei templum eſt, ſpeciem ſuam prudenter exornet; & redemptionis ſuæ celebratura Sacramentum, omni circumſpectione præcaveat, ne ulla eam macula iniquitatis obfuſcet, aut duplicis cordis ruga dedecoret? Nam quid prodeſt honeſtatis formam præferens cultus exterior, ſi interiora hominis aliquorum ſordeant contaminatione vitiorum? Omnia igitur, quæ animi puritatem, & ſpeculum mentis obnubilant, abſtergenda ſedulo, & quadam elimatione radenda ſunt. Scrutetur quiſque conſcientiam, ſeque ante ſe ſtatuat proprii cenſura judicii. (*Serm.* 41. *cap.* 1. *p.* 154.)

S. LEO MAG.

Cupiditatibus ac illecebris obnoxii ſumus, dum vivimus.

XXXV. Nullis illecebris commoveri, nullis cupiditatibus titillari; non eſt iſtius vitæ, quæ tota tentatio eſt, & qua nimirum vincitur, qui vinci ab eadem non veretur. Superbum eſt enim de non peccandi facilitate præſumere, cum hoc ipſum præſumpſiſſe peccatum ſit, dicente beato Joanne Apoſtolo: *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, noſipſos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt*. (*Ibid. p.* 154.)

Quadrageſima ad purificandas animas, & vitiorum maculas detergendas inſtituta.

XXXVI. Debebatur quidem tantis myſteriis ita inceſſabilis devotio, & continuata reverentia, ut tales permaneremus in conſpectu Dei, quales nos in ipſo Paſchali Feſto dignum eſt inveniri: ſed quia hæc fortitudo paucorum eſt, & dum carnis fragilitate auſterior obſervantia relaxatur, dumque per varias actiones vitæ hujus ſolicitudo diſtenditur, neceſſe eſt de mundano pulvere etiam religioſa corda ſordeſcere; magna divinæ inſtitutionis ſalubritate proviſum eſt, ut ad reparandam mentium puritatem quadraginta nobis dierum exercitatio mederetur, in quibus aliorum temporum culpas, & pia opera redimerent, & jejunia caſta decoquerent, (*Serm.* 42. *cap.* 1. *pag.* 156.)

Jejunii tempore omne virtutum genus exercendum.

XXXVII. Non in ſola abſtinentia cibi ſtat noſtri ſumma jejunii, aut fructuoſe corpori eſca ſubtrahitur, niſi mens ab iniquitate revocetur, & ab obtrectationibus lingua cohibeatur. Sic ergo nobis edendi eſt moderanda libertas, ut etiam aliæ cupiditates eadem lege frænentur. Manſuetudinis, & patientiæ, pacis, & tranquillitatis hoc tempus eſt, in quo excluſa omnium contaminatione vitiorum, perpetuitas nobis eſt obtinenda virtutum. Nunc piarum mentium fortitudo donare culpas, negligere contumelias, & obliviſci aſſueſcat injurias. (*Ibid. cap.* 2. *p.* 157.)

Nulla utilior abſtinentia, quam ab injuſta voluntate & pravis actionibus abſtinere.

XXXVIII. Cum ob hoc caſtigatio iſta ſumatur, ut carnalium deſideriorum fomites ſubtrahantur, nullum magis ſectandum eſt continentiæ genus, quam ut ſemper ſimus ab injuſta voluntate ſobrii, & ab inhoneſta actione jejuni. Quæ devotio non omittit ægros, non ſecernit invalidos; quia etiam in languido, atque inutili corpore poteſt animi integritas reperiri, ſi ubi fuit ſedes pravitatis, ibi confirmentur fundamenta virtutis. Et ideo infirmæ carnis iſta ſufficit ægritudo, quæ ſæpe menſuram voluntariæ afflictionis excedit, tantum ut mens officii ſui impleat partes, & quæ corporea epulatione non utitur, nulla iniquitate paſcatur. (*Serm.* 44. *c.* 2. *p.* 168.)

S. LEO MAG.

Quadragesimali tempore superbiæ spiritus humilitatis amore pellendus.

XXXIX. Celebraturi Pascha Domini, dilectissimi, ita vos sanctis exercete jejuniis, ut ab omnibus perturbationibus liberi, ad festa sacratissima veniatis. Superbiæ spiritus, de quo sunt omnia orta peccata, humilitatis amore pellatur; & qui elatione tumuerant, mansuetudine mitigentur. Quorum vero animos aliqua exasperavit offensio, reconciliati sibimet in unitatem studeant redire concordiæ: *Nemini malum pro malo reddentes, & donantes invicem vobis, sicut Christus donavit nobis.* (*Ibid. cap.* 3. *p.* 169.)

Vitæ christianæ perfectio in quo consistat.

XL. Virtus, dilectissimi, & sapientia fidei Christianæ amor Dei est, & amor proximi: neque ullo caret pietatis officio, cui studium est colere Dominum, & juvare conservum. (*Serm.* 45. *cap.* 1. *p.* 170.)

Hominibus piis numquam deest tribulatio persecutionis.

XLI. Apostolus prædicat, dicens: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo, persecutionem patientur*: & ideo nunquam deest tribulatio persecutionis, si nunquam desit observantia pietatis. Dominus ipse in exhortationibus suis dicit: *Qui non accipit crucem suam & sequitur me, non est me dignus*; nec dubitare debemus hanc vocem, non solum ad discipulos Christi, sed ad cunctos fideles, totamque Ecclesiam pertinere, quæ salutare suum in his, qui aderant, universaliter audiebat. Sicut ergo totius est temporis crucem ferre: quæ merito unicuique sua dicitur, quia propriis modis, atque mensuris ab unoquoque toleratur. Unum nomen est persecutionis. (*Serm.* 47. *cap.* 1. *p.* 178.)

Peccandi occasionibus perpetuo obnoxii sumus.

XLII. Circumstant undique pericula innumerabilium delictorum, & per licitos usus ad immoderatos transitur excessus, dum per curam salutis irrepit delectatio voluptatis; & non sufficit concupiscentiæ, quod potest satis esse naturæ. Hinc habendi amor nunquam satiandus exoritur; hinc cupiditas eminendi, quæ vel stirpi suæ innexa, vel soboli, nunc prolem habet superbiam, nunc parentem. His autem, & aliis tentationibus, quarum multiplex est, & infinita connexio, quæ rectius virtus, quam continentia opponitur? (*Serm.* 50. *cap.* 2. *p.* 140.)

Crucis Jesu Christi efficax virtus.

XLIII. Crux ergo Christi sacramentum veri, & prænuntiati habet Altaris, ubi per hostiam salutarem, naturæ humanæ celebraretur oblatio. Ibi sanguis immaculati Agni antiquæ prævaricationis pacta delebat: ibi tota diabolicæ dominationis conterebatur adversitas; & de elatione superbiæ victrix humilitas triumphabat: cum tam velox fidei esset effectus, ut de crucifixis cum Christo latronibus, qui in Christum Filium Dei credidit, Paradisum justificatus intraverit. (*Serm.* 55. *in Passion. D. N. cap.* 3. *p.* 209.)

Sæpe utile nobis est a Deo non exaudiri.

XLIV. Quia enim nos *quid oremus, sicut oportet, nescimus*; & utile nobis est, ne fiat plerumque quod volumus, Deus justus, & bonus, quando ea, quæ nocitura sunt, petuntur, nequando miseretur. (*Serm.* 56. *cap.* 2. *p.* 213.)

J.C. preces, ac timor omnes timores nostros pellere debet.

XLV. *Si non potest*, inquit, *calix iste transire a me, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.* Hæc vox capitis, salus est totius corporis: hæc vox omnes fideles instruxit, omnes Confessores accendit, omnes

Mar-

Martyres coronavit. Nam quis mundi odia, quis tentationum turbines, quis posset persecutorum superare terrores, nisi Christus in omnibus, & pro omnibus diceret Patri: *Fiat voluntas tua?* Discant igitur hanc vocem omnes Ecclesiæ Filii magno pretio redempti, gratis justificati, & cum adversitas violentæ alicujus tentationis incubuerit, præsidio potentissimæ orationis utantur; ut superato tremore formidinis, accipiant tolerantiam passionis. (*Serm.* 8. *cap.* 5. *p.* 223.) S. Leo Mag.

XLVI. O admirabilis potentia Crucis! O ineffabilis gloria passionis! in qua & Tribunal Domini, & judicium mundi, & potestas est crucifixi. (*Serm.* 59. *cap.* 7. *p.* 228.) Crux Dei Tribunal.

XLVII. Fiat, dilectissimi, quod Apostolus Paulus ait: *Ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei, qui pro omnibus mortuus est, & resurrexit*: & quia vetera transierunt, & facta sunt omnia nova, nemo in carnalis vitæ vetustate remaneat; sed omnes de die in diem proficiendo per pietatis augmenta renovemur. Quantumlibet enim quisque justificatus sit, habet tamen dum in hac vita est, quo probatior esse possit, & melior. Qui autem non proficit, deficit; & qui nihil acquirit, non nihil perdit. (*Ibid. cap.* 8. *p.* 229.) Quantumlibet quisque bonus sit, melior tamen fieri potest. Qui non proficit, deficit.

XLVIII. Beatus Apostolus Petrus, cujus fides ea devotione fervebat, ut & Domino compati paratus esset, & commori, ancilla Sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit: ob hoc, sicut apparet, hæsitare permissus, ut in Ecclesiæ principe remedium pœnitentiæ conderetur: ut nemo auderet de sua virtute confidere, quando mutabilitatis periculum, nec Beatus Petrus potuisset evadere. (*Serm.* 60. *cap.* 7. *p.* 233.) Petri lapsu docemur, ut nemo audeat de sua virtute confidere.

XLIX. Miserendi nostri causam Deus nisi in sua bonitate non habuit, & mirabilior est secunda hominum generatio, quam prima conditio; quia plus est in novissimis sæculis reparasse Deum quod perierat, quam a principio fecisse quod non erat. (*Serm.* 64. *cap.* 1. *p.* 285.) Miserendi nostri causam a sola sua bonitate Deus habet.

L. Nulli infirmorum Crucis est negata victoria: nec quisquam est, cui non Christi auxilietur oratio. Quæ si multis in ipsum sævientibus profuit, quanto magis eos, qui ad ipsum convertuntur, adjuvit? (*Ibid. cap.* 3. *p.* 257.) Crucis ope infirmus quisque vincere potest.

LI. Non aliud agit participatio Corporis, & Sanguinis Christi, quam ut in id, quod sumimus, transeamus: & in quo commortui, & consepulti, conresuscitati sumus, ipsum per omnia, & spiritu, & carne gestemus, dicente Apostolo: *Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Cum enim *Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* (*Serm.* 63. *cap.* 7. *p.* 247.) Participatio corporis & sanguinis Christi facit, ut in id quod sumimus transeamus.

LII. Merito Dominus ipse nobis factus est via, quia nisi per Christum non itur ad Christum. Per ipsum autem ad ipsum tendit, qui per semitam patientiæ, & humilitatis ejus incedit: in quo plane itinere, nec æstus deest laboris, nec nubes tristitiæ, nec procella formidinis. (*Serm.* 67. *cap.* 6. *pag.* 263.) Christus via est, per quam ad eum itur.

S. LEO MAG.

Infidelitas est fluctuans & incerta.

LIII. Infidelitas quippe, quæ omnium est mater errorum, in multas opiniones, quas arte dicendi necesse habeat colorare, distrahitur; veritatis autem testificatio, nunquam a sua luce discedit; & quod aliis minus, aliis amplius micat, non varietas facit luminis, sed infirmitas contemplationis. (*Serm. 69. cap.* 1. *p.* 268.)

Quicumque Deo serviunt, cum Christo crucifixi sunt.

LIV. *Si enim compatimur, & conregnabimus.* Quod præmium non eis tantum paratum est, qui pro nomine Domini impiorum sævitia sunt perempti, quoniam universitas Deo servientium, Deoque viventium, sicut in Christo est crucifixa, ita est in Christo coronanda. (*Ibid. cap.* 5. *p.* 271.)

Christi passionem digne colit, qui cum eo patitur.

LV. Quis vere Christum passum, mortuum, & resuscitatum colit, nisi qui cum ipso patitur, & moritur, & resurgit? (*Serm.* 70. *cap.* 4. *p.* 274.)

Crucem ferendi necessitas est quoddam Martyrii genus.

LVI. Non est æstimandum multiplicata per orbem fide, & rarescente impiorum numero, omnes persecutiones, & omnia, quæ adversus beatos Martyres sævierunt, finita esse certamina, tanquam suscipiendæ crucis illis tantum necessitas incubuerit, quibus ad expugnandam Christi dilectionem atrocissima sunt illata supplicia. Sed aliud servientium Deo pietas experitur, aliud etiam Apostoli prædicatio protestatur, qui dicit: *Omnes, qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patiuntur.* Qua sententia nimis tepidus, & segnis ostenditur, qui nulla persecutione pulsatur. (*Ibid. cap.* 5. *p.* 275.)

Mors quædam est, quæ vitæ est initium, & vita est, quæ est mortis exordium.

LVII. Unicuique homini, qui ex alio in aliud aliqua conversione mutatur, finis est, non esse, quod fuit, & ortus, esse quod non fuit. Sed interest, cui quis aut moriatur, aut vivat: quia est mors quæ causa est moriendi. Nec alibi quam in hoc transitorio sæculo utrumque conquiritur; ut ex qualitate temporalium actionum differentiæ retributionum pendeant æternarum: moriendum ergo est Diabolo, & vivendum Deo: deficiendum iniquitati, ut justitiæ resurgatur. (*Serm.* 71. *in resurect. D. N. cap.* 1. *p.* 281.)

Nihil superflui carni tribuendum, neque necessaria deneganda.

LVIII. Quia non omnibus desideriis serviendum, nec quicquid caro concupiscit, implendum est, de adhibendo temperantiæ modo admonitos nos esse cognoscimus: ut carni, quæ sub animi est constituta judicio, nec superflua concedamus, nec necessaria denegemus. Unde idem Apostolus alibi ait: *Nemo enim unquam carnem suam odio habuit, sed nutrit, & fovet eam*; cum utique non ad vitia, non ad luxuriam, sed ad debitum sit alenda, & fovenda famulatum. (*Ibid. cap.* 5. *p.* 283.)

Crux Christi Sacramentum simul est, & exemplum.

LIX. Crux Christi, quæ salvandis est impensa mortalibus, & Sacramentum est, & exemplum: Sacramentum, quo virtus impletur divina; exemplum, quo devotio incitatur humana: quoniam captivitatis jugo erutis, etiam hoc præstat redemptio, ut eam sequi possit imitatio. Nam si mundana sapientia ita in suis gloriatur erroribus, ut quem sibi quisque ducem elegerit, ejus opiniones, & errores, atque omnia instituta sectetur: quæ nobis erit communio nominis Christi, nisi ut ei inseparabiliter uniamur, qui est,

S. LEO MAG.

est, ut ipse insinuavit: *Via, & veritas, & vita?* Via scilicet conversationis sanctæ; veritas doctrinæ divinæ, & vita beatitudinis sempiternæ. (*Serm.* 72. *cap.* 1. *p.* 285.)

Si in Christo crucifixi erimus, resurgemus cum eo.

LX. Si incunctanter, dilectissimi, credimus corde, quod ore profitemur, nos in Christo crucifixi, nos sumus mortui, nos sepulti, nos etiam in ipso die tertio suscitati. Unde Apostolus dicit: *Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, quærite, ubi Christus est in dextera Dei sedens; quæ sursum sunt, sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cum enim Christus apparuerit vita vestra, tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.* Ut autem noverint corda fidelium habere se, unde ad supernam sapientiam, spretis mundi cupiditatibus valeant elevari, spondet nobis Dominus præsentiam suam dicens: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem sæculi.* Non enim frustra per Isajam dixerat Spiritus Sanctus: *Ecce virgo in utero accipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen ejus Emmanuel, quod est interpretatum nobiscum Deus.* Implet ergo Jesus proprietatem nominis sui; & qui ascendit in Cælos, non deserit adoptatos: qui sedet ad dexteram Patris, ipse totius habitator est corporis; & ipse deorsum confortat ad patientiam, qui sursum invitat ad gloriam. (*Ibid. cap.* 3. *p.* 286.)

Per Christi adscensionem non solum nobis ad cælum aditus patet, sed in illud etiam intravimus.

LXI. Quia igitur Christi ascensio, nostra provectio est, & quo præcessit gloria capitis, eo spes vocatur & corporis; dignis, dilectissimi, exultemus gaudiis, & pia gratiarum actione lætemur. Hodie enim non solum Paradisi possessores firmati sumus, sed etiam cælorum in Christo superna penetravimus. (*Serm.* 72. *in Ascens. D. N. cap.* 4. *p.* 292.)

Ascensionis mysterium fidem nostram roborat, non secus ac Martyrum fidem firmavit.

LXII. Hanc fidem Ascensione Domini auctam, & Spiritus Sancti munere roboratam, non vincula, non carceres, non exilia, non fames, non ignis, non laniatus ferarum, nec exquisita persequentium crudelitatibus supplicia terruerunt. Pro hac fide per universum mundum, non solum viri, sed etiam fœminæ, nec tantum impubes pueri, sed etiam teneræ virgines, usque ad effusionem sui sanguinis decertarunt. (*Serm.* 73. *cap.* 2. *p.* 244.)

Peregrinatio est vita nostra super terram.

LXIII. Sursum vocatos animos desideria terrena non deprimant; ad æterna prælectos peritura non occupent; viam veritatis ingressos fallaces illecebræ non retardent: & ita a fidelibus hæc temporalia decurrantur, ut peregrinari se in hac mundi valle cognoscant, in qua etiamsi quædam commoda blandiantur, non amplectenda nequiter, sed transeunda sunt fortiter. Ad hanc enim nos devotionem beatissimus Apostolus Petrus incitat, & secundum illam dilectionem, quam pascendis Christi ovibus trina Dominici amoris professione concepit, obsecrans dicit: *Charissimi, obsecro vos tamquam advenas, & peregrinos, abstinere vos a carnalibus desideriis, quæ militant adversus animam.* (*Ibid. cap.* 5. *p.* 295.)

Spiritus Sancti substantia vere non erat in igneis

LXIV. Quamvis, dilectissimi, valde fuerit ipsa rei gestæ forma mirabilis, nec dubium sit, in illo omnium humanarum vocum exultante

S. LEO MAG.

Linguis, quæ die Pentecostes apparuerunt.

tante conventu majestatem Spiritus Sancti fuisse præsentem; nemo tamen in iis, quæ corporeis visa sunt oculis, divinam ejus putet apparuisse substantiam. Natura enim invisibilis, & cum Patre, & cum Filio communis, qualitatem muneris, atque operis sui, qua voluit significatione monstravit; proprietatem vero essentiæ suæ in sua Deitate continuit. (*Serm. 75. in Festo Pentecost. cap. 3. p. 298.*)

Ecclesiasticæ consuetudines a divina institutione manarunt.

LXV. Dubitandum non est, dilectissimi, omnem observantiam eruditionis esse divinæ, & quicquid ab Ecclesia in consuetudinem est devotionis receptum, de traditione Apostolica, & de Sancti Spiritus prodire doctrina: qui nunc quoque cordibus fidelium suis præsidet institutis, ut ea omnes & obedienter custodiant, & sapienter intelligant. Nam cum in die Pentecostes, quam a Pascha Domini quinquagesimum celebramus, promissus a Domino Spiritus Sanctus expectantium mentes majori, quam unquam copia, & clariore præsentia suæ majestatis impleverit, manifestissime patet inter cætera Dei munera, jejuniorum quoque gratiam, quæ hodiernam festivitatem indivisa subsequitur, tunc fuisse donatam: ut sicut fuit concupiscentia initium peccatorum, ita sit continentia origo virtutum. (*Serm. 79. de jejunio Pentecost. cap. 1. p. 316.*)

Qui infirmitatis causa a jejunii lege soluti sunt, pauperum fami subvenire debent.

LXVI. Cum ii, qui nihil omittunt de humiliatione jejunii, sub sterili fatigatione desudent, nisi se eleemosynarum, qua possunt erogatione sanctificent, dignum est, ut in alimoniam pauperum abundantior sit eorum largitio, quorum ad abstinendum minor est fortitudo. Quod ergo in sua sibi infirmitate non denegat, alienæ inopiæ libenter impendat: & propriam necessitatem faciat sibi cum indigente communem. Non culpatur infirmus jejunium solvens, a quo cibum accipit pauper esuriens: nec escam sumendo polluitur, qui eleemosynam impertiendo mundatur, dicente Domino, *Date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis.* (*Serm. 87. in jejunio Septembr. cap. 3. p. 343.*)

Divites & pauperes ex ipsa conditionis diversitate sibi invicem prosunt.

LXVII. Mirabiliter providentia divina disposuit, ut essent in Ecclesia, & sancti pauperes, & divites boni, qui invicem sibi ex ipsa diversitate prodessent, cum ad æterna, & incorrupta præmia promerenda Deo gratias agerent accipientes, & Deo gratias agerent largientes. (*Serm. 89. cap. 6. p. 350.*)

Nihil ad Deum exorandum efficacius, quam humilitas.

LXVIII. Est enim omni tempore aptum, & testamento utrique conveniens, ut per castigationem mentis, & corporis, misericordia divina quæratur: quia nihil est efficacius ad exorandum Deum, quam ut homo ipse se judicet, & numquam desinat a venia postulanda, qui se scit nunquam esse sine culpa. (*Serm. 90. cap. 1. p. 351.*)

Quantumlibet studium ad exteriores actus dirigendos animus adhibeat, semper tentationibus est obnoxius.

LXIX. Quantumlibet sapienter, & provide judex animus suis exterioribus præsit, inter ipsas tamen curas, atque mensuras regendæ carnis, & alendæ, nimis ei semper vicina tentatio est. Quis enim ita se, aut a voluptate corporis, aut a dolore se jungit, ut ad ipsam mentem non pertineat, quod extrinsecus aut blanditur, aut cruciat; indivisum est gaudium, indiscreta tristitia: nihil in hominem iracundia non accendit, nihil lætitia non resolvit, nihil ægri-

ægritudo non afficit; & quæ illic declinatio potest esse peccati, ubi una passio est & regentis, & subditi? Merito Dominus protestatur, quod *spiritus quidem promptus est, caro autem infirma*. Et ne usque ad inertem desidiam desperatione ducamur, quæ impossibilia sunt homini ex imbecillitate propria, possibilia spondet ex virtute divina: *Angusta enim, & arcta est via, quæ ducit ad vitam*; & nemo in eam gressum inferret, nemo vestigium promoveret, nisi difficiles aditus ipse se Christus viam faciendo reseraret: ut auctor itineris fiat possibilitas ambulantis, quia idem & introducit ad laborem, & perducit ad requiem. In quo ergo nobis spes est æternæ vitæ, in eodem est & forma patientiæ: *Si* enim *compatimur, & conregnabimus:* quoniam, ut Apostolus ait: *Qui se dicit in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare*. Alioquin falsæ professionis imagine utimur, si cujus in nomine gloriamur, ejus instituta non sequimur: quæ utique nobis onerosa non essent, & ab omnibus nos periculis liberarent, si nihil aliud, qnam quod amandum jubetur, amaremus. (*Ibidem*.) S. LEO MAG.

LXX. *Dei agricultura sumus, & Dei ædificatio, & neque qui plantat, sit aliquid, neque qui rigat, sed qui incrementum dat, Deus*; in omnibus tamen exigit nostri ministerii servitutem, & nos dispensatores suorum vult esse donorum, ut qui fert Dei imaginem, Dei faciat voluntatem. Propter quod in oratione Dominica sacratissime dicimus: *Adveniat Regnum tuum, fiat voluntas tua, sicut in cælo, & in terra*. Quibus verbis quid aliud postulamus, quam ut Deus, quem necdum sibi subdidit, subdat, & sicut in Cælo Angelos, ita & in terra homines, ministros suæ faciat voluntatis? Hoc autem petentes amamus Deum, amamus, & proximum: & non diversa in nobis, sed una dilectio est, quando & servum servire, & Dominum cupimus imperare. (*Ibid. cap.* 39. *p.* 353.) Deus in omnibus exigit nostri ministerii servitutem.

LXXI. Hic affectus, dilectissimi, quo amor terrenus excluditur, bonorum operum consuetudine roboratur, quia necesse est, ut bonis actibus conscientia delectetur, & libenter faciat, quod fecisse se gaudeat: Assumitur ergo jejunium, multiplicatur largitio, justitia custoditur, frequentatur oratio, fitque ut singulorum desiderium sit unum omnium votum. Nutrit patientiam labor, mansuetudo extinguit iram, benevolentia calcat invidias, immundæ cupiditates sanctis desideriis enecantur, avaritia liberalitate depellitur, & onera divitiarum fiunt instrumenta virtutum. (*Ibid. cap.* 4.) Charitas bonorum operum consuetudine roboratur.

LXXII. Experiendo didicistis, quantum hæc præparatio & exteriora hominum, & interiora purificet, ut cum a licitis abstinetur, facilius illicitis resistatur. Continentiæ autem ratio, dilectissimi, non in sola castigatione corporum, nec in diminutione tantum habeatur escarum. Majora enim virtutis istius bona ad illam animæ pertinent castitatem, quæ non solum carnis concupiscentias conterit, sed etiam mundanæ sapientiæ vana contemnit. (*Serm.* 51. *cap.* 1. *p.* 355.) Vera abstinentia in animi puritate præcipue consistit.

S. Leo Mag.

Omnibus temporibus veritatis inimici non defuere, qui funesta bella in eam excitarunt.

LXXIII. Continendum est a cibis, sed multo magis ab erroribus jejunandum: ut mens nulli carnali dedita voluptati, nullius sit captiva mendacii: quia sicut in præteritis, ita etiam in nostris diebus non desunt veritatis inimici, qui inter Catholicam Ecclesiam movere audeant bella civilia, & in consensum impiorum dogmatum imperitos quosque ducentes, sibi glorientur accrescere quos a Christi corpore potuerint separari. (*Ibid. cap.* 2.)

Is in pauperes largus est, qui in illis Christum agnoscit.

LXXIV. Ille circa pauperes vestimentorum, & ciborum laudabilis distributor est, qui se Christum in indigentibus & vestire novit, & pascere: quoniam ipse ait: *Quandiu fecistis uni ex fratribus meis, mihi fecistis.* (*Ibid. cap.* 3. *p.* 357.)

Nulla major dilectionis remuneratio expetenda est, quam ipsa dilectio.

LXXV. Diligenti Deum sufficit ei placere, quem diligit: quia nulla major expetenda est remuneratio, quam ipsa dilectio: Sic enim charitas ex Deo est, ut Deus ipse sit charitas. Quo utique pius, & castus animus ita gaudet impleri, ut nulla re extra ipsum cupiat delectari. Verissimum namque est, quod dicit Dominus: *Ubi est thesaurus tuus, ibi erit, & cor tuum.* (*Serm.* 92. *cap.* 3. *p.* 359.)

In divina misericordia confidendum, & credendum, quod Deus opem ferret, ut ejus precepta serventur.

LXXVI. Agnoscat homo sui generis dignitatem, factumque se ad imaginem, & similitudinem sui Creatoris intelligat, nec ita de miseriis, in quas per peccatum illud maximum, & commune incidit, expavescat, ut non se ad misericordiam sui reparatoris attollat; ipse enim dicit: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum:* Hoc est, me diligite, & ab iis, quæ mihi displicent, abstinete. Facite, quod amo, amate, quod facio; & cum videtur esse difficile, quod jubeo, ad jubentem accurrite; ut unde datur præceptum, præstetur auxilium; non negabo opem, qui tribui voluntatem. (*Serm.* 94. *cap.* 2. *p.* 364.)

Pauperibus tribuendum quod nostræ consuetudini subtrahimus.

LXXVII. Aliquantulum quod juvandis possit prodesse pauperibus, nostræ consuetudini subtrahamus. Dilectio proximi, dilectio Dei est, qui plenitudinem Legis & Prophetarum in hac geminæ charitatis unitate constituit; ut nemo ambigeret Deo se offerre, quod homini contulisset, dicente Domino Salvatore, cum de alendis, juvandisque pauperibus loqueretur: *Quod uni eorum fecistis, mihi fecistis.* (*Ibid. cap.* 4. *p.* 365.)

Eorum vitandum commercium qui Fidei catholicæ, atque Ecclesiæ sunt inimici.

LXXVIII. Paterna vox, & fraterna sollicitudine commonemus, ut inimicos Catholicæ fidei, hostes Ecclesiæ, Incarnationis Dominicæ negatores, & instituto a Sanctis Apostolis Symbolo repugnantes, in nullum recipiatis confessionis affectum. (*Serm.* 96. *contr. hæres. Eutych. cap.* 1. *p.* 373.)

CA-

CAPUT XXVI.

S. CÆSARIUS

Arelatenſis Epiſcopus, Eccleſiæ Doctor.

ARTICULUS PRIMUS.

Vitæ S. Cæſarii Breviarium.

S. CÆSARIUS, quem Gallicana Eccleſia inter ſuos Doctores enumerat, „ Territorii Cabilonenſis fuit indigena; cu„ jus parentes æque proſapiæ nobilitate, ac . . . . fide & „ moribus floruerunt . . . . Cum ſeptimum haud amplius gereret „ ætatis annum, ex veſtimentis, quæ circa ſe habebat, pauperi„ bus tribuebat; & diſcuſſus, quid de veſtimentis ſuis fecerit, reſpon„ debat, a tranſeuntibus ſibi fuiſſe ſublata (*a*). Inter ipſa infan„ tiæ rudimenta, ſe illius temporis Pontificis S. Sylveſtri veſtigiis, „ præmiſſa ſupplicatione, proſtravit petens, ut ablatis ſibi capil„ lis, mutatoque habitu divino ſervitio manciparet. Agente ergo „ Pontifice gratias Chriſto, nulla extitit votis optimis mora. „ Cumque inibi biennio ſub hac inchoatione ſerviſſet, divinæ gra„ tiæ inſtigatione ſuccenſus, ut arctius divino ſe manciparet ſervi„ tio (*b*), Lirinenſe Monaſterium tyro expetiit, ſuſceptus a S. Por„ cario Abbate. Inibi cœpit eſſe in vigiliis promptus, in obſer„ vatione ſollicitus, in obauditione feſtinus, in labore devotus, in „ humilitate præcipuus; ita ut quem inſtituendum ſuſceperant, in „ diſciplinæ regularis initiis perfectum ſe inveniſſe gauderent Mo„ nachi. Poſt parvum ergo tempus in Cellario Congregationis „ eligitur (*c*). Poſt hæc ſtomacho fatiſcente, typum quartanæ fe„ bris incurrit. Cumque de ejus infirmitate ipſius Abbas graviter „ turbaretur, ad civitatem Arelatenſem cauſa recuperandæ ſalutis „ juſſit adduci (*d*) “.

S. CÆSAR.

S. Cæſarii ortus anno 470.

S. Sylveſtro in Arelatenſi Sede ſucceſſit Eonius, S. Cæſarii propinquus, qui „ ab Abbate ſuo S. Porcario illum expetiit, & „ licet ab invito conceditur. Illico Diaconus, dehinc Presbyter „ ordinatur, & poſtea, defuncto Abbate, in ſuburbana inſula Ci„ vitatis

Diaconus primum, poſtea Presbyter, denique Epiſcopus ordinatur an. 501.

(a) *S. Cæſar. Vit. Tom. 1. Act. S. Bened. n. 3. p. 637. Ed. Ven. 1733.*
(b) *Ibid. n. 4.* (c) *Ibid. n. 5.*
(d) *Ibid. n. 6.*

S. Cæsar.

„ vitatis dirigitur a S. Eonio, ut Monasterium ad disciplinam „ formaret, Abbatis auctus dignitate (*a*); in quo regimine ultra „ triennium est commoratus. Nam Eonius Clerum, & Cives al„ loquens hortatur, ut, cum ipse, Deo volente, migrasset ad Chri„ stum, nullum sibi alterum, quam Cæsarium successorem elige„ rent; quatenus Ecclesiasticum vigorem, quem querebatur in „ multis regulis fuisse mollitum, per servum Christi Cæsarium ad „ statum suum, & vigorem gratularetur revocari fraternitas. Cum „ ergo ad S. Cæsarii notitiam pervenisset, defuncto jam Eonio, „ quod esset ordinandus Episcopus, inter quasdam sepulturas lati„ bulum requisivit; sed absconsus esse non potuit, unde de sepul„ tura trahitur (*b*), & Episcopatus sarcinam coactus suscepit.

Vitæ genus in Episcopatu.

„ De profectibus itaque cunctorum sollicitus providus Pastor sta„ tim instituit, ut quotidie Tertiæ, Sextæque, & Nonæ opus in „ S. Stephani Basilica Clerici cum hymnis cantarent; ut si quis „ forte sæcularium vel pœnitentium sanctum opus exequi ambiret, „ quotidiano interesse posset officio (*c*)". Primæ vero officium die Dominico, Sabbato, & festis solemnibus dumtaxat dici voluit. „ Adjecit etiam, atque compulit, ut Laicorum popularitas Psal„ mos, & Hymnos pararet, altaque & modulata voce alii græce, „ alii latine (sive ob extraneos, sive quia apud Arelatenses usus „ linguæ græcæ obtineret) prosas, antiphonasque cantarent (*d*)". Hortabatur autem fideles, „ ut orantes quantum possent, adju„ vante Domino, laborarent, ut nulla extranea cogitatio subrepere „ posset, ne forte aliud habeant in corde, & aliud proferant ex „ ore; & ne forte, dum lingua Deum orat, cogitatio ab oratio„ nis sensu discedat". Nam scribit in quodam sermone: „ Cui„ cumque forte in oratione subripitur, ut forum cogitet; si forum „ cogitat, forum adorat. Subripitur illi, ut domum cogitet, quam „ fabricat, aut reparat... hoc adorat. Forte vineas, aut hor„ tum, aut aliud aliquid cogitat.... hoc in illa oratione ado„ rat (*e*)". Interim „ tranquillitatem Sancti Viri æmula Dia„ boli perturbavit adversitas. Nam improbus quidam suggessit A„ larico Regi, quod Cæsarius affectaret territorium, & Civitatem „ Arelatensem Burgundionum ditionibus subjugare. Hinc cum ab „ Arelato fuisset abstractus, ad Burdigalensem Civitatem est quasi „ in exilio relegatus... Instruxit itaque & ibi, & ubique sem„ per Ecclesiam reddere quæ sunt Cæsaris, Cæsari, & quæ sunt „ Dei, Deo: obedire quidem juxta Apostolum Regibus, & Pote„ statibus, quando justa præcipiunt, & despectui habere in Prin„ cipe Ariano dogmatis pravitatem (*f*). Post hæc, comperta in„ nocentia Beati Viri, poscit nefarius Princeps, quatenus S. Anti„ stes

(a) *Ibid. n.* 8. (b) *Ibid. n.* 9.
(c) *Ibid. n.* 10. (d) *Ibid. n.* 11.
(e) *Serm.* 283. *in append. Tom.* 5. *Oper. S. August. n.* 3. *&* 4. *p.* 472.
(f) *In Vita S. Cæsar. n.* 12.

„ ſtes ad priſtinam reverteretur Eccleſiam ; accuſatorem vero ejus „ præcepit lapidari. Jamque cum lapidibus populi concurrebant: „ ſed feſtinus aſſurgens interceſſione ſua vir ſanctus, non tam „ vindictæ ſuæ accuſatorem dari voluit, quam pœnitentiæ reſer- „ vari (*a*) “.

S. CÆSAR.

Concilium cogit ann. 506.

Anno 506. S. Cæſarius præfuit Concilio Agathenſi habito menſe Septembri, cui viginti tres interfuere Epiſcopi, quorum plerique Alarici imperio ſubjiciebantur: unde colligitur, permiſſu Ariani Principis fuiſſe coactum (*b*). Anno vero 507. Monaſterium ædificare eſt aggreſſus. Verum Arelatenſem urbem obſidentibus Francis, ac Burgundionibus, ab incepto coactus eſt ceſſare; nec perficere potuit citius anno 512. cujus regimen Cæſariæ ſorori ſuæ in monaſticæ vitæ inſtitutionibus ab ipſo Maſſiliæ edoctæ tradidit. Regulam etiam digeſſit, de qua ſuo loco (*c*).

Nova vexatur calumnia.

Contigit autem, ut, dum Burgundiones, & Franci Arelatenſem urbem obſidione vallarent, „ quidam Clericus civis, & conſanguineus ipſius, captivitatis timore perterritus, funiculo per murum ſe „ ſe in nocte ſubmittens, ultro afferretur obſidentibus inimicis. Quod „ ubi Gothi intrinſecus agnoverunt, irruunt in ſanctum virum, po- „ pularium ſeditione perſtrepente, & clamante, quod in traditionem „ Civitatis adverſariis perſonam compatrioticam noctu deſtinaſſet An- „ tiſtes. Extrahitur igitur a domo, atque in palatio arctiſſimæ cu- „ ſtodiæ mancipatur (*d*) “. At proditorum Judæorum detecta perfidia, qui hoſtibus urbem tradere moliebantur, e cuſtodia eductus S. Præſul libertati reſtituitur. Cum reperiſſet captivorum immenſitatem, qui Baſilicas replebant, & in grandi penuria, alimenta & veſtitum eis homo Dei ſtatim impertivit, expenſo argento, quod Eonius anteceſſor ſuus Eccleſiæ menſæ reliquerat, divenditis etiam pro captivorum redemptione thuribulis, calicibus, pateniſque; „ cuſtodiens illud, quod Dominus in arantino (1) paropſide tinxit „ panem, non in argenteo vaſe (*e*). Sed venit ordinator ipſius, „ & cœpit ipſum conteſtari, & dicere: captivi iſti vadant, quia „ ſi hodie conſuetudinarie ab Eccleſia paſti fuerint, craſtino, unde „ ad menſam tuam panes fiant, non habebis. Sed vir ſanctus „ cum alacritate, & fiducia dixit Maſſiano Presbytero: Vade in „ horreum, & ita ſcopa, ut ne quidquam granorum, ſi fieri pot- „ eſt, ibi remaneat, & fiant panes ſecundum conſuetudinem; & „ omnes ſimul manducemus; &, ſi craſtina non fuerit, quod man- „ ducetur, omnes jejunemus, dummodo hodie captivi, nobis ſeden- „ tibus, & bibentibus, non eant per plateas mendicare (*f*) “.

Tertio calumniam ſubit.

Verum tertio ab Arianis proditionis accuſatus fuit apud Theo-

Ve-

(a) *Ibid. n.* 13.
(b) *Concil. Tom.* 4. *pag.* 1381.
(c) *In Vit. n.* 15. 18. 32. 33. (d) *Ibid. n.* 15.
(1) Ideſt fragili, vel figulino.
(e) *Ibid. n.* 17. (f) *Lib.* 2. *n.* 6.

[redacted] S. CÆSAR.

doricum Italiæ Regem, cujus imperio tunc Arelatensis Civitas subjiciebatur. Hæc calumnia „ extrahi ab Arelato Antistitem facit, „ & in Italiam sub custodia, Ravennamque perduci. Adiit ergo „ palatium, Regem Theodoricum Christo duce salutaturus aggreditur. Ut vero Rex Dei hominem intrepidum, venerandumque „ conspexit, ad salutandum reverenter adsurgit; &, deposito ornatu de capite, clementer resalutavit, primum interrogans de „ labore ipsius, atque itinere, dehinc de Gothis suis, ac de Arelatensibus affectuose requirens. Egresso igitur viro sancto a conspectu Regis, suos alloquitur Rex dicens: Non parcat illis „ Deus, qui hujus innocentiæ virum, atque sanctitatis frustra fecerunt itinere tam longo vexari. Qualis sit ille, hinc probatur, „ quia, ingresso eo ad salutandum me, totus contremui. Video „ Angelicum vultum, video Apostolicum virum ".

Theodoricus S. Cæsarium veneratur.

„ Post hæc recepto in diversorio mittit Theodoricus, muneris „ loco pransuro argenteum discum, cujus pensa ad sexaginta libras „ circiter jungebatur solidis trecentis, rogante pariter, & dicente: „ Accipe, sancte Episcope; rogat filius vester Rex, ut vasculum „ istud muneris loco dignanter Beatitudo vestra percipiat, & in „ usum pro memoria sui habeat. Ille vero, qui in usum „ mensæ suæ argentum nunquam habuit præter cochlearia, die „ tertia per ministros suos apprehensum discum facit publice venumdari, ejusque pretio captivorum cœpit plurimos liberare. „ Quod ubi factum hujusmodi comperivit Theodoricus, tanta laude, & admiratione prætulit, ut observantes ejus Palatio Senatores, ac Proceres certatim omnes oblationis suæ mercedem per „ beati viri dexteram cuperent dispensari. Interea omnes captivos „ maxime Arausici Oppidi inventos in Italia redemit, ut potuit. „ Et ut eis libertas plenius redderetur, imposuit cum sumptu jumentis, & plaustris in via, suorumque solatio, & ordinatione „ fecit ad propria revocari (*a*) ".

Arausici Oppidi captivi redempti a S. Cæsario.

Mortuum ad vitam revocat.

Deus præterea Servi sui gloriam coram Ariano Rege est dignatus augere. Nam „ Ravennæ quædam vidua habebat filium adolescentem, qui subita infirmitate faciente jacebat exanimis. Mater ejus ad virum Dei festina percurrit, & prostrato corpore, „ oculisque rigantibus clamavit: Credo quia miseratio divina ideo „ huc te deduxit, sancte vir, ut filium redderes matri. Flebiliter „ deprecanti mulieri paululum recusavit; sed solita miseratione „ commotus, ut in omnibus refugeret vanitatem, ad tugurium ejus „ occulte, latenterque pervenit. Fusa itaque prece more solito „ prostratus Presbytero Massiano præcepit, ut cum adolescens ad „ se reverteretur, sibi protinus nuntiaret. Necdum hora completa, puer de mortis est tenebris revocatus, matremque alloquitur „ dicens: Vade, mater, ad servum Dei festinanter, & propera, „ cujus

(a) *Ibid. lib. I. n. 19.*

„ cujus orationibus tibi, vitæque sum redditus; & age gratias, S. CÆSAR.
„ quod meritis, virtutibusque suis Deus dedit effectum (*a*)". Quod miraculum eo magis admirati sunt Ariani, quod apud hæreticas sectas vera nunquam miracula fiant.

„ Post hæc Romam veniens, quo viri sancti fama pervolaverat, Romam petit.
„ Beato Symmacho Papæ, deinde Senatoribus, & Senatricibus præ-
„ sentatur. Et Pontifex meritorum ejus dignitate permotus, non
„ solum verissime eum Metropolitani honore suspexit, sed & con-
„ cesso specialiter Pallii (1) decoravit privilegio. Diaconos ipsius
„ ad Romanæ instar Ecclesiæ (2) Dalmaticarum fecit habitu præ-
„ eminere (*b*)". Nam tunc temporis Diaconi, immo & Episcopi nonnisi strictioribus utebantur tunicis. Omnia Pontifex etiam Ecclesiæ Arelatensis privilegia ab Episcopo Viennensi impugnata confirmavit; & jussit S. Cæsario, ut omnibus Ecclesiasticis negotiis in Galliis præesset, Episcopos, cum opus esset, ad Synodum convocaret, & ne Romam absque sui venia venirent. Ad propria reversus circa annum 514. suis virtutibus, & sermonibus proximorum saluti, & utilitati consulere nequaquam omisit. Synodum coegit anno 524. & aliis interfuit, nimirum Carpentoractensi anno 527. Arausicano, & Valentino 529. & Vasionensi secundo 7. Octobris die ejusdem anni habito. Interea ejus morbis invalescentibus, ita ut vivens cadaver potius, quam homo videretur, „ per
„ Spiritum imminere sibi transitus diem animadvertit, & sciscita-
„ tus, quam in proximo esset beatissimi Augustini depositionis dies,
„ cum

(a) *Ibid. n.* 20.

(1) Pallium vestis species Summis Pontificibus, Patriarchis, Primatibus, & Metropolitanis propria, est de candida lana contextum, habens circulum humeros constringentem, & duas lineas ab utraque parte, videlicet ante, & retro pendentes habet quatuor cruces purpureas. Cura conficiendorum, & conservandorum palliorum ad Subdiaconos Apostolicos pertinet, qui ex lana munda duorum agnorum in die festivitatis S. Agnetis, dum in Missa solemni cantatur Agnus Dei, oblatorum conficiunt. Ex his enim Agnis lana tondetur, ex qua Pallia hujusmodi contexuntur. Confecta vero per Subdiaconos portantur ad Basilicam Principis Apostolorum, & per Canonicos Basilicæ ponuntur super corpora Petri, & Pauli Apostolorum sub altari majori, ubi factis ex more vigiliis, illa per noctem dimittunt, deinde restituunt Subdiaconis, qui in loco honesto ea conservant. Sic Pallia describit Christophorus Marcellus, quem Ducangius Tom. 5. pag. 65. Auctorem appellat Cæremonialis Romani, cum non sit nisi Editor. Quis fuerit Pallii Auctor, ignoratur. Nonnulli tribuunt S. Lino, alii vero S. Sylvestro, innixi tamen falsæ Constantini donationi. Ante Pontificis Summi Marci tempora, qui Cathedram Petri tenuit anno 336. nulla Pallii in Scriptoribus mentio occurrit.

(2) Ex hoc loco apparet, Dalmaticarum vestium usum nondum in Ecclesia Gallicana ævo S. Cæsarii obtinuisse. Hinc privilegium habebatur, eis uti posse. Hinc sequenti sæculo Aregius Episcopus Vaperiensis hocce privilegium a S. Gregorio efflagitavit, obtinuitque. Hoc vestimenti genus ideo Dalmatica dicitur, quia ex Dalmatia Romam invectum fuit.

(b) *Ibid. n.* 22.

S. CÆSAR. „ cum imminere commemorationem ipsius didicisset: Confido, ait, „ quod meum transitum non longe Dominus divisurus est ab ipsius; „ quia ut ipsi nostis, quantum dilexi ejus catholicissimum sen- „ sum . . . Interea crescit, additurque animæ tractæ de hoc mun- „ do corporalis vitæ migratio (*a*) . . . Jubet ergo se Monaste- „ rio Virginum, quod ipse fundaverat, sella famulantium manu ge- „ stari, quasi consolaturus anxias, quibus suspicio transitus sui abs- „ tulerat somnum, & cibum oblivio. Psalmorum quoque sono „ lacrymis intercluso, mugitum pro cantico, & gemitum pro al- „ leluja reddebant . . . Alloquitur itaque primam, quasi more „ & dulcedine sua ultra ducentarum puellarum venerabilem Cæsa- „ riam Matrem (secundam scilicet hujus nominis, quæ priori Cæ- „ sariæ S. Cæsarii sorori successerat), & consolatur, atque ad „ palmam tendere supernæ vocationis hortatur, &, ut teneant re- „ gulam, quam ipse ante aliquos annos instituerat, monet (*b*)". Verum hæc dolorem potius auxere, quam minuerint ob carissimi Pastoris amissionem. „ Dat ergo eis orationem, & benedictionem „ vale ultimum dicens; illis rugientibus, ad Ecclesiam revertitur. „ Tertio vero die, idest 6. Kal. Septembris post S. Genesii fe- „ stum, & ante diem depositionis S. Augustini Antistitis, & post „ diem dedicationis Monasterii sui, cum jam vale dixisset pridie „ cunctis, imminente hora prima, inter manus, qui aderant, Pon- „ tificum, Presbyterorum, ac Diaconorum beatam animam lætus „ emisit ad Christum (*c*)".

S. Cæsarii Funebria. „ Sancti corporis vestimenta ita a diversis lamentantibus vel fide- „ libus populis pia violentia diripiebantur, ut assistentibus nobis „ Presbyteris, Ministrisque vix potuerit vel a suscipiendarum reli- „ quiarum patientia revocari. De quibus jugiter, Deo præstan- „ te, infirmorum curationes creberrime celebrantur . . . In ter- „ ris incredibilem luctum reliquit; quem luctum non solum boni, „ sed & si qui mali viderunt, simul participarunt. Nam quis in „ exequiis illis sanctus, vel extraneus propter lacrymas psalmum „ cecinit? Sed omnes omnino, boni, malive, justi & injusti, „ Christiani, vel Judæi accedentes, vel sequentes voces dabant: „ væ, væ, & quotidie amplius væ, quia non fuit dignus Mun- „ dus talem habere præconem, vel intercessorem. Sepultus ita- „ que est in Basilica S. Mariæ semper Virginis, quam ipse con- „ didit, ubi sacra Virginum corpora de Monasterio suo condun- „ tur (*d*)".

Testamentum S. Cæsarii. Testamentum per epistolam ad Abbatissam Cæsariam datam conscripsit, quo hæredes Monasterium, & Episcopum sui successorem instituit, quem sic alloquitur: „ Adjuro vos per Patrem, & „ Filium, & Spiritum Sanctum, & per tremendum diem Judicii, „ ne unquam apud vos prævaleat hostis antiquus, aut ancillas ve- „ stras

(a) *Ibid. n.* 35. (b) *Ibid. n.* 36.
(c) *Ibidem.* (d) *Ibid. n.* 37. *lib.* 2.

S. CÆSAR.

„ ſtras contriſtari acquieſcatis, aut aliquid illis auferri de iis, „ quæ poſſident, aut illis contulimus, permittatis . . . quia hoc, „ quod Epiſcopi agitur verbo, non ſolum auferri non debet, ve- „ rum etiam nec omnino poteſt; tum præcipue quia & hoc ipſum „ S. Papæ Urbicani ſuaſit auctoritas". Succeſſorem ſuum titulo Archiepiſcopi exornat; & hoc nomen primum in authentica charta legitur. Dein vero Moniales ſic alloquitur: „ Vos vero, „ filiolæ, per S. Trinitatem inſeparabilem adjuro, & per D. N. „ J. C. adventum adjuro, ut Pontificem, qui mihi indigno, or- „ dinante Deo, ſucceſſerit, digne omni affectu ut Dominum roge- „ tis, & ne per veſtram contriſtetis inobedientiam (*a*)". Ante obitum ſuum „ Clero, & Comitibus, ſeu civibus ſuis per „ epiſtolas ſuas Monaſterium ſuum, & Moniales commenda- „ vit, quatenus minime perferrent tempore poſt futuro laborem (*b*)".

Vita S. Cæſarii paulo poſt ejus obitum duobus libris conſcripta fuit. S. Cyprianus Tolonenſis Antiſtes auctor eſt primi libri, quem Abbatiſſæ Cæſariæ dedicavit: operam tamen ſuam contulere cum eo etiam Firminus, & Viventius. In calce autem libri ſic legitur: „ Rogamus vos, Sancti fratres Maſſiane Presbyter, & „ Stephane Diacone, quibus de illo multa comperta ſunt pro eo, „ quod ab adoleſcentia in obſequio ipſius fuiſtis, ut huic opu- „ ſculo veſtram collationem jungatis (*c*)". Hi itaque teſtes oculati alterum librum addiderunt, in quo plura narrant de S. Cæſario hic non omittenda, quippe quæ geſta, & virtutes S. Epiſcopi illuſtrant, & nonnullos veteris diſciplinæ mores exhibent.

Nonnulla additamenta ad vitam S. Cæſarii.

„ Cum ad oleum benedicendum competentibus diebus in Bapti- „ ſterio annis ſingulis veniret . . . parvuli illic pueri, vel puellæ „ a parentibus miſſi certatim currebant, exhibentes vaſcula cum „ aqua, alii cum oleo, ut eis benediceret (*d*)". Ex quo apparet, fideles aquam, & oleum benedictum domi aſſervare conſueviſſe. Cum vir Dei iter faciebat, Clerico cura erat baculum illius portare (*e*). „ Ad prandium, & ad cœnam menſæ ſuæ ſine ceſſa- „ tione quotidie legebatur, ut uterque interior, exteriorque homo „ ſatiatus refectione duplici lætaretur (*f*)". Epiſcopalem domum fœminas ingredi ulla de cauſa nunquam permiſit. „ Nun- „ quam in Eccleſia ſua Diaconum ordinavit ante tricesimum ætatis annum, & niſi quatuor vicibus in ordine libros Veteris Te- „ ſtamenti

(a) *Apud Bar. ad ann.* 508. *n.* 23. *Tom.* 9. *Ed. Lucenſ.* 1741.
(b) *In Vit. lib.* 2. *n.* 36.
(c) *Lib.* 1. *n.* 36.
(d) *Lib.* 2. *n.* 13.
(e) *Ibid. n.* 17.
(f) *Lib.* 1. *n.* 37.

S. CÆSAR.

„ ſtamenti legerit ante, & quatuor Novi (*a*) “. Statuit etiam regulariter, ut nubentibus ob reverentiam benedictionis, ante triduum conjunctionis eorum, eis benedictio in Baſilica daretur (*b*). Summe illi cordi erat, ne quis niſi accepta pœnitentia de hac vita migraret. „ Quandiu potuit, ſemper in Eccleſia prædicavit . . . „ & cum ipſe præ infirmitate jam non poſſet, per Diaconos hoc „ officium ſupplebat; homilias ſuas etiam in alias provincias „ mittebat, ut Sacerdotes quid in Eccleſiis ſuis noſſent, prædicare „ facerent (*c*) “.

De ſcriptis S. Cæſarii judicium.

In ſcriptis S. Cæſarii omnia oblectant, & placent: ſtylus facilis, ſimplex, nitidus: ſenſa ſublimia, & dilucide expoſita: rationes validæ, & moventes: exempla, & ſimilitudines aptæ, & ad captum audientium accommodatæ. Verba elegantiora minime venatur, nec figuris utitur exquiſitis; ſed nativa ſemper emicat eloquentia. Auctoritatibus Sacræ Scripturæ ſua ſemper dicta fulcit, & comprobat, in Scripturarum ſtudio diu verſatus. Addit aliquando Sanctorum Patrum tum Græcorum, tum Latinorum teſtimonia: illorum enim ſcripta diligenter evolverat; ſed præcipue S. Auguſtinum frequenter allegat, cujus diſcipulatu gloriabatur. Nec ſolum tanti Doctoris ſequitur dogmata, & doctrinas, ſed & ſenſa ipſa aliquando, imo & verba uſurpat; adeo ut non ſemel pene integros exſcribat Auguſtini ſermones, addito ſolum brevi exordio in initio, & peroratione in fine: at ſolum neceſſitate cogente, videlicet vel anguſtia temporis coarctatus, vel adverſa valetudine præpeditus hac utebatur libertate (*d*).

Editiones Operum S. Cæſarii.

S. Cæſarii homiliæ diutius cum ſermonibus SS. Auguſtini, & Ambroſii immixtæ fuerunt, ſed tandem ſeorſum collectæ habentur Tom. 5. Oper. S. Auguſtini Edit. Pariſ. anni 1683. & Antuerpienſis, vel Amſtelodamenſis anni 1700. nec non Venetæ anni 1731. In hac Collectione centum & duæ habentur S. Cæſarii homiliæ, connumeratis etiam quatuordecim illis a Balutio Pariſiis editis anno 1669. Superſunt etiam nonnulli ſermones, aut epiſtolæ ad Moniales, & Monachos, & ejus Teſtamentum.

AR-

(a) *Ibid. n.* 32.
(b) *Ibid. n.* 34.
(c) *Ibid. n.* 33.
(d) *Ceillierius*.

ARTICULUS SECUNDUS.

Analysis Operum S. Cæsarii.

UBI ad Episcopalem Sedem evectus fuit S. Cæsarius, Apostolorum imitatus exempla, curam omnem, & solicitudinem temporalium rerum a se procul abjecit, & Diaconis, ac Œconomis demandavit, ut totus Divini Verbi prædicationi vacaret. Tanto animi ardore in hoc munus incumbebat, ut non satis arbitrans in matutinis, & vespertinis collectis sermones habere, plures etiam elucubrabat sermones, quos postea ad Episcopos dono verbi minus pollentes mittebat ab eis recitandos. Nullus est itaque ambigendi locus, plurimos ab eo & recitatos, & elucubratos sermones, quorum etsi plures nobis adhuc supersint, plerique tamen vel deperditi sunt, vel aliis adscribuntur Auctoribus. In Bibliotheca Patrum quadraginta habentur sub ejus nomine, ac centum & duo in Appendice Tom. 5. Operum S. Augustini, ejusdem sermones collecti leguntur.

Primus itaque sermo est de vocatione Abrahæ. Ubi primo loco observat: „Omnia, quæ in veteri Testamento conscripta sunt, „novi Testamenti typum, & imaginem prætulerunt (*a*)". Hinc subdit: „Quod corporaliter in Abraham legimus factum, spiritaliter in nobis videmus impletum . . . Terra nostra, caro nostra est. Bene de terra nostra egredimur, quando carnales consuetudines deferentes Christi vestigiis inhæremus . . . Vere feliciter de terra sua egreditur, qui pro Dei amore taliter commutatur". In secundo sermone (*b*) explicans præceptum Domini Abrahæ impositum de offerendis vacca trienne, capra trima, & ariete annorum trium, observat: „Omnes gentes, quæ in Christum credunt, & crediture sunt, filii sunt Abrahæ imitando fidem, non nascendo per carnem". Observat etiam: „Quoties „Sacerdos dixerit: *Sursum corda*, plures securi, & fideliter dicunt, se habere ad Deum; quod valde pauci, & rari in Ecclesia fiducialiter, & cum veracitate dicere possunt". In tertio sermone agit de Matrimonio Isaac cum Rebecca, quod typum ostendit fuisse conjunctionis Christi cum Ecclesia (*c*). In quarto vero sermone de conceptu Rebeccæ loquens scribit: „Sicut duo „parvuli in utero Rebeccæ collidebantur, sic & in utero Ecclesiæ, duo sibi populi jugiter adversantur. Si enim aut soli mali, aut soli boni essent, unus populus esset; quia vero in Ecclesia & boni inveniuntur, & mali, tamquam in ventre spiri- „talis

Notanda in Sermonibus S. Cæsarii.

(a) *In append. Tom. 5. Oper. S. August. pag. 6. Serm. 2.*
(b) 4. *in ord. pag. 9.*
(c) 8. *in ord. pag. 16.*

S. CÆSAR. „ talis Rebeccæ duo populi colliduntur, humiles scilicet, & superbi, casti, & adulteri, mansueti, & iracundi, benigni, & invidi, misericordes & cupidi. Boni enim volunt lucrari malos; mali vero extinguere cupiunt bonos (*a*)". Impletum observat vaticinium illud: *Major serviet minori*, non in ipsis parvulis Esau, & Jacob: „ Non enim corporaliter beato Jacob Esau serviisse Scriptura commemorat . . . Sed major, & senior populus Judæorum juniori, ideſt populo Christiano servire probatur, dum per totum Mundum libros divinæ Legis ad instructionem omnium Gentium portare cognoscitur. Ideo enim per omnem terram Judæi dispersi sunt, ut cum aliquem Paganum ad fidem Christi invitare voluerimus, & ab omnibus Prophetis ipsum Christum esse annunciatum testamur; & ille resistens dixerit, a nobis potius, quam a Spiritu Sancto Libros divinæ Legis esse conscriptos, nos habeamus, unde eum redarguere certa ratione possimus dicentes ei: Si de meis Libris tibi dubitatio nascitur, ecce Judæorum libros utique inimicorum nostrorum (quos certum est, quod ego conscribere, vel immutare non potui) ipsos relege, & cum in ipsis inveneris, quod in meis, noli esse incredulus, sed fidelis (*b*)". In calce vero sermonis populum hortatur, ut maxime Quadragesimali tempore, „ relictis vitiorum sordibus, ad virtutum ornamenta redire festinet . . . ut ad vigilias maturius surgere studeat; ad Tertiam, ad Sextam, ad Nonam fideliter veniat. Castitatem ante omnia per totam Quadragesimam & usque ad finem Paschæ etiam cum propriis uxoribus custodiat. Quod pransurus erat, pauperibus eroget. Pacem & ipse habeat; & quos discordes agnoverit, ad concordiam revocet. Peregrinos excipiat; nec eum pigeat eorum pedes abluere. Non erubescat exercere Christianus, quod implere dignatus est Christus. Cum bona voluntate pauperibus secundum vires suas eleemosynas eroget . . . . Lectioni, vel orationi insistat, . . . ut cum sancta solemnitas Paschalis advenerit . . . mundo corde, & casto corpore ad Altare Domini possit accedere, & Corpus, & Sanguinem ejus non ad judicium mereatur accipere (*c*)". In quinto, & sexto sermone (*d*) de Patriarcha Jacob disserit, & observat, „ Patriarchas ad puteos, vel fontes convenisse sibi destinatas sponsas; quia Christus ad aquas Baptismi inventurus erat Ecclesiam, quam ab omni prius iniquitate vel discordia liberaret, & sic pacem cum Deo mereretur habere (*e*)". In tribus, qui sequuntur, sermonibus (*f*) comparationem instituit inter Patriarcham Joseph, & Christum, cujus ille

(a) *Ibid. n.* 2. (b) *Ibid. n.* 3.
(c) *Ibid. n.* 5.
(d) *in ord.* 11. & 12. *pag.* 22.
(e) *Serm.* 11. *n.* 1. *pag.* 25.
(f) *Serm.* 13. 15. 16.

ille typus fuit; & observat, quod „ in diversis translationibus non „ æquali pretio Joseph dicitur venumdatus; sed alii dixerunt vigin- „ ti argenteis, alii triginta. Hoc spiritualiter significatur, quod „ Christus non æqualiter ab omnibus credendus, vel diligendus es- „ set (*a*)". S. CÆSAR.

In Decimo sermone (*b*), qui habitus fuit diebus Paschati proximis, de Judæorum injusta oppressione per Pharaonem, & Ægyptios concionatur, & observat, „ quod Diabolus non perse- „ quitur nisi bonos. Malos enim persequi ... Diabolus non con- „ suevit; cum sint sui, & semper voluntatem ejus faciant ..... „ sed per illos bonos persequitur ... Habet ergo Deus ministros „ suos; habet & Diabolus adjutores suos. Deus enim per homi- „ nes bonos tamquam per ministros suos agit omne, quod bonum „ est: Diabolus vero per homines malos velut per Satellites suos „ exercet omne, quod malum est (*c*)". Sequuntur duo sermones (*d*) de Moyse; in quorum altero observat, quod „ in Eccle- „ sia Catholica defuncti, idest, Christi nomine omnes qui nati „ fuere, appellantur Christiani. In hæreticis vero alii Donatistæ, „ alii Manichæi, alii Ariani, alii Photiniani dicuntur (*e*)". In sermone decimo tertio (*f*) exponens illa Scripturæ verba: *Induravit Deus cor Pharaonis*, hanc sibi opponit quæstionem: „ Dicunt „ aliqui ... cur iniquitas illa Pharaoni imputatur, cum Domi- „ nus cor illius indurasse referatur"? Respondet vero, prænotando primum, „ Deum nunquam deserere hominem, nisi prius ab „ homine deseratur ... & quod de multitudine peccatorum nasci- „ tur desperatio, & ex desperatione obduratio generatur". Induravit itaque Deus cor Pharaonis eum deserendo, ne ad se converteretur. „ Cum ergo dixit Deus: *Ego indurabo cor Pharaonis*, quid „ aliud est, nisi cum ab illo ablata fuerit gratia mea, obdurabit „ illum nequitia sua"? Quod apta declarat similitudine, subdens: „ Sicut enim quoties nimio frigore aqua constringitur, solis calore „ superveniente resolvitur, & discedente eodem Sole iterum obdu- „ ratur; ita nimirum peccatorum frigore refrigescit charitas mul- „ torum, & veloti glacies obdurantur, & cum eis iterum calor „ divinæ misericordiæ supervenerit, resolvuntur; ille utique calor, „ de quo scriptum est: *Non est qui se abscondat a calore e- „ jus* (*g*)".

Habentur etiam S. Cæsarii quatuor sermones de Elisæo (*h*). In primo quidem observat, „ quod Elisæus, imo Sanctus Spiritus

R 2 „ per

(a) *Serm.* 13. *n.* 2. *pag.* 27.
(b) *In ord.* 17. *pag.* 35.
(c) *Serm.* 17. *n.* 2. *pag.* 35.
(d) *In ord.* 18. & 19. *pag.* 38.
(e) *Serm.* 19. *n.* 5. *pag.* 40.
(f) *In ord.* 22. *pag.* 45.
(g) *Serm.* 22. *n.* 4. *pag.* 46.
(h) *In ord.* 41. 42. 43. 44. 45. *pag.* 80. & *seq.*

S. CÆSAR

„ per beatum Elisæum, volens reprimere superbiam Judæorum „ (qui Prophetas in grandi contemptu, & opprobrio habebant) „ fecit venire duos ursos, & laceraverunt quadraginta duos pueros; „ ut, percussis parvulis, majores reciperent disciplinam, & mors „ filiorum fieret disciplina parentum; & Prophetam, quem mirabilia „ facientem nolebant amare, discerent vel timere (*a*). " In vigesimo quinto sermone (*b*) exponens illa verba Christi Domini: *Nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua*, scribit: „ Quia „ Christus eleemosynam & occulte fieri dixit, & publice ipse ad„ monuit, ut sibi præcepta ejus non videantur esse contraria, in„ tellectum sobrium quærit. Qui enim ideo facit eleemosynam, „ ut ab hominibus se laudari desideret, etiamsi occulte fecerit, pu„ blice facit, quia laudem ab hominibus quærit. Qui vero elee„ mosynam pro solo amore Dei facit .... etiamsi publice faciat „ eleemosynam, absconse facit (*c*) ". Pari pacto & illa verba: *Intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito*, interpretatur scribens: „ Nos ipsi, & totus populus „ non solum in cubiculis nostris oramus, sed etiam publice ad Ec„ clesiam convenimus, & simul cum omni populo genua flectimus. „ Et numquid hæc facientes, præceptis Christi contrarii sumus?.. „ Non ita est. Unde etiam & iste sensus superiori sententiæ con„ veniens est ... Si temporalia quæris; publice & aperto ostio „ oras: si æterna quæris, secreta est oratio tua (*d*) ". In vigesimo sexto sermone (*e*) præceptum Domini explicat jubentis: *Nolite judicare, & non judicabimini*; & sic docet: „ In conversatio„ ne humana sunt aliqua, quæ rationabiliter reprehenduntur: sunt „ vero quædam, quæ non sine peccato judicantur. Aperta mala „ & judicari, & argui debent; illa vero, quæ aut ignoramus, „ aut, utrum bono, ac malo animo fiant, scire non possumus, „ judicare penitus non debemus ... Vidisti aliquem, indicto pu„ blico jejunio, velle prandere, cum dilectione admone. Si dixe„ rit, se pro stomachi lassitudine jejunare non posse, crede, & „ noli judicare (*f*) ". In vigesimo nono sermone (*g*) tractat de duabus viis, altera ad cælum, altera ad Infernum; & scribit: „ Ecce expectat nos Christus in cælo cum Angelis suis .... nec „ solum nos Christus expectat, sed etiam adjuvat. Nolite time„ re ... Sævit quidem diabolus; sed consolationem porriget Chri„ stus ... Diabolus promittit falsam dulcedinem: Christus veram „ beatitudinem (*h*) ".

In sermone trigesimo (*i*) scribit: „ Virgines, quæ integritatem „ corporis, Deo auxiliante, custodiunt, totis viribus cum Dei ad„ juto-

(a) *Serm. 41. n. 1. pag. 80.*
(b) *In ord. 63. pag. 114.* (c) *Ibid. n. 1.*
(d) *Ibid. n. 3. pag. 115.* (e) *In ord. 66. pag. 120.*
(f) *Ibid. n. 1.* (g) *In ord. 69. pag. 125.*
(h) *Ibid. n. 4. pag. 126.* (i) *In ord. 76. pag. 139.*

S. CÆSAR.

„ jutorio laborare contendant, verbositatem fugere, detractionem, „ vel murmurationem veluti diaboli venena respuere, invidiæ, su- „ perbiæque morbum . . . pertimescere, obedientiam humiliter cu- „ stodire . . . lectioni, & orationi insistere . . . . ad vigilias cum „ omni alacritate consurgere sive in oratorio, sive in alio quolibet „ loco . . . Si tristem viderint, consolentur; si inobedientem a- „ gnoverint, castigare non cessent (*a*)". In duobus, qui sequuntur, sermonibus 31. & 32. (*b*) exponit verba Christi Domini ad Electos in die Judicii: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis Regnum &c.* nec non alia ad reprobos: *Ite in ignem æternum*; & observat, verba Christi Domini clarissime ostendere, „ quia Regnum Cælorum nobis prædestinatum est; gehenna autem „ non nobis, sed Diabolo præparata est (*c*)". Animadvertit, sententia illa reprobationis & Paganos, & Hæreticos comprehendi; sed tamen subdit: „ Ad judicium non veniunt nec Pagani, nec „ Hæretici, nec Judæi; quia de ipsis scriptum est: *Qui non cre-* „ *dit, jam judicatus est* (*d*)". Addit tamen: „ Nihil prodest, „ quod aliquis Christianus vocetur ex nomine, si hoc non ostendit „ in opere. Scriptum est enim: *Fides sine operibus mortua est* „ (*e*)". In serm. 33. (*f*) sic scribit: „ Justitia vera, & per- „ fecta ipsa est, quæ non facit aliis, quod sibi non vult . . . quæ „ omnibus, quod sibi vult, optat . . . . quæ pro amore Dei non „ solum amicos, sed etiam ipsos diligit inimicos (*g*)". Addit, quod „ illa non est dicenda pax, quæ de radice charitatis non con- „ surgit (*h*)". In duobus, qui sequuntur, sermonibus 34. & 35. (*i*) tractans de miraculo conversionis aquæ in vinum in Nuptiis Canæ Galilææ scribit: „ Quæ potest Deus majora exercere „ miracula, quam quando hominem vermem, & putredinem di- „ gnatur in statum Angelicum promovere, de terrenis in cælesti- „ bus collocare, & in gratiam suæ adoptionis assumere (*k*)". Exponit serm. 37. (*l*) verba Apostoli: *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id, quod positum est, quod est Christus Jesus*; & sic Fideles instruit: „ Multi credunt, quod si supra fundamen- „ tum Christi capitalia crimina ædificent, peccata ipsa per ignem „ transitorium possint purgari; & ipsi postea ad vitam æternam „ pervenire. Intellectus iste corrigendus est . . . Illo enim transi- „ torio igne, de quo dixit Apostolus: *Ipse autem salvus erit sic* „ *tamen quasi per ignem*, non capitalia, sed minuta peccata pur- „ gantur (*m*)". Capitalia vero peccata hæc enumerat: „ sacri- „ legium, homicidium, adulterium, falsum testimonium, furtum, „ rapi-

(a) *Ibid. n.* 4. (b) *In ord.* 77. & 78. *pag.* 140.
(c) *Ibid. Serm.* 77. *n.* 2. *pag.* 141. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *Ibid. n.* 6. *pag.* 142. (f) *In ord.* 89. *pag.* 158.
(g) *Ibid. n.* 2. *pag.* 159. (h) *Ibid. n.* 4.
(i) *In ord.* 90. 91. *pag.* 161. (k) *Serm.* 90. *n.* 5. *pag.* 162.
(l) *In ord.* 104. (m) *Ibid. n.* 1.

S. CÆSAR. „ rapina, superbia, invidia, avaritia, &, si longo tempore teneatur, iracundia, & ebrietas, si assidua sit". De quibus peccatis subdit: „ Quicumque aliqua de illis peccatis in se dominari „ cognoverit, nisi digne se emendaverit, & longo tempore poenitentiam egerit, & largas eleemosynas erogaverit, . . . illo transitorio igne . . . purgari non poterit: sed æterna illum flamma „ sine ullo remedio cruciabit (*a*)". Inter minuta vero peccata recenset: „ Si quis in cibo, aut in potu plus accipiat, quam necesse sit . . . . Si quis plus loquatur, quam oportet . . . . Si „ quis pauperem importune petentem exasperet . . . Si quis corpore sanus, aliis jejunantibus, prandere voluerit; aut somno deditus tardius ad Ecclesiam surgit. Si quis, excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit. Si quis in carcere clausos, „ & in vinculis positos tardius requisierit; si infirmos tardius visitaverit. Si quis discordes ad concordiam revocare neglexerit ... „ Si quis in Ecclesia, aut extra Ecclesiam fabulis otiosis . . . se „ occupaverit . . . & his similia, quæ enumerari vix possunt, & „ a quibus non solum populus Christianus, sed etiam nullus Sanctorum immunis esse potuit aliquando (*b*)". De his autem peccatis sic scribit: „ Ideo continuis eleemosynis, & frequentibus jejuniis, „ & largioribus eleemosynis, & præcipue per indulgentiam eorum, „ qui in nos peccant, assidue redimantur, ne forte simul collecta „ cumulum faciant, & demergant animam. Quidquid enim de i„ stis peccatis a nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo dixit Apostolus: *Quoniam in igne revelabitur*; „ *& si cujus opus arserit, detrimentum patietur* (*c*)". Illos vero, qui dicunt: „ Non pertinet ad me, quamdiu moras habeam, si tamen ad vitam æternam pervenero, sic reprehendit: „ Nemo „ hoc dicat . . . quia ille purgatorius ignis durior erit, quam „ quidquid potest in hoc sæculo poenarum aut cogitari, aut videri, aut sentiri (*d*)". Minuta vero peccata sic redimenda docet: „ Si infirmos visitamus, in carcere clausos requirimus, discordes ad concordiam revocamus, indicta in Ecclesia jejunia jejunamus, pedes hospitibus abluimus, ad vigilias frequenter convenimus (*e*). At pro capitalibus criminibus (subdit) non hoc „ solum sufficit, sed addendæ sunt lacrymæ, rugitus, & gemitus, „ continuata, & longo tempore protracta jejunia, largiores eleemosynæ erogandæ, ultro nos ipsos a communione Ecclesiæ removentes, in luctu, & tristitia multo tempore permanentes, & „ poenitentiam etiam publice agentes (*f*)".

Sermonibus de Adventu Domini 41. & 42. (*g*) Fideles hortatur S. Cæsarius, ut ad celebrandum Natale Domini, & ad communi-

(a) *Ibid. n.* 2. (b) *Ibid. n.* 3.
(c) *Ibid. n.* 4. (d) *Ibid. n.* 5.
(e) *Ibid. n.* 6. (f) *Ibid. n.* 7.
(g) *In ord.* 115. & 116. *pag.* 209.

S. Cæsar.

municandum Corpori Christi se præparent, atque disponant. Sic itaque scribit: „ Si te Rex terrenus . . . ad suum Natalitium in-„ vitaret; qualibus vestimentis studeres ornatus incedere, quam no-„ vis, ac nitidis? . . . Tali ergo studio . . . Christo auxiliante, „ contende, ut diversis virtutum ornamentis anima tua composi-„ ta . . . ad Natalem Domini Salvatoris cum secura conscientia „ procedat (*a*) “. Addit: „ Quotiescumque dies natalis Domini, „ aut reliquæ festivitates adveniunt . . . a propriis uxoribus absti-„ nere . . . peccata præterita per eleemosynam, & pœnitentiam „ redimantur (*b*). Et si in his solemnitatibus ad convivia rogan-„ di sunt & parentes, & vicini, tam parca, & sobria, vel hone-„ sta tamen illis debent convivia præparari, ut remaneat, unde „ pauperes refici possint, unde possit aliquid indigentibus erogari „ (*c*) “. In serm. 44. de Epiphania (*d*) fidelem populum de dispositionibus instruit ad eam digne celebrandam prærequisitis. Tres sequuntur de Quadragesima sermones (*e*). In primo sic scribit: „ Rogo vos, ad vigilias maturius surgite; ad tertiam, ad „ sextam, ad nonam ante omnia convenite . . . nisi infirmitas, „ aut publica utilitas, aut forte certa, & grandis necessitas teneat „ occupatos. Non solum vobis sufficiat, quod in Ecclesia divinas „ lectiones auditis, sed etiam in domibus vestris aut ipsi legite, „ aut alios legentes requirite, & libenter audite (*f*) . . . In istis „ quadraginta diebus quasi totius anni cibaria animæ vestræ jeju-„ nando, legendo, vel orando providere debemus (*g*) . . . Rogo „ etiam, ut occupationes sæculi hujus in istis diebus sanctæ Qua-„ dragesimæ, si non potestis abscindere, studeatis vel ex parte ali-„ qua temperare, ut subtrahatis aliquas horas occupationi terrenæ, „ in quibus Deo vacare possitis (*h*) “. In altero vero sermone scribit: „ Tempus, quod nobis furiosus tabulæ ludus solebat au-„ ferre, lectio divina incipiat occupare (*i*) . . . . In diebus jeju-„ niorum, quod solebamus prandere, pauperibus erogemus; ne for-„ te aliquis sub sumptuosas cœnas, & exquisitis saporibus epulas „ studeat præparare, & corpori suo magis commutasse, quam sub-„ traxisse ciborum abundantiam videatur (*k*) “. In tertio vero sermone hæc habet: „ Sic jejunemus, ut prandia nostra pauperi-„ bus erogentur, ut quod pransuri eramus, non in nostris sacculis, „ sed in visceribus pauperum reponamus: quia manus pauperum „ gazophylacium est Christi; qui, quod accipit, ne in terra pe-„ reat, in Cælo reponit (*l*) “. Pauperes vero, qui non habent,

(a) *Serm.* 115. *n.* 3. (b) *Serm.* 116. *n.* 3.
(c) *Ibid. n.* 5. (d) *In ord.* 139. *pag.* 248.
(e) *In ord.* 140. 141. 142. *pag.* 248. & *seq.*
(f) *Serm.* 140. *n.* 2.
(g) *Ibid. n.* 4. (h) *Ibid. n.* 5.
(i) *Serm.* 141. *n.* 3. (k) *Ibid. n.* 4.
(l) *Serm.* 142. *n.* 6.

S. CÆSAR. quod erogent, consolatur dicens, quod illis sufficit voluntas bona (*a*).

Ex sermonibus de Litaniis Rogationum (*b*) apparet, eam consuetudinem jam in tota Ecclesia S. Cæsarii ævo obtinuisse; & illi dies, ut ipse dicit, „ habebantur ceu sancti, & spirituales, & a-„ nimabus nostris medicinales (*c*) “. Sic autem celebrabantur: „ Nemo in istis tribus diebus aut sanguinem tollat, aut potionem „ accipiat; nisi forte hoc infirmitas nimium periculosa compellat. „ Conviviola etiam nobis quadragesimali ordine præparemus, & „ magis legendo, psallendo, vel orando animabus nostris spiritales „ epulas requiramus (*d*) “. In Ecclesia conventus habebantur, a quibus se subtrahere nemini licebat (*e*). Quinque, qui sequuntur, sermones (*f*) bini sunt de Martyribus, unus de festo Virginum, & duo in Dedicatione Ecclesiæ, vel Altaris consecratione. Docet itaque S. Cæsarius, quod „ Beatitudo hic parari potest, „ possideri non potest (*g*) . . . Et non solum Martyres, sed et-„ iam ipsum Dominum cum ipsius adjutorio, si volumus, possu-„ mus imitari . . . ut mites simus, & humiles corde, & inimicos „ nostros totis viribus diligamus (*h*) . . . Potest mihi aliquis di-„ cere, non possum jejunare, non possum vigilare; numquid pot-„ est dicere, non possum amare? . . . Si dixeris, quia non possis „ a vino, vel a carnibus abstinere; credimus tibi. Si autem di-„ xeris, quod non possis in te peccantibus indulgere, omnino non „ credimus (*i*) “. Ad Eucharistiam sumendam „ omnes viri, „ quando accessuri sunt, lavant manus suas; & omnes mulieres ni-„ tida exhibent linteamina, ubi Corpus Christi accipiant (*k*) “.

Sermo 54. (*l*) est de Symbolo, & bonorum operum necessitate. Exorditur sermonem suum eadem phrasi, & pene ipsis verbis, quibus constat Symbolum, quod D. tribuitur Athanasio. Duas aperte distinguit in Christo naturas, dicens; „ quod æqualis est „ Patri secundum divinitatem; & minor est Patre secundum huma-„ nitatem ... quam de Virgine sumpsit, quæ virgo ante partum, „ & virgo post partum semper fuit, & absque contagione, vel „ macula peccati perduravit “. De Spiritu Sancto vero credendum proponit, quod *ab utroque procedat* (*m*). Ex serm. 57. (*n*) apparet, non parva animositate disputasse fideles; „ utrum omnis „ homo in infirmitate positus, si pœnitentiam accipit, & statim „ defunctus fuerit, ad plenam possit indulgentiam pervenire “? Quam quæstionem priusquam resolvat, præmittit, quod „ non incongrue

(a) *Ibid. n.* 2. (b) *In ord.* 173. 174. *pag.* 297.
(c) *Serm.* 173. *n.* 1. (d) *Ibid. n.* 3.
(e) *Serm.* 174. *n.* 3.
(f) *In ord.* 224. 225. 228. 229. 230. *pag.* 369. *& seq.*
(g) *Serm.* 224. *n.* 2. (h) *Serm.* 225. *n.* 2.
(i) *Ibid. n.* 3. (k) *Serm.* 229. *n.* 5. *pag.* 376.
(l) *In ord.* 244. *pag.* 399. (m) *Ibid. n.* 1.
(n) *In ord.* 256. *pag.* 419.

S. CÆSAR.

„ congrue poteſt credi, tribus modis ad iſtam ſubitaneam pœniten-
„ tiam perveniri. Primus, & præcipuus modus eſt, ut Chriſtia-
„ nus crimina capitalia non admittat, aut ſi forte admiſerit, ſic
„ pro illis pœniteat, & ea bonis operibus diluat .... & minuta
„ peccata, quæ quotidie ſubrepunt, redimat ... Qui hæc fideli-
„ ter implere voluerit, etiamſi pœnitentiam non accipiat ... be-
„ ne hinc exiet; quia ſemper illam fructuoſe, & fideliter egit
„ (*a*) ... Secundus modus eſt ... ut etiamſi aliquis, quamdiu
„ vixerit, non ſolum parva, ſed etiam forte capitalia committat
„ peccata; & tamen mala ipſa ignoretur qua ſpe pœnitentiæ a-
„ gat, nec ideo animam ſuam ad peccata relaxet, ut ad illam ſu-
„ bitaneam pœnitentiam ſe reſervet; & in tranſitu ſuo cum gran-
„ di humilitate ... cum rugitu, vel gemitu ipſam pœnitentiam
„ petat; & hoc definitiſſime in corde ſuo deliberet, ut, ſi evaſe-
„ rit, & quandiu vixerit, toto corde, & totis viribus fructuoſam
„ pœnitentiam agat ... ſi hæc fideliter humili, & contrito corde
„ implere voluerit, & poſſumus, & debemus credere, quod ei
„ Dominus omnia dignetur peccata dimittere ſecundum illud pro-
„ pheticum: *Peccator in quacumque die converſus fuerit, omnes*
„ *iniquitates ejus oblivioni tradentur* (*b*) .... Tertius modus
„ eſt ... ſi aliquis ſemper male vivens, in exitu vitæ ſe reſervet
„ ad pœnitentiam, & ea ſpe peccat, ut per ipſam ſubitaneam pœ-
„ nitentiam & cuncta conjuncta exiſtimet peccata dimitti, & tamen
„ poſtquam eam acceperit, & illud, quod male rapuit, nec in
„ ſimplo reddat, nec inimicis ſuis toto corde indulgeat, nec in
„ corde ſuo deliberet, ut, ſi evaſerit, quandiu vivit, cum grandi
„ compunctione, & humilitate pœnitentiam agat", profecto de
hoc timendum, ne in numero illorum ſit, qui audient: *Ite in i-
gnem æternum*. „ Qui talis eſt, ſi a me pœnitentiam petierit...
„ pœnitentiam illi dare poſſum; integram ſecuritatem dare non
„ poſſum: Deus tamen, qui omnium conſcientias novit ... ipſe
„ ſcit, qua fide, aut qua intentione animi pœnitentiam petiit
„ (*c*)". Sic vero ſerm. 59. peccatores ad ſperandum allicit
(*d*): „ Sed forte cogitat aliquis tam gravia ſe admiſiſſe peccata,
„ ut jam Dei miſericordiam promereri non poſſit. Abſit hoc a
„ ſenſibus omnium peccatorum. O homo, quicumque ille es,
„ peccatorum multitudinem attendis; & omnipotentiam cæleſtis
„ Medici non attendis (*e*)". Affert exempla David, Manaſſis,
& Magdalenæ peccatricis, qui poſt multa, & gravia crimina pœ-
nitentiam agentes, Dei in ſe miſericordiam provocarunt. Addit
etiam: „ Si Achab in illa humilitate, qua cœperat, perduraſſet,
„ nunquam ab illo Dei miſericordia diſceſſiſſet (*f*)". Illos vero,
qui leviora crimina non evitant, ſed in illis immorari non refu-
giunt,

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Ibid. n.* 2.
(c) *Ibid. n.* 3. (d) *In ord.* 258.
(e) *Ibid. n.* 2. (f) *Ibid. n.* 3.

S. Cæsar.

giunt, sic reprehendit: „ Quis est, qui equos suos super stercora „ sua semper stare permittat? Rogo vos, de minimis magna con- „ jicite . . . & quomodo scopis mundamus domum nostram, ut „ placeat oculis amicorum nostrorum; ita cum Dei adjutorio ab „ omnibus peccatis mundemus animam, ut non displiceat oculis „ Angelorum (*a*) “. In hisce similitudinibus frequens est S. Cæsarius, utpote ad plebem edocendam accommodatissimis. Hinc pari modo sic eos ad pœnitentiam hortatur scribens: „ Qui se cognoscit „ de littore continentiæ, tempestate libidinis, in pelagum luxuriæ „ fuisse jactatum . . . peccatorum confessionem velut tabulam fra- „ ctæ navis velociter apprehendat, ut per ipsam de abysso, ac „ profundo luxuriæ possit evadere . . . . Non sanitati credendum, „ non ætati. In remedium salutis suæ semper tardus est, qui vi- „ tæ suæ incertus est (*b*) “. Vigebat adhuc S. Cæsarii ævo mos publicæ pœnitentiæ in utroque sexu. Publici vero pœnitentes peccata sua palam confitebantur. Unde scribit: „ Quis non gratule- „ tur, & gaudeat, & quantas potest Deo gratias agat, videns „ peccatorem contra peccata sua irascentem, publica voce claman- „ tem, ut quæ solebat impudentissima fronte defendere, salubriter „ incipiat accusare (*c*) “? Accedebant vero pœnitentes ad Sacerdotem cilicio cooperti. „ Quia cilicium (inquit S. Præsul) de „ pilis caprarum texitur . . . ille, qui pœnitentiam accipit, non „ se agnum, sed hœdum publice profitetur (*d*) “. Et subdit: „ Ille quidem, qui pœnitentiam publice accipit, poterat eam se- „ cretius agere: sed credo, considerans multitudinem peccatorum „ suorum, videt se contra tam gravia mala solum non posse suffi- „ cere; ideo adjutorium totius populi cupit expetere (*e*). Qui „ accipit pœnitentiam coopertus cilicio, foras ejicitur. Ideo enim „ se excommunicari rogat, quia ad percipiendam Eucharistiam Do- „ mini se indignum esse judicat. Et propterea aliquandiu se ab „ isto Altari alienum vult fieri, ut ad illud Altare, quod in cælo „ est, mereatur cum secura conscientia pervenire. Propterea se a „ communione Corporis, & Sanguinis Christi quasi reum, & im- „ pium cum grandi reverentia vult removeri, ut per ipsam humi- „ litatem tandem aliquando ad communionem mereatur Sacramenti „ Altaris accedere (*f*) “. Pœnitentiæ tempore a vino abstinere debebant, & etiam post reconciliationem: „ Pœnitens ubicumque „ aut in suo, aut in alieno convivio olera, aut legumina, aut „ pisciculos invenire potest, aliam carnem non debet accipere „ (*g*) “. Publicæ pœnitentiæ obnoxia crimina hæc recenset S. Cæsarius: „ Si fidem suam falso testimonio prodidit, aut sacrum „ veri-

(a) *Serm. 60. in ord. 259. n. 2. pag. 425.*
(b) *Serm. 61. in ord. 260. n. 1. & 2. pag. 426.*
(c) *Serm. 62. in ord. 261. n. 1. pag. 427.*
(d) *Ibidem.* (e) *Ibidem.*
(f) *Ibid. n. 2.* (g) *Ibid. n. 4.*

„ veritatis nomen perjurii temeritate violavit: Si veram Baptismi „ tunicam, & speciosam virginitatis holosericam cœno commacula- „ ti pudoris infecit: Si hominem . . . occidit: Si per Augures, & „ Divinos . . . captivum se Diabolo tradidit (*a*)". Cum „ nonnulli putarent sufficere, si mala non fecerint; & dicerent: utinam in diem mortis talis merear inveniri, qualis de Baptismi „ Sacramento processi"; illos sic instruit S. Præsul: „ Bonum „ quidem est, ut unusquisque in die judicii purgatus inveniatur ab „ omnibus malis; sed grave malum est, si profectum non habuerit „ in operibus bonis. Nam salvus erit quidem, qui statim post acceptum Baptismum de hac luce migravit, qui non habuit spatium, in quo se bonis operibus exerceret. Ille vero, qui & „ longum tempus vivendi, & ætatem posse bene operandi habuit, „ non ei sufficit otiosum esse a malis, si etiam a bonis voluerit „ esse otiosus (*b*) . . . . Per Baptismum vacuati sumus ab omnibus malis; sed Dei gratia bene agendo debemus repleri omnibus „ bonis; ne forte, si sine operibus bonis de solius Baptismi Sacramento confidimus, spiritus immundus, qui de nobis per gratiam „ Christi expulsus est, revertatur; &, si nos ab operibus bonis „ invenerit vacuos, deducat secum septem spiritus nequiores se, & „ fiant novissima nostra pejora prioribus (*c*)".

S. CÆSAR.

In serm. 65. (*d*) de Fide pertractat scribens: „ Fides a fit, „ idest ab eo, quod fiat, nomen accepit; quia in ipsa omnium „ non solum divinarum, sed etiam humanarum rerum firmitas continetur. Unde . . . . etiamsi dicat se aliquis fidem habere, si „ id, quod dicit se credere verbis, implere noluerit factis, non est „ fides; quia, sicut dixi, fides a fit nomen accipit (*e*) . . . Hoc „ igitur debet facere, qui fidem vult integram custodire . . . ut & „ quod promittit Deus, & quod minatur, toto corde verum esse „ confidat . . . & ista duo sibi ante oculos proponat, idest præmium vitæ æternæ, & supplicium vitæ perpetuæ . . . cum hæc „ fideliter crediderit, si toto animo contendit bona opera facere, „ per quæ possit ad præmium pervenire, & mala non agere, ut „ pœnam possit evadere, fidem rectam se tenere congaudeat (*f*)". Addit: „ Sed illam primam, & præclaram promissionem, quam „ eo tempore, quo in Baptismo renascimur, ... specialiter .... servare debemus. Interrogamur etiam in Baptismo, utrum abrenuntiemus Diabolo, pompis, & operibus ejus; & abrenunciaturos nos voce libera respondemus . . . . Si vero hoc, quod Deo „ promittimus, implere negligimus; nescio, si illam fidem, quæ „ inter homines agitur, servare possimus (*g*) . . . Quando enim „ interrogatus est; abrenuntias Diabolo, pompis, & operibus e- „ jus?

(a) *Serm. 63. in ord. 262. n. 1. pag. 429.*
(b) *Serm. 64. in ord. 263. n. 3. pag. 432.*
(c) *Ibid. n. 4.* (d) *In ord. 264. pag. 433.*
(e) *Ibid. n. 1.* (f) *Ibid. n. 2.* (g) *Ibid. n. 3.*

S. CÆSAR.

„ jus? tunc ei Sacerdos subscribendum pactum obtulit. Quando „ autem respondit: abrenuntio; tunc subscripsit (*a*)". In serm. 66. (*b*) postquam dixit: „ Scire debemus, quia non nobis suffi- „ cit, quod nomen Christianum accepimus, si opera Christiana „ non fecerimus (*c*)"; quænam sint hæc opera Christiana, declarat subdens: „ Pacem habete, & eos, qui discordes sunt, ad „ concordiam revocate. Mendacium fugite, perjurium velut mor- „ tem perpetuam nolite facere . . . Secundum vires eleemosynam „ pauperibus exhibete. Oblationes, quæ in Altario consecrentur, „ offerte. Erubescere debet homo idoneus, si de aliena oblatione „ communicaverit. Qui possunt, aut cereolos, aut oleum, quod „ in cicindilibus mittatur, exhibeant. Symbolum, vel Orationem „ Dominicam & ipsi tenete, & filiis vestris ostendite . . . Filios, „ quos in Baptismo excipitis, scitote, vos fidejussores pro ipsis a- „ pud Deum extitisse. Et ideo tam illos, qui de vobis nati sunt, „ quam illos, quos de fonte excipitis, semper castigate, atque cor- „ rigite, ut caste, & juste, & sobrie vivant. Et vos ita agite; „ ut, si vos filii vestri imitari voluerint, non vobiscum in igne „ ardeant, sed simul vobiscum ad præmia æterna perveniant. Qui „ causas audiunt, juste judicent, nec munera super innocentes ac- „ cipiant; quia munera excæcant corda sapientium . . . . Nullus „ se inebriet; nemo in convivio suo cogat alium amplius bibere, „ quam oportet, ne per ebrietatem & suam, & illius animam „ perdat (*d*) . . . Omni die Dominico ad Ecclesiam convenite. „ Si enim infelices Judæi tanta devotione celebrant Sabbatum, ut „ in eo nulla opera terrena exerceant; quanto magis Christiani in „ die Dominico soli Deo vacare, & pro animæ suæ salute debent „ ad Ecclesiam convenire? Quando ad Ecclesiam convenitis, pro „ vestris peccatis orate . . . & ibi stantes nolite verbosari; sed le- „ ctiones divinas patienter audite . . . . Decimas Ecclesiæ de fru- „ ctibus vestris reddite. Qui fuit superbus, sit humilis . . . qui „ solebat furtum facere . . . . etiam de propria substantia incipiat „ pauperibus erogare (*e*)". Illos, qui inimicorum amorem supra humanas vires æstimant, & dicunt: *Quis potest diligere inimicos* (*f*)? sic hortatur, & roborat: „ Consideranda est, & to- „ tis viribus imitanda benigna etiam erga inimicos antiquorum „ Sanctorum charitas (*g*)"; & quomodo „ tot viri, tot mulie- „ res, tanti pueri, tantæ & tam delicatæ puellæ flammas, & i- „ gnes, & gladios, & bestias æquanimiter pro Christo pertule- „ runt (*h*)". Docet præterea: „ Cum Dominus in Evangelio „ mandavit, ut inimicos diligere debeamus, non dedit consilium, „ sed

(a) *Ibid. n.* 4. (b) *In ord.* 265. *p.* 436.
(c) *Ibid. n.* 1. (d) *Ibid. n.* 2. (e) *Ibid. n.* 3.
(f) *Serm.* 71. *in ord.* 271. *n.* 1. *p.* 447.
(g) *Serm.* 72. *in ord.* 272. *n.* 2. *pag.* 449.
(h) *Serm.* 73. *in ord.* 273. *n.* 2. *pag.* 452.

„ sed præceptum . . . Advertite, quia, si inimicos non diligimus, S. CÆSAR.
„ filii Dei esse non possumus (*a*)". Hinc, ut ad hujus impletionem præcepti urgeat auditores, subdit: „ Si non habes peccatum, „ quod tibi indulgeat Deus, ... forte potes dicere, quod non „ velis indulgere proximo tuo. Si vero incomparabiliter plus peccasti tu Deo, quam in te peccaverit homo; quare, jubente „ Domino, non dimittis parum, ut tibi Deus dignetur dimittere „ multum (*b*)? . . . Quod si in Veteri Testamento legimus de „ quibusdam peccatoribus a Sanctis Viris in præsenti sæculo vindicatum; hoc non ideo factum ... ut iracundiæ suæ satisfacerent, „ sed ut Dei injuriam vindicarent, & ut cæteri videntes, numquam „ talia peccata exercere præsumerent (*c*)". De illis vero, „ qui „ cum ad aliquos honores, aut divitias undequaque acquisitas pervenerint, ita parentes suos pauperes despiciunt, ut eos nec videre dignentur"; docet: „ Quod si fecerint, non solum peccatum, sed etiam grave crimen se admisisse non dubitent (*d*)". Ideo subdit: „ Si quis. . . parentes habuerit pauperes, ipsis prius „ necessaria tribuat . . . quia reliquis pauperibus si tu non dederis, dabit alius; parentibus vero tuis pauperibus, si tu nihil „ largitus fueris, difficile est, ut alius largiatur (*e*)". Ante festum S. Joannis Baptistæ de reddendis decimis sermonem habuit, in quo statuit, quod „ decimæ ex debito requiruntur; & qui eas „ dare noluerit, res alienas invasit (*f*)". Superstitiones etiam amovere volens sic scribit: „ Nullus in festivitate S. Joannis aut „ in fontibus, aut in paludibus, aut in fluminibus nocturnis, aut „ matutinis horis se lavare præsumat; quia ista infelix consuetudo „ adhuc de Paganorum observatione remansit (*g*)". Addit etiam & hoc: „ Admonete, fratres, ut cantica turpia, & luxuriosa castitati, & honestati inimica familiæ vestræ ex ore non proferant; quia non est justum, ut ex illo ore, ubi Eucharistia „ Christi ingreditur, canticum luxuriosum, vel amatorium proferatur (*h*)".

S. Bonifacius Moguntinus Episcopus sermonem septuagesimum octavum sub nomine S. Augustini citat (*i*). At scriptionis stylus ostendit opus esse S. Cæsarii. In eo illos severe objurgat, „ qui „ sacrilegas Paganorum consuetudines observant, qui divinos, vel „ sortilegos requirunt, qui auguria observant, . . . & in itinere „ positi aliquas aviculas constanter attendunt; & observant qua die „ de domo exeant, & qua die revertantur. Sed (subdit) quoties vobis in quacumque parte fuerit necessitas properandi, signa- Sermon. 78. in ord. 278. pag. 462.

„ te vos

(a) *Ibid. n.4.* (b) *Serm. 74. in ord. 274. n. 2. pag. 455.*
(c) *Serm. 75. in ord. 275. n. 1. pag. 457.*
(d) *Serm. 76. in ord. 276. n. 1. pag. 458.*
(e) *Ibidem.* (f) *Serm. 77. in ord. 277. n. 3. pag. 461.*
(g) *Ibid. n. 5.* (h) *Ibidem.*
(i) *Epist. ad Zachar. Papam.*

S. CÆSAR.

„ te vos in nomine Jesu Christi, & Symbolum, vel Orationem „ Dominicam fideliter dicentes, securi de Dei adjutorio iter agite „ (*a*). In infirmitatibus vero rectius, & salubrius est, ut infirmi ad Ecclesiam currerent, & Corpus, & Sanguinem Christi „ acciperent, oleo benedicto & se, & suos fideliter perungerent; „ & secundum quod Jacobus Apostolus dicit, non solum sanitatem „ corporum, sed etiam remissionem acciperent peccatorum (*b*)". In sermonibus 80. & 81. (*c*) fideles redarguit de variis perversis ausibus; nimirum, „ quod aliqui, & præcipue pleræque mulieres „ ita solerent in Ecclesia verbosari, ut lectiones divinas nec ipsæ „ audiant, nec alios audire permittant (*d*)... quod nonnulli, „ lectis divinis lectionibus, de Ecclesia foris exeant (*e*)". Vitæ S. Cæsarii Scriptores narrant, „ quod quadam die prospiciens de „ Altario vidit, aliquos, lectis Evangeliis, de Ecclesia foras exi- „ re... illico occurrens clamavit ad populum: Quid agitis, o „ filii? Quo ducimini foris, mala suasione subversi? State pro a- „ nimabus vestris ad verbum admonitionis... Hoc vobis in die „ judicii facere non licebit... Ob hoc sæpissime ostia post Evan- „ gelia claudi fecit". Concilium Agathense, cui S. Cæsarius præfuit, canonem edidit, quo Laicis vetabatur, ne ab Ecclesia discederent, nisi accepta in fine Missæ Episcopali benedictione. In præfatis igitur sermonibus totus est S. Cæsarius, ut ostendat, non oportere fideles in diebus festis, & solemnioribus ab Ecclesia discedere, nisi Missæ completo sacrificio. Hinc scribit: „ Si diligen- „ ter attenderitis, cognoscetis, quia non tunc fiunt Missæ, quando „ divinæ lectiones in Ecclesia recitantur, sed quando munera offe- „ runtur, & Corpus, vel Sanguis Christi consecrantur. Nam le- „ ctiones sive propheticas, sive apostolicas, sive evangelicas etiam „ in domibus vestris aut ipsi legere, aut alios legentes audire po- „ testis; consecrationem vero Corporis, vel Sanguinis Domini non „ alibi, nisi in domo Dei audire, vel videre poteritis. Ideo qui „ vult Missas ad integrum cum lucro animæ suæ celebrare, usque- „ quo oratio Dominica dicatur, & populo benedictio detur, hu- „ miliato corpore, & compuncto corde se debet in Ecclesia conti- „ nere. Dum enim maxima pars populi, imo, quod pejus est, „ pene omnes, recitatis lectionibus, exeunt de Ecclesia; cui dictu- „ rus est Sacerdos: *Sursum corda*? Aut quomodo *sursum se habe-* „ *re corda* respondere possunt, qui deorsum in plateis & corpore „ simul, & corde discedunt? Vel qualiter cum tremore simul, & „ gaudio clamabunt: *Sanctus*, *Sanctus*, *Sanctus*. *Benedictus qui* „ *venit in nomine Domini*? Aut quando oratio Dominica dicitur, „ quis est, qui humiliter, & veraciter clamet: *Dimitte nobis de-* „ *bita nostra*, *sicut & nos dimittimus debitoribus nostris*? Cum „ enim

(a) *Ibid. n.* 1. (b) *Serm.* 79. *in ord.* 279. *n.* 5. *pag.* 465.
(c) *In ord.* 280. & 281. *pag.* 466. & *seqq.*
(d) *Ibid. n.* 4. (e) *Serm.* 281. *n.* 1. *pag.* 468.

S. CÆSAR.

„ enim etiam illi, qui in Ecclesia se continent . . . ad judicium „ magis, quam ad remedium orationem Dominicam proferunt ex „ ore, quam implere non probantur in opere ; & sine causa di-„ cunt: *Libera nos a malo*. Si ergo etiam illi periclitantur, qui „ intus sunt, si implere noluerint, quod promittunt; quid de se „ cogitant illi, quos aut insatiabilis cupiditas, aut amor sæculi i-„ stius ita detinet implicatos, ut eos unius horæ momento stare in „ Ecclesia non permittat (*a*)? . . . Qui de Ecclesia, non expe-„ ctatis Missis, discedit . . . . dupliciter se peccare non dubitet, „ dum divina mysteria deserit, & Sacerdotem pro se solicitum „ contristat, & despicit (*b*) . . . Benedictio vobis in Missa non „ ab homine, sed per hominem datur: grato, & pio animo, hu-„ miliato corpore, & corde compuncto rorem divinæ benedictionis „ accipite (*c*) ". Addit: „ Quod in istis prædicationibus, Do-„ mino inspirante, libenter accipitis . . . vicinis, vel proximis ve-„ stris, qui vobiscum ad Ecclesiam convenire aut non possunt, „ aut, quod pejus est, forte nec volunt, & illis, qui venientes „ cito discedunt, totum quod audistis, cum grandi studio referatis. „ Nam sicut ego reus ero, si vobis ista non dixero ; ita & vos, „ si id, quod audistis, non ita memoriter tenueritis, ut etiam a-„ liis insinuare possitis (*d*)".

In serm. 82. (*e*) de Oratione differit docens: „ Oremus non „ solum pro nobis, sed etiam pro omnibus, ubicumque sint, „ Christianis; nec solum pro amicis, sed etiam pro inimicis Dei „ misericordiam deprecemur . . . & hoc semper & pro nobis, & „ pro omnibus aliis supplicemus, ut Deus nobis hoc dignetur con-„ cedere, quod novit nostræ animæ convenire. Ante omnia Ora-„ tionem Dominicam in oratione dicamus; quia sine dubio liben-„ ter orationem exaudit, quam ipse pro ineffabili sua benignitate „ instituit (*f*) ". Narratur in vita S. Cæsarii, quod „ compu-„ lit, ut Laicorum popularitas Psalmos, & Hymnos pariter, al-„ taque voce alii græce, alii latine cantarent (*g*) ". Ideo in Homil. 83. (*h*) habita in die Epiphaniæ sic dicit: „ Plures erant „ anni, quod pro hac re æstuabat animus meus, & tota cordis „ intensione desiderabam, ut istam psallendi consuetudinem vobis „ pius Dominus inspiraret. Unde benedico Dominum meum, & „ quantas possum, jugiter gratias ago, qui dignatus est implere „ desiderium meum (*i*) . . . Ideo ante omnia non solum oratio-„ nibus, sed etiam sanctis cogitationibus studete, ut quod verbis „ psallitis, orationibus impleatis; & Spiritus Sanctus, qui vobis

„ sonat

(a) *Serm.* 281. *n.* 2.
(b) *Serm.* 282. *n.* 1.
(c) *Ibid. n.* 2. (d) *Ibid. n.* 4.
(e) *In ord.* 283. *pag.* 471.
(f) *Ibid. n.* 5. (g) *In vit. lib.* 1. *n.* 11.
(h) *In ord.* 284. *pag.* 473. (i) *Ibid. n.* 1.

S. CÆSAR.

„ ſonat in ore, ipſe etiam habitare dignetur in corde (*a*)". Duo qui ſubſequuntur, ſermones ſunt de ritu ſpallendi (*b*). In his monet fideles, „ ut, quotieſcumque juxta altare a Clericis ora„ tur, aut oratio Diacono clamante indicitur, non ſolum corda, „ ſed etiam corpora fideliter inclinent . . . & qui pro aliqua in„ firmitate non poteſt genua flectere, vel dorſum curvare, caput „ ſaltem eum non pigeat inclinare, conſiderans per hanc humilita„ tem Publicanum illum Dei miſericordiam conſequutum, qui „ ad Cælum oculos levare non audebat, ſed inclinato in ter„ ram capite pectus tundebat (*c*)". In ſex ſequentibus ſermonibus adverſus impudicitiam, & ebrietatem concionatur S. Præſul (*d*).

In undecim vero ſermonibus in Appendice Operum S. Auguſtini poſitis hæc ſunt notanda. 1. „ Sicut multi ſunt pauperes iracundi, „ cupidi, ſuperbi, luxurioſi, quibus nihil prodeſt, quod facultati„ bus ſint indigentes, cum vitiis, & malis moribus ſint locuple„ tes; ita multi ſunt divites humiles, & manſueti . . . quibus ni„ hil obſunt ad ſalutem divitiæ, quia non luxuriæ ſervire, ſed „ eleemoſynas erogare, & humilitatem, ac manſuetudinem toto „ corde, toto animo volunt cuſtodire . . . Per ſuperbiam Angeli „ ceciderunt de Cælo in terram, & facti ſunt Diaboli in inferno; „ & qui ſunt ſuperbi, ſimiles eis (*e*) . . . Nunquam vel cupi„ ditas ſine ſuperbia, vel caritas ſine humilitate aut eſſe potuit „ aliquando, aut poterit (*f*)". 2. " Quoties aliquæ adverſitates „ veniunt, quoties aut hoſtilitas, aut ſiccitas, aut mortalitas juſto „ Dei judicio nobis fuerit irrogata; non ejus injuſtitiæ, ſed no„ ſtris hoc peccatis imputare debemus (*g*)". Ex quibus verbis patet, S. Cæſarium hunc habuiſſe ſermonem tempore Arelatenſis obſidionis contra Gothos a Francorum exercitu (1). 3. „ Si in „ veritate, ut credimus, eſuritis, & ſititis juſtitiam, quoties vobis „ verbum Dei tardius fuerit prædicatum; nolite expectare, ut vo„ bis ultro illud debeamus ingerere, ſed etiam vos ipſi quaſi rem „ vobis jure debitam fideliter a nobis, ac ſitienter exigite (*h*) . . . „ Et qui bene novit, quam grave pondus immineat cervicibus Sa„ cerdotum, intelligit, quod, quamvis aſſidue verbum Dei præ„ dice-

(a) *Ibid. n.* 2.
(b) *Serm.* 84. 85. *in ord.* 285. 286. *pag.* 474. *& ſeqq.*
(c) *Serm.* 286. *n.* 1.
(d) *Serm.* 86. *& ſeqq. in ord.* 288. *& ſeqq. pag.* 478. *& ſeq.*
(e) *Serm.* 92. *in ord.* 296. *n.* 4. *pag.* 497.
(f) *Ibid. n.* 7.
(g) *Serm.* 93. *in ord.* 298. *n.* 1. *pag.* 500.
(1) Baronius Sermonem hunc genuinum Auguſtini fœtum ratus ad tempus Vandalicæ obſidionis retulit, atque ut noviſſimum omnium Sermonum, qui extant Auguſtini, totum ſuis Annalibus inſeruit ad ann. 430. Verum dicendi genus illum Cæſarianum eſſe prodit.
(h) *Serm.* 94. *in ord.* 299. *n.* 1. *pag.* 502.

„ dicemus, minus tamen reddimus, quam debemus (*a*)... Volentibus autem Verbum Dei offerendum eſt; faſtidientibus ingerendum juxta illud Apoſtoli: *Prædica verbum*, *inſta opportune*, *importune*. 4. Quid vobis plus eſſe videtur: Verbum Dei, an corpus Chriſti? Si verum vultis reſpondere, hoc utique dicere debetis, quod non ſit minus verbum Dei, quam Corpus Chriſti. Et ideo quanta ſollicitudine obſervamus, quando nobis Corpus Chriſti miniſtratur, ut nihil ex ipſo de noſtris manibus in terram cadat; tanta ſollicitudine obſervemus, ne Verbum Dei, quod nobis erogatur, dum aliud aut cogitamus, aut loquimur, de corde noſtro depereat (*b*). 5. Quotieſcumque tam pro veſtra, quam pro noſtra ſalute mihi neceſſe eſt aliqua dura, vel aſpera prædicare, conſiderantes periculum meum debetis hoc æquanimiter, ac patienter accipere; quia prædicatio aſpera ægrotis medicamenta providet, ſanis ornamenta componit (*c*). 6. Lumen animæ, & cibus æternus non eſt aliud niſi verbum Dei, ſine quo anima nec videre poteſt, nec vivere; quia, quomodo caro noſtra moritur, ſi non capiat cibum, ita & anima noſtra extinguitur, ſi non accipiat verbum Dei (*d*)... Nemo ſe excuſare conetur: non mihi vacat legere... non novi litteras... Inanis eſt, & inutilis excuſatio iſta... Etiamſi aliquis neſciens litteras non poteſt legere, poteſt tamen legentem libenter audire. Qui vero litteras novit, numquid poteſt fieri, quod non inveniat libros, quibus poſſit Scripturam Divinam legere? Tollamus a nobis fabulas vanas, mordaces jocos, ſermones otioſos... & videamus, ſi nobis non remaneat tempus, in quo lectioni divinæ vacare poſſimus (*e*). 7. Divites Mundi abundant in hoc ſæculo pecunia; pauperes Chriſti in Cælo vita æterna. Erogent ergo divites in mundo pecuniam, ut recipiant in cælo vitam æternam. Divites Mundi frumentum, vinum, & oleum in horreo, vel in cellario copioſe reponunt; pauperes Chriſti orando, vigilando, jejunando ſpiritales theſauros in Cælo recondunt. Faciant ergo ſibi quoſcumque ſervos Dei divites hujus mundi de terrena facultate participes, ut illi eos ſibi in cæleſti theſauro faciant cohæredes (*f*)... Quomodo arbor ulmea extendit ramos ſuos, & erigit, vel ſuſtinet vitem; ſic dives hujus ſæculi porrigat ramos ſuos, ideſt manus plenas fructibus agri ſui, & ſuſtentet pauperes Chriſti (*g*)". 8. Tria eleemoſynarum genera diſtinguit, & omnia ad ſalutem utilia. Primum eſt; „ dum divites ſuperflua miſericorditer erogant, & a peccatis ſe re-

(a) *Ibid. n.* 2.
(b) *Serm.* 95. *in ord.* 300. *n.* 2. *pag.* 504.
(c) *Serm.* 96. *in ord.* 301. *n.* 1. *pag.* 505.
(d) *Serm.* 97. *in ord.* 303. *n.* 2. *pag.* 509.
(e) *Ibid. num.* 1.
(f) *Serm.* 98. *in ord.* 307. *n.* 3. *pag.* 517.
(g) *Ibid. num.* 1.

S. CÆSAR.

„ dimunt, & ad æterna præmia perveniunt (*a*) . . . Secundum; „ si toto corde inimicis suis indulgeant (*b*) ... Tertium; si quis „ bonam habeat voluntatem, omnes homines diligat, pro omnibus „ oret, & hoc illis desideret, quod & sibi (*c*). 9. Quamlibet „ largas eleemosynas aliquis tribuat, capitalia crimina devitet ... „ Nemo ergo putet, quod quotidiana adulteria eleemosynæ quoti- „ dianæ consumant (*d*) . . . Tunc enim . . . largior eleemosyna „ animam liberat, si criminosus mortifera peccata jam deserat „ (*e*). 10. Cum nos multis peccatis, & criminibus sentiamus ob- „ noxios, numquid desperandum est? Absit hoc a populo Christia- „ no. Non quidem desperandum est: sed nec in ipsis peccatis ini- „ mica securitate perseverandum (*f*) . . . Omnis, qui superbiam „ diligit, Diabolo plenus est. Et si cum superbia invidiam etiam „ habere voluerit, duobus Dæmonibus subditus erit. Et si cum „ invidia etiam adulterium fecerit, jam tribus Dæmonibus posside- „ tur (*g*) “.

Regula S. Cæsarii pro Monialibus.

Ante obsidionem Urbis Arelatensis Monasterium Sorori suæ, & reliquis Virginibus „ inchoaverat fabricare S. Cæsarius. Dumque „ laborem, quem festinus urgebat, manuque propria, & sudore „ construxerat, everti videret, & destrui, geminato cœpit mœro- „ re consumi (*h*) “. Attamen animo non despondit, sed soluta obsidione, „ Monasterium, quod Sorori suæ parare cœperat, in- „ star prioris normæ, & singularitate Claustri reædificavit (*i*); & „ triplicem disposuit in una conclusione Basilicam, cujus membrum „ medium in honorem S.Mariæ Virginis cultu eminentiore construxit; „ ex uno latere Domini Joannis, ex alio S. Martini subjecit (*k*). „ Evocat e Massiliensi Monasterio venerabilem germanam suam Cæsa- „ riam, quam inibi ideo direxerat, ut disceret, quod doceret, & prius „ esset discipula, quam magistra: & in præparatis habitaculis cum „ duabus, aut tribus interim sodalibus intromittit. Conveniunt ini- „ bi Virginum multitudines catervatim, facultatibus quoque, & pa- „ rentibus renunciantes, respuunt mortalium flores fallaces pariter „ & caducos (*l*) “. Regulam pro illis composuit S. Cæsarius pietatis, & discretionis spiritu elucubratam. Statim in initio mo- net, „ se selegisse pauca de pluribus, quibus seniores cum juniori- „ bus regulariter vivant, & specialiter implere contendant, quod „ specialiter suo sexui aptum esse perspexerint. Hæc sanctis ve- „ stris animabus prima conveniunt (*m*) “. En hujus Regulæ Sy- nopsis.

Monia-

(a) *Serm. 99. in ord. 308. n. 1. pag. 518.*
(b) *Ibid. n. 3.* (c) *Ibid. n. 5.*
(d) *Serm. 100. in ord. 309. n. 1. pag. 520.*
(e) *Ibid. n. 2.* (f) *Serm. 102. in ord. 314. n. 3. pag. 528.*
(g) *Ibid. n. 1.* (h) *In Vit. S. Cæsar. lib. 1. n. 15.*
(i) *Ibid. n. 18.* (k) *Ibid. n. 32.*
(l) *Ibid. n. 38.* (m) *In init. Reg. Biblioth. SS. PP. Tom. 8. Edit. Lugd. an. 1677. pag. 867.*

Moniales perpetuam ſervent Clauſuram, „ & uſque ad mortem „ de Monaſterio non egrediantur, nec de Baſilica, ubi oſtium eſſe „ videtur (*a*) “. S. CÆSAR.

„ Non licebit ſtatim habitum Religionis aſſumere . . . ſed uni „ ex ſenioribus tradita annum integrum in eo, quo venit, habitu „ perſeverabit. De ipſo tamen habitu mutando ſit in poteſtate „ Prioris vel celerius, vel tardius concedere (*b*) “.

„ Viduæ, aut Maritis relictis. . . non excipiantur, niſi ante de „ omnibus facultatibus ſuis . . . . aut donationes, aut venditiones „ faciant . . . Quam rem & illæ, quæ virgines convertuntur, ſi „ implere noluerint, non recipiantur . . . Illæ vero, quæ, adhuc „ vivis parentibus, ſubſtantiam ſuam in poteſtate habere non poſ- „ ſunt, & adhuc minoris ætatis ſunt, chartas tunc facere compel- „ lantur, quando res parentum in poteſtate habere potuerint, aut „ ad legitimam ætatem pervenerint (*c*) “.

„ Ancillam propriam nulli, nec etiam Abbatiſſæ liceat in ſer- „ vitio ſuo habere; ſed, ſi opus habuerit, de junioribus in ſola- „ tium ſuum accipiat. Nobilium filiæ, ſive ignobilium ad nutrien- „ dum, aut docendum penitus non accipiantur. Infantula ab an- „ nis ſex, aut ſeptem, quæ obedientiæ poſſit obtemperare, ſuſci- „ piatur (*d*) “.

„ Nemo ſibi aliquid operis, vel artificii pro ſuo libito eligat „ faciendum; ſed in arbitrio ſenioris erit, quod utile proſpexerit, „ imperandum (*e*) “.

„ Nulli liceat ſemotam eligere manſionem, nec habere cubicu- „ lum, vel armariolum, quod pecularius claudi poſſit, ſed omnes „ diverſis lectulis maneant in una Cellula. Senes, & infirmæ non „ ſingulæ ſingulas Cellas habeant, ſed in una recipiantur omnes, „ ubi & maneant (*f*) “.

„ Nulla cujuslibet filiam in Baptiſmum neque divitis, neque „ pauperis præſumat accipere (*g*) “.

„ Quæ, ſigno facto, tardius ad opus Dei, vel ad opera vene- „ rit, increpationi, ut dignum eſt, ſubjacebit. Quod ſi ſecundo „ etiam, vel tertio admonita emendari noluerit, a Communione „ (orationis), vel a convivio ſeparetur (*h*) “. Inferius pro gra- vioribus delictis diſciplinæ inflictio memoratur *n*. 24.

„ In omni miniſterio corporali, in coquina vicibus ſibi, excepta „ Matre, vel Præpoſita, ſuccedere debent (*i*) “.

„ Nemo ſibi aliquid judicet proprium (*k*). Matri omnes obe- „ dientiam Præpoſitæ deferant (*l*). Sedentes in menſa taceant,

 „ & ani-

(a) *Num.* 2. (b) *Num.* 3.
(c) *Num.* 4. (d) *Num.* 5.
(e) *Num.* 6. (f) *Num.* 7.
(g) *Num.* 9. (h) *Num.* 10.
(i) *Num.* 12. (k) *Num.* 15.
(l) *Num.* 16.

S. CÆSAR. „ & animum lectioni intendant. Omnes litteras discant (*a*). O-
„ mni tempore duabus horis, hoc est a mane usque ad horam se-
„ cundam lectioni vacent. Reliquo vero diei spatio faciant opera
„ sua in unum operantes; & interim una de Sororibus usque ad
„ tertiam legat. De reliquo meditatio verbi Dei, & oratio de
„ corde non cesset (*b*)".

„ Secreto errantem corripite Sororem. Si audire neglexerit, Matri in notitiam ponite (*c*)".

„ Nulla occulte ab aliquo litteras, aut munuscula acci-
„ piat (*d*)".

„ Ægrotantium cura uni satis fideli, & compunctæ debet injun-
„ gi . . . & quia solet fieri, ut Cella Monasterii non semper bo-
„ num vinum habeat, ad Abbatissæ curam pertinebit, ut tale vi-
„ num provideat, unde infirmæ palpentur. Lavacra etiam minime
„ denegentur de consilio medicinæ (*e*)".

„ Nullus virorum in Monasterio, & in oratoriis introeat, exce-
„ ptis Episcopis, Provisore, & Presbytero, Diacono, & Subdia-
„ cono, & uno, vel duobus Lectoribus, qui aliquoties Missas fa-
„ cere debeant. Provisor nunquam introeat sine Abbatissa, aut
„ alia honestissima teste (*f*)".

„ Abbatissa ad salutantes in salutatorio sine duabus, aut tribus
„ Sororibus non procedat (*g*). Si quis germanam suam, vel fi-
„ liam videre voluerit, præsente qualibet seniore, colloqui non
„ denegetur (*h*)".

„ Convivium nec Episcopis, nec Abbatibus, Monachis, Cleri-
„ cis, Sæcularibus viris, aut mulieribus nunquam fiat. Si qua ta-
„ men de alia civitate ad requirendam filiam suam venerit, si Re-
„ ligiosa est, debet ad convivium vocari (*i*)".

„ Omnia indumenta nunquam nigra, vel lucida, sed tantum al-
„ ba, vel lactina. In Monasterio lanipondiæ fiant. Lectualia ipsa
„ simplicia sint . . . Argentum in usu vestro non habeatis, aliis-
„ que ministerio oratorii (*k*)".

„ Plumaria, & acu pictura, & omne polymitum, sive ornatu-
„ ræ nunquam in Monasterio fiant. Ipsa etiam ornamenta in Mo-
„ nasterio simplicia esse debent, nunquam plumata, nunquam ho-
„ loserica . . . Si vero aliqua ornamenta vel a vobis, vel ab ali-
„ quo de fidelibus Monasterio collata fuerint, aut in usibus Mo-
„ nasterii profutura vendantur, aut S. Mariæ Basilicæ, si necesse
„ fuerit, deputentur". Hæc erat Basilica exterior.

Post præfatæ Regulæ recapitulationem Psalmodiæ, & jejuniorum ordinem statuit S. Cæsarius. Psalmodiam juxta Monasterii Liri-

(a) *Num.* 17. (b) *Num.* 18.
(c) *Num.* 22. (d) *Num.* 23.
(e) *Num.* 28. 29. 30. (f) *Num.* 33.
(g) *Num.* 34. (h) *Num.* 35.
(i) *Num.* 36. (k) *Num.* 41.

Lirinensis consuetudinem ordinavit, quæ admodum prolixa erat. Apparet & tunc in more positum cantandi Hymnum *Te Deum laudamus* in Matutinis. S. Cæsar.

Jejunia vero sic ordinavit. A Paschate usque ad Pentecostem nonnisi in die Veneris jejunabunt. A Pentecoste usque ad primum Septembris diem ad arbitrium Abbatissæ statuetur jejunium. A prima Septembris usque ad primam Novembris secunda, quarta, & sexta feria jejunium servabitur. A prima vero Novembris usque ad Natale Domini quotidie, exceptis Sabbatis, & festis diebus. Ante Epiphaniam septem diebus jejunabunt (1). Ab Epiphania usque ad hebdomadam Quadragesimam præcedentem feria secunda, quarta, & sexta esuriales erunt.

In diebus jejunii tria apponentur fercula; in aliis vero duo tantum (2): in solemnioribus diebus delicatius ferculum conceditur. Pullos, & carnes nunquam sanæ accipiant; infirmis quidquid necesse fuerit, ministretur.

Statuit etiam, ne Abbatissa nihil omnino, ne quidem de licentia Episcopi, valeat mutare: quod si pertentaverit, Moniales hortatur, ut illi obsistant, & ad S. Sedem confugiant. Huic regulæ propria manu subscripsit undecimo Kalendas Augusti: at quo anno, ignoratur. Completum tamen erat Monasterium triginta annis ante obitum S. Cæsarii, scilicet anno 512., & Ecclesia dedicata fuit septimo Kalendas Septembris. Hæc est S. Cæsarii regula omnium antiquissima inter eas, quæ pro Monialibus in Claustro reclusis compositæ sunt. Illam S. Cæsaria junior S. Radegundæ communem fecit, quam ipsa postea servandam constituit in suo Monasterio S. Crucis Pictavis erecto (a).

Regula pro Viris.

Pro Viris vero breviorem scripsit Regulam; cujus nonnullos hic delibabimus articulos. Jejunia ferme eadem statuuntur, quæ pro Monialibus. Silentium indicebatur & in Choro, & in Mensa, ut dum fauces sumunt cibos, aures esuriant Verbum Dei: mos enim erat toto mensæ tempore lectionem habere. Veritus fœminis in Claustrum ingressus. Ad Collectas vocabantur fratres alicujus instrumenti sono: desides, & negligentes ferula a Prælato in manibus vapulabant.

Ordo divini Officii.

In Officii divini ordine signat S. Cæsarius Responsoria, & Antiphonas recitandas juxta ordinem Psalterii, nec non Capitula, & Psal-

S 3

(1) Jejunia ad Epiphaniam prævia instituta erant ad expianda prophana Infidelium, & pravorum Christianorum sub anni initium gaudia.

(2) Male hic vertit Fleurius dicens, constitutum, ut *duo apponerentur in prandio fercula*; *tria vero in cœna*. Sic enim in Regula legitur: *Ciborum omnibus diebus in jejunio tria, in prandio bina tantummodo præparentur*. Porro *prandium* opponitur jejunio: jejunantes enim non prandebant; sed unica vice reficiebantur, & quidem vespere: ideoque hæc refectio Cœna vocabatur.

(a) *Marten. Tom. 1. Anecd. pag. 4. & Fortun. lib. 8. cap. 4.*

S. CÆSAR.

Pſalmos. Duodecim Pſalmos ſtatuit pro Sabbatis, & Dominicis: in Feſtis vero tres Antiphonas, & tres Lectiones; unam ſcilicet ex Prophetis, alteram ex Apoſtolo, tertiam ex Evangelio: ſex Miſſas, ſive Collectas, ideſt orationes communes in qualibet Dominica die.

Epiſtolæ S. Cæſarii.

Inter S. Cæſarii epiſtolas adnumeratur Inſtructio ad Oratoriam, Abbatiſſam Monaſterii Arluenſis ad latus maris conſtructi a Nazario Lirinenſi Abbate. Revera enim per modum epiſtolæ exarata eſt, & epiſtolæ nomine donatur in Codice Regularum S. Benedicti Avianenſis. In ea dotes exponit S. Epiſcopus, quibus præfulgere debent, qui curam ſuſcipiunt animarum. Primo itaque monet Superiores, teneri quidem temporalium rerum curam gerere, ſed multo ſolicitiores eſſe debere de ſpirituali ſubditorum profectu; ideoque in temporalibus rebus nonniſi neceſſarium tempus inſumendum, ut liberius, & diutius orationi vacare poſſint. Secundo Præſules eſſe debere ſuis ſubditis virtutum omnium, & bonorum operum normam, quam imitentur, & qua urgeantur. Tertio cum opus ſit, teneri ſubditos voce, & ſermone inſtruere; nihilque jubere, quin prius Superior ipſe exemplum præbeat. Eapropter illos monet, ut, priuſquam Communitati aliquod pœnale opus imponant, experiantur per ſeſe, num tolerabile ſit; e. c. ſi jejunia, aut abſtinentias ſupra regulam ſtatuere velint, primum per ſe probent, num prudens ſit futurum mandatum. Hinc cum Pſalmodiam augendam exiſtimaverit ipſe Superior, primus ad Eccleſiam conveniat, & ultimus diſcedat: iiſdem utatur cibis, eademque alimonia, quæ communis ſit; nec quid ſingulare affectet ſive in cibis, ſive in veſtibus, & ſolum de præeminentia in virtutibus ſit ſolicitus. Summopere Oratoriam hortatur, ut cum omnibus æqualitatem ſervet ſive in laboribus, oneribuſque partiendis, ſive in amicitiæ, & caritatis ſignis; nec eas plus diligat, quæ ſibi geſtu, vel cultu magis placent, ſed quæ magis virtute præeminent. In ſermonibus ſit gravitati permixta affabilitas; nec in loquendo plus temporis terat, quam poſtulet rei neceſſitas, vel congruentia. Hilariter annuat neceſſaria petentibus; quibus vero abnuendum ſit, blandis verbis, & ſuavioribus petitionis denegationem mitiget. Quando de rebus Monaſterii agendum ſit, duas vel tres ſecum conſociet prudentiores Moniales, ut omnia propter Deum agantur; & de Deo ſemper cogitet, atque ad illum in omnibus reſpiciat.

Epiſtolæ ad Cæſariam.

Superſunt binæ epiſtolæ ad Cæſariam Arelatenſis Monaſterii a S. Epiſcopo a fundamentis Arelate erecti Abbatiſſam, & ad omnes ejuſdem Cœnobii ſorores. Hæc S. Abbatiſſa aſſidue lectioni, & meditationi vacabat. Hinc eam optime inſtructam agnoſcens S. Præſul nonniſi gravate dicit ſe ad illam ſcribere, & nonniſi ut ad ſublimiorem attollat perfectionem. Primo itaque eam, & ſorores monet, ut ſolicite Dei voluntatem indagent, & quid illi placeat, vel diſpliceat, ſedulo inquirant. Secundo ut viriliter contra ſuperbiam dimicent; nam hac obtruncata vitiorum radice, cætera vitia facile areſcunt. Hinc humilitatem, quam Chriſtus docuit,

docuit, illis sectandam proponit; & ne unquam irascantur, monet, & insurgentes iræ motus statim compescant, invidiam omnem abjiciant, opportune sileant, & opportune loquantur; aliquando enim præsertim Præsulibus tacere vel non licet, vel non expedit; ne ullam cum viris familiaritatem habeant, nec illorum nisi in oratione meminerint, immo nec in eorum vultus oculos figant, nisi vel Presbyteri, vel Levitæ sint probatæ vitæ, & perfectæ castimoniæ; nec de alicujus Lectoris voce oblectentur, ne forte per aures mala aliqua, vel minus honesta subrepat commotio. S. CÆSAR.

Inter S. Cæsarii opera ejus quoque est adnumerandum Testamentum ad Presbyteros, Diaconos, & ad Cæsariam ab ipso institutam Monasterii Abbatissam directum. Illud integrum exhibet Baronius ad annum 508. n. 23. Sub initium pacem exoptat Ecclesiæ. Deinde sic decernit: „ Arelatense S. Joannis Monasterium, quod ego „ condidi, sub potestate Arelatensis Pontificis canonice sit; hære- „ demque meum esse volo, ac jubeo . . . Et ne forte post obitum „ meum aliqui de parentibus meis, exceptis iis rebus, quas illis „ pro elogiis donabo, inquietare præsumant, cui præsum, Eccle- „ siam; ideo hanc voluntatem meam tractare amplius desidera- „ vi . . . Sancto, & Domino meo Archiepiscopo, qui mihi in- „ digno digne successerit . . . si lubet, & dignum ducit, indu- „ menta mea paschalia omnia illi serviant simul cum casula, vil- „ losa tunica, vel galnope . . . Reliqua vero vestimenta mea . . . „ mei tam Clerici, quam Laici cum gratia, vel ordinatione Do- „ mini Archiepiscopi sibi dividant . . . & si cui aliquid per epi- „ stolam, aut per pittacium, aut verbo pietatis intuitu contuli, „ valere volo “. Testamentum S. Cæsarii.

ARTICULUS TERTIUS.

Selectiora D. Cæsarii testimonia, Dogmata, Fidem, & Mores spectantia.

„ OPORTET unicuique observare, ut credat Patrem, credat „ Filium, credat Spiritum Sanctum. Deus Pater, Deus Fi- „ lius, Deus Spiritus Sanctus; & tamen non tres Dii, sed unus „ Deus. Qualis Pater, talis Filius, talis Spiritus Sanctus. At- „ tamen credat unusquisque fidelis, quod Filius æqualis est Patri „ secundum divinitatem, & minor est Patre secundum humanita- „ tem carnis, quam de nostro assumpsit . . . Spiritus vero Sanctus „ ab utroque procedens. Credite ergo, charissimi, in Deum Pa- „ trem Omnipotentem; credite & in Jesum Christum Filium „ ejus . . . conceptum de Spritu Sancto (a) . . . ex Deo geni- De Trinitate.

S 4 „ tum,

(a) *Serm.* 54. *in ord.* 244. *n.* 1. *pag.* 399.

S. CÆSAR.

„ tum, & ex homine procreatum . . . At quomodo Deus Filium „ genuit? Nihil hic corporeum cogitemus . . . . Quid eſt enim: „ Deus Deum genuit, niſi ignis de igne apparuit, lux de luce „ proceſſit? . . . Verbi gratia, ſi lampas accendatur ex lampade, „ ſi una illuminetur ex alia, non ſibi videtur flamma quodammo- „ do flammam percutiens ſplendorem de ſplendore genuiſſe? . . . . „ Et licet in utraque lampade gemina, & duplex videatur flam- „ ma, utraque tamen una ſubſtantia eſt (*a*)". In ſuperius citato *Sermone* 54. binas in Chriſto diſtinguit naturas, docens æqualem eſſe Patri ſecundum divinitatem, minorem vero ſecundum humanitatem, quam de Virgine aſſumpſit; „ quæ Virgo ante par- „ tum, & Virgo poſt partum ſemper fuit, & abſque contagione, „ vel macula peccati perduravit (*b*)". De Spiritu Sancto vero credendum docet, quod ab utroque procedat; a Patre ſcilicet, Filioque.

De Baptiſmo, & peccato Originali.

„ Cum per primam tranſgreſſionem Adæ origini, & morti ob- „ noxii teneremur, perſpiciens ex alto Deus, in quo eſſemus ge- „ nere debitores vitæ, qualitates captivitatis reparavit munere re- „ demptionis, ideſt pro debita morte offerret indebitam (*c*). Mi- „ ra Domini clementia, quæ irrevocabile ſcelus, & infectas cri- „ minum maculas ad infectum revocat, & peccatorem peccato „ morientem vivificat . . . Ecce mala innumera antiquis, ac re- „ centibus impreſſa vulneribus, perpetuis gehennæ vix expianda „ ſuppliciis, terna ſubmerſione purgantur (*d*) . . . Totus homo „ diluitur, abſolvitur, renovatur. Cum venerit Diabolus, jam „ non agnoſcit ſuum, quem exinanita, & expoſita natura in ado- „ ptionem Chriſti emancipavit, & in gremium Patris de mali „ perſuaſoris jure transfudit (*e*). Quando interrogatus es: abre- „ nuntias Diabolo, pompis, & operibus ejus? tunc ei Sacerdos „ ſubſcribendum pactum obtulit: quando autem reſpondit: *abre-* „ *nuntio;* tunc ſubſcripſit (*f*)" (1).

De Eucharistia.

„ Qui corpus aſſumptum ablaturus erat ex oculis noſtris, & ſy- „ deribus illaturus, neceſſarium erat, ut nobis in hac die Sacra- „ mentum Corporis, & Sanguinis ſui conſecraret, ut coleretur ju- „ giter per Myſterium, quod ſemel offerebatur in pretium . . . . „ perpetua etiam eſſet oblatio redemptionis, & perennis victi- „ ma

(a) *Homil. 6. de Paſch. in Biblioth. PP. Tom.* 8. *pag.* 824.
(b) *Serm.* 54. *ut ſupr.*
(c) *Homil. 7. in Paſch. Biblioth. PP. Tom.* 8. *pag.* 825.
(d) *Homil.* 5. *ibid. pag.* 823.
(e) *Ibidem.*
(f) *Serm. 65. in ord.* 264. *n.* 4. *pag.* 434.

(1) Ex his S. Cæſarii verbis colligere videtur Auctor Gallus, in more poſitum fuiſſe, ut Sacerdos baptizato chartam porrigeret abrenunciationum, cui ipſe ſubſcriberet. Verum hoc non dicit S. Præſul; ſed ſolum indicat, ipſam Sacerdotis petitionem eſſe, ac ſi chartam porrigeret: reſponſionem vero baptizati locum tenere ſubſcriptionis.

„ ma viveret in memoria, & semper præsens esset in gratia . . .
„ Recedat omne infidelitatis ambiguum: quandoquidem qui auctor S. CÆSAR.
„ est muneris, ipse etiam testis est veritatis. Nam invisibilis Sa-
„ cerdos visibiles creaturas in substantiam Corporis, & Sanguinis
„ sui verbi sui secreta potestate convertit, ita dicens: *Accipite*,
„ *& comedite: hoc est corpus meum*; & sanctificatione repetita:
„ *Accipite*, *& bibite: hic est sanguis meus*. Ergo ex nutu præ-
„ cipientis Domini repente ex nihilo substiterunt excelsa Cælo-
„ rum, profunda fluctuum, vasta terrarum; pari potentia in spiri-
„ tualibus Sacramentis verbi præcipit virtus, & rei servit effe-
„ ctus . . . Cum reverendum Altare cibis satiandus ascendis, sa-
„ crum Dei tui Corpus, & Sanguinem fide respice, honore mira-
„ re, mente continge, cordis manu suscipe, & maxime haustu in-
„ teriore assume . . . Christi Corpus, Sacerdote dispensante, tan-
„ tum est in exiguo, quantum esse constat in toto. Quod cum
„ Ecclesia fidelium sumit, sicut plenum in universis, ita integrum
„ esse probatur in singulis . . . . Si forte esum panis esurientibus
„ apponeremus, non ex toto perveniret ad singulos, quia particu-
„ latim, & minutatim portionem suam unusquisque præsumeret.
„ De hoc vero pane, cum assumitur, nihil minus habent singuli,
„ quam universi; quia benedictio hujus Sacramenti scit distribui,
„ nescit distributione consumi . . . Nec dubitet quisquam primarias
„ creaturas nutu potentiæ, præsentia majestatis in Dominici cor-
„ poris transire posse naturam, cum ipsum hominem videat artifi-
„ cio cælestis misericordiæ Christi corpus effectum . . . Quid au-
„ tem mirum est, si ea, quæ verbo potuit creare, possit verbo
„ creata convertere (*a*) “?

Quam optime, catholiceque senserit S. Cæsarius de gratia, & libero arbitrio, melius exponere non valemus, quam canones referre II. Arausicani Concilii, habiti sub initio Julii anno 529. Ipse siquidem in eo Concilio inter Gallicanos Præsules primas habuit partes: immo, si Hincmaro fides, ipsi præfuit tanquam Sedis Apostolicæ Legatus (*b*). Hi autem sunt Canones. De Gratia, & libero arbitrio.

1. Siquis per offensam prævaricationis Adæ non totum, idest secundum corpus, & animam in deterius dicit hominem commutatum; sed animæ libertate illæsa durante, corpus tantummodo corruptioni credit obnoxium: Pelagii errore deceptus adversatur Scripturæ &c.

2. Siquis soli Adæ prævaricationem suam, non & ejus propagini asserit nocuisse; aut certe mortem tantum corporis, quæ pœna peccati est, non autem & peccatum, quod mors est animæ, per unum hominem in omne genus humanum transisse testetur; injustitiam Deo dabit, & contradicit Apostolo &c.

3. Siquis ad invocationem humanam gratiam Dei dicit posse con-
„ ferri;

(a) *Homil. 7. de Pasch. in Biblioth. PP. Tom. 8. pag. 825.*
(b) *Hinc. de Præd. cap. 12.*

[redacted] S. CÆSAR. ferri; non autem ipsam gratiam facere, ut invocetur a nobis, contradicit Isajæ Prophetæ, & Apostolo &c.

4. Siquis, ut a peccato purgemur, voluntatem nostram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus per Sancti Spiritus infusionem, resistit ipsi Spiritui Sancto per Salomonem dicenti: *Præparatur voluntas a Domino*; & Apostolo salubriter prædicanti: *Deus est, qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate.*

5. Siquis augmentum, ita etiam initium fidei, ipsumque credulitatis affectum . . . non per gratiæ donum . . . sed nobis naturaliter inesse dicit, Apostolicis dogmatibus adversarius adprobatur, & contradicit Apostolo &c.

6. Siquis sine gratia Dei credentibus, volentibus, desiderantibus, conantibus, laborantibus, vigilantibus, studentibus, petentibus, quærentibus, pulsantibus nobis dicit misericordiam conferri divinitus: non autem ut credamus, velimus, vel hæc omnia, sicut oportet, agere valeamus per infusionem, & inspirationem Sancti Spiritus confitetur . . . resistit Apostolo &c.

7. Siquis per naturæ vigorem aliquid, quod ad salutem pertinet vitæ æternæ, cogitare, ut expedit, aut eligere, sive salutari, idest evangelicæ prædicationi consentire posse confirmat absque illuminatione, & inspiratione Spiritus Sancti . . . hæretico fallitur spiritu.

8. Siquis alios misericordia, alios vero per liberum arbitrium, quod in omnibus, qui de prævaricatione primi hominis nati sunt, constat esse vitiatum, ad gratiam Baptismi posse venire contendit, a vera aberrat fide.

Qui sequuntur, Canones, ex D. August. *de Gratia* sunt desumpti.

9. Divini muneris est, cum & recte cogitamus, & pedes nostros a falsitate, & injustitia continemus. Quoties enim bona agimus, Deus in nobis, atque nobiscum, ut operemur, operatur.

10. Adjutorium Dei etiam renatis, & sanctis semper est implorandum, ut ad finem bonum pervenire, vel in bono possint opere permanere.

12. Tales nos amat Deus, quales futuri sumus ipsius dono, non quales sumus nostro merito.

18. Debetur merces bonis operibus, si fiant; sed gratia, quæ non debetur, præcedit, ut fiant.

19. Natura humana, etiamsi in illa integritate, in qua est condita, permaneret, nullo modo se ipsam, Creatore suo non adjuvante, servaret &c.

20. Multa Deus facit in homine bona, quæ non facit homo; nulla vero facit homo bona, quæ non Deus præstet, ut faciat homo.

22. Nemo habet de suo, nisi mendacium, & peccatum. Si quid autem homo veritatis, atque justitiæ, ab illo fonte est, quem debemus

bemus sitire in hoc eremo, ut ex eo quasi guttis quibusdam irrorati non deficiamus in via (1). S. CÆSAR.

Patres Arausicani Concilii timentes, ne hæresis Prædestinatiana abuteretur hisce Canonibus adversus Pelagianos constitutis (2), ut hunc non minus perniciosum convellerent errorem, addiderunt: Hoc etiam salubriter profitemur, & credimus, quod accepta per Baptismum gratia, omnes baptizati, Christo auxiliante, & cooperante, quæ ad salutem humanam pertinent, possint & debeant, si fideliter laborare voluerint, adimplere. Aliquos vero ad malum divina potestate prædestinatos esse non solum non credimus; sed etiam, si sunt, qui tantum malum credere audent, cum omni detestatione illis anathema dicimus. S. Cæsarius, aliique tredecim Episcopi hisce Canonibus subscripsere die tertia Julii. S. Bonifacius II. Papa illos confirmavit, utpote qui saltem ex parte desumpti ex pluribus articulis a Felice Papa ad S. Cæsarium missis.

De nonnullis ad mores, & disciplinam pertinentibus.

S. Cæsarius inter peccata venialia hæc enumerat: „ Si quis in „ cibo, aut potu plus accipiat, quam necesse sit; si quis plus lo„ quatur, quam oportet; si quis pauperem importune petentem „ exasperet; siquis somno deditus tardius ad Ecclesiam surgit; „ siquis, excepto desiderio filiorum, uxorem suam cognoverit; „ siquis in carcere clausos, vel in vinculis positos tardius requisie„ rit; si infirmos tardius visitaverit; si quis discordes ad concor„ diam revocare neglexerit; si quis in Ecclesia, aut extra Eccle„ siam fabulis otiosis se occupaverit (*a*) “. Dicit: „ Cum quis „ infirmatur, suscipiat Corpus, & Sanguinem Christi, & oleo „ infirmorum ungatur ad sanitatem corporis, & animæ “. Ex quo apparet, tunc temporis in more fuisse, Viaticum Extremæ Unctioni præmittere. Detestatur S. Episcopus illorum insaniam, qui (*b*) „ sumunt formas adulteras, species monstruosas . . . qui „ cerullam facientes in ferarum se habitum commutant (3) “. Unde exordium sumpsit consuetudo personarum, quæ & nunc inter Christianos turpiter viget. Detestatur etiam abusum recenter invectum illorum, qui in fine prandii pluries bibebant in honorem Angelorum, & Sanctorum (*c*). Mos erat, ut „ omnes vi„ ri,

---

(1) Ad hujus Canonis rectam intelligentiam non uni fidas Tournelyo ab Auctore citato; sed vide Contensonium, Maussolié, Berti, aliosque Theologos D. Augustini, & Thomæ germanos discipulos.

(2) Non ut Prædestinatianæ hæresi se opponeret, ea statuit Concilium, cum Prædestinatiana hæresis juxta plurium Theologorum doctrinam nunquam extiterit; sed ut veram Ecclesiæ doctrinam dilucide exponeret.

(a) *Serm. 37. in ord. 109. n. 3. pag.* 185.

(b) *Serm. 129. n. 2. pag.* 233.

(3) Gentiles sub finem Decembris, vel initium Januarii festum celebrabant Dei Mithras dicti; & varias animalium personas sumebant, quasi Zodiaci Constellationes repræsentaturi.

(c) *Homil. 6. int. Baluz.*

S. CÆSAR.

„ ri, quando ad Altare accessuri erant, lavarent manus suas; & „ omnes mulieres exhiberent nitida linteamina, ubi Corpus Chri- „ sti acciperent (*a*)".

Ex duobus sermonibus in Litanias apparet, tres Rogationum dies jam obtinuisse in omnibus Orbis Ecclesiis, & habitos tamquam dies sanctos, spirituales, & animabus nostris medicinales (*b*). Sic erant transigendi: „ Nemo in istis tribus diebus sanguinem „ tollat, aut potionem accipiat . . . Conviviola etiam nobis qua- „ dragesimali ordine præparemus, & magis legendo, psallendo, „ vel orando animabus nostris spirituales epulas, quam corporales „ delicias requiramus (*c*)". Plures habebantur Collectæ, a quibus se subtrahere nemini licebat (*d*).

Illos docet ad Communionem accedere minime debere, qui immundum quidpiam etiam præter voluntatem, & in somnis passi sunt, nisi prius illud coram Deo detestentur, & se emundent vel eleemosynis, vel jejunio, si per sanitatem liceat. Illos vero, qui vino dediti sunt, hortatur, ut paulatim se emendent; & vitium, ut pedetentim invectum est, ita & expellatur (*e*). Et aliquos dicentes: „ Ego regnum Dei nolo; æternam tantum requiem ob- „ tinere desidero", sic redarguit: „ Nemo se decipiat, Fratres: „ duo enim loca sunt; & tertius non est ullus... Qui cum Chri- „ sto regnare non meruerit, cum Diabolo absque ulla dubitatione „ peribit (*f*)".

ARTICULUS QUARTUS.

Asceticæ Vitæ spiritualia documenta.

Carnales consuetudines deserendæ, Christique vestigiis inhærendum.

I. QUOD tunc in Abraham corporaliter legimus factum, spiritaliter in nobis videmus impletum: *Egredere*, inquit illi Dominus, *de terra tua*, & *cognatione tua*, & *de domo patris tui*. Hæc omnia per Sacramentum Baptismi in nobis & credimus, & sentimus impleri. Terra nostra caro est: bene de terra nostra egredimur, quando carnales consuetudines deserentes Christi vestigiis inhæremus . . . De cognatione nostra egredimur, quando per gratiam Baptismi omnibus peccatis & vitiis vacuamur . . . . Bene diabolum patrem relinquimus, si Deo auxiliante, calliditates & ne-

(a) *Serm.* 52. *in ord.* 229. *n.* 5. *pag.* 376.
(b) *Serm.* 47. *in ord.* 173. *n.* 1. & 2. *pag.* 296.
(c) *Ibidem.*
(d) *Serm.* 48. *in ord.* 174. *n.* 3. *pag.* 299.
(e) *Serm.* 91. *in ord.* 295. *pag.* 493.
(f) *Ibid. n.* 5. *pag.* 495.

& nequitias illius vitare ſemper vel fugere ſtudeamus. (*Append. Serm.* 3. *S. Aug. Tom.* 5. *Oper. S. Aug.* 1683.) S. CÆSAR.

II. Diabolus non perſequitur niſi bonos, malos enim, luxurioſos, cupidos & ſuperbos perſequi Diabolus non conſuevit: amici enim ſunt ſui, & ſemper voluntatem illius faciunt. (*Ibidem Serm.* 17.) *Diabolus non perſequitur niſi bonos.*

III. Sicut enim quoties nimio frigore aqua conſtringitur, ſolis calore superveniente reſolvitur, & diſcedente eodem ſole iterum obduratur: ita nimirum peccatorum frigore refrigeſcit charitas multorum, & velut glacies obdurantur; & cum eis iterum calor divinæ miſericordiæ ſupervenerit, reſolvuntur; ille utique calor, de quo ſcriptum eſt: *Non eſt qui ſe abſcondat a calore ejus*. (*Ib. Serm.* 22.) *Charitatis effectus.*

IV. De iſtis rebus, quæ ſunt Deo notæ & nobis incognitæ, periculoſe noſtros proximos judicamus. De ipſis enim Dominus dixit: *Nolite judicare, ut non judicemini*. De illis vero, quæ aperta ſunt & publica mala, judicare & redarguere, cum charitate tamen & amore, & poſſumus & debemus; odio habentes non hominem, ſed peccatum. (*Ibid. Serm.* 66.) *Periculoſe ſemper proximos judicamus.*

V. Virgines, quæ integritatem corporis, Deo auxiliante, cuſtodiunt, totis viribus cum Dei adjutorio laborare contendant, verboſitatem fugere, detractionem, vel murmurationem. Velut Diaboli venena reſpuere, invidiæ ſuperbiæque morbum quaſi hoſtis gladium pertimeſcere, obedientiam humiliter cuſtodire, nunquam ſenioris præcepta contemnere, lectioni & orationi inſiſtere; ſi infirmitas non prohibet, ad vigilias cum omni alacritate conſurgere, ſive in oratorio, ſive in alio quolibet loco. (*Ibid. Serm.* 79.) *Virginum officia, & virtutes.*

VI. Juſtitia vera & perfecta, ipſa eſt quæ non facit aliis quod ſibi non vult... Quæ omnibus hominibus quod ſibi vult optat... Quæ pro amore Dei, non ſolum amicos, ſed etiam ipſos diligit inimicos. (*Ibid. Serm.* 89.) *Perfecta juſtitia in quo conſiſtat.*

VII. Purgatorius ignis durior erit quam quidquid poteſt in hoc ſæculo pœnarum aut cogitari, aut videri, aut ſentiri. (*Ibid. Serm.* 104.) *Ignis Purgatorii rigor.*

VIII. Quotieſcumque aut dies Natalis Domini, aut reliquæ feſtivitates adveniunt, ante plures dies, non ſolum ab infelici concubinarum conſortio, ſed etiam a propriis uxoribus abſtinete. Ab omni iracundia vos alienos efficite; peccata præterita per eleemoſynam & pœnitentiam redimantur . . . ſed dicit aliquis: *Ergo amicos aut parentes non debeo ad convivium invitare*. Rogandi ſunt & parentes & vicini, ſed rarius rogandi ſunt; & non nimis ſumptuoſa & delicioſa, ſed tam parca & ſobria vel honeſta illis debent convivia præparari, ut remaneat unde poſſint pauperes reſici, unde poſſit aliquid indigentibus erogari. (*Ibid. Serm.* 116.) *Quid adveniente feſtivitate faciendum.*

IX. Sic jejunemus ut prandia noſtra pauperibus erogentur; ut quod pranſuri eramus, non in noſtris ſacculis, ſed in viſceribus pauperum reponamus. (*Ibid. Serm.* 142.) *Pauperibus dandum, quod jejunando non inſumimus.*

X. Non ſolum Martyres, ſed etiam ipſum Dominum cum ipſius adjutorio, ſi volumus, poſſumus imitari. (*Ibid. p.* 225.) *Non ſolum martyres, ſed etiam Chriſtum poſſumus imitari.*

XI.

S. CÆSAR.

Poteſt quis a jejunio excuſari, at ab amando Deo nullus poteſt.

XI. Poteſt aliquis dicere, non poſſum jejunare, non poſſum vigilare. Numquid poteſt dicere, non poſſum amare? Poteſt dicere, non poſſum res meas totas pauperibus donare, & in Monaſterio Deo ſervire: numquid poteſt dicere & non poſſum diligere? (*Ibidem*.)

Non ſufficit malum declinare, ſed bonum etiam faciendum eſt.

XII. Ipſi ſoli ſufficit talem eſſe, qualis de Baptiſmi Sacramento proceſſit, qui ſtatim poſt acceptum Baptiſmum de hac luce migraverit, non habuit ſpatium in quo ſe bonis operibus exerceret; ille vero qui & longum tempus vivendi, & ætatem poſſe bene operandi habuit, non ei ſufficit otioſum eſſe a malis, ſi etiam a bonis voluerit eſſe otioſus. Per Baptiſmum enim vacuati ſumus ab omnibus malis; ſed Dei gratia bene agendo debemus repleri omnibus bonis: ne forte ſi ſine operibus bonis de ſolius Baptiſmi Sacramento confidimus, ſpiritus immundus qui de nobis, per gratiam Chriſti expulſus eſt, revertatur; & ſi nos a bonis operibus invenerit vacuos, adducat ſecum ſeptem ſpiritus nequiores ſe, & fiant noviſſima noſtra pejora prioribus. (*Ibid. Serm.* 263.)

Symbolum & oratio domin. memoriter addiſcenda, ac filiis tum carnalibus, tum ſpiritualibus tradenda.

XIII. Symbolum vel Orationem Dominicam & ipſi tenete, & filiis veſtris oſtendite . . . . filios, quos in Baptiſmo excipitis, ſcitote vos fidejuſſores pro ipſis apud Deum extitiſſe: & ideo tam illos, qui de vobis nati ſunt, quam illos, quos de fonte excipitis, ſemper caſtigate atque corrigite, ut caſte, juſte & ſobrie vivant. Et vos ipſos ita agite, ut ſi vos filii veſtri imitari voluerint, non vobiſcum in igne ardeant, ſed ſimul vobiſcum ad præmia æterna perveniant. (*Ibid. Serm.* 265.)

Quid agendum die dominico.

XIV. Omni die Dominico ad Eccleſiam convenite. Si enim infelices Judæi tanta devotione celebrant Sabbatum, ut in eo nulla opera terrena exerceant, quanto magis Chriſtiani in die Dominico ſoli Deo vacare, & pro animæ ſuæ ſalute debent ad Eccleſiam convenire? Quando ad Eccleſiam convenitis, pro peccatis veſtris orate... In Eccleſia ſtantes nolite verboſari, ſed lectiones divinas patienter audite. (*Ibidem*.)

Dilectio inimicorum non ſolum conſilium eſt, ſed etiam præceptum.

XV. Si non habes peccatum quod non tibi indulgeat Deus, licet tamen forte, potes dicere quod non velis indulgere proximo tuo. Si vero incomparabiliter plus peccaſti in Deo, quam in te peccaverit homo, quare, jubente Domino, non dimittis parum, ut tibi Deus dignetur dimittere multum? (*Ibid. Serm.* 274.)

Quomodo Miſſa audienda.

XVI. Qui vult Miſſas ad integrum cum lucro animæ ſuæ celebrare, uſque quo Oratio Dominica dicatur & benedictio populo detur, humiliato corpore & compuncto corde ſe debet in Eccleſia continere. (*Ibid. Serm.* 281.)

Quid a Deo petendum omni tempore.

XVII. Hoc ſemper & pro nobis & pro omnibus aliis ſupplicemus, ut nobis Deus hoc dignetur concedere, quod novit noſtræ animæ convenire: ante omnia Orationem Dominicam in oratione dicamus, quia ſine dubio libenter orationem exaudit, quam ipſe pro ineffabili ſua benignitate inſtituit. (*Ibid. Serm.* 283.)

Sunt multi pauperes ſuperbi, & multi divites humiles.

XVIII. Multi ſunt pauperes iracundi, cupidi, ſuberbi, luxurioſi, quibus nihil prodeſt quod facultatibus ſunt indigentes, cum vitiis

tiis & malis moribus ſint locupletes; & multi ſunt divites, humiles & manſueti. (*Ibid. Serm.* 296.)

S. CÆSAR.

XIX. Incomparabiliter plus eſt quod pro paupere recipis, quam id quod pauperi largiris. Attende & vide nummum & regnum. Quid ſimile das pauperi? Das nummum, & a Chriſto recipis regnum; das buccellam, & a Chriſto recipis vitam æternam; das veſtimentum, & a Chriſto recipis remiſſionem peccatorum. (*Ibid. Serm.* 305.)

Plus eſt, quod pro paupere recipimus, quam id quod ei damus.

XX. Vos non ſolum ſuavitas vocis, ſed etiam ſenſus ipſius lectionis teneat occupatos, ut quomodo ſonus vocis delectat in auribus, ſic virtus ipſius lectionis dulceſcat in cordibus. (*Ibidem Serm.* 284.)

Dum pſalmos recitamus, eorum ſenſum penetrare debemus.

XXI. Sermo quaſi ſpeculum propoſitum; & ideo quomodo matrona, quando ſpeculum attendit, in ſe potius quod tortum vidit corrigit, & non ſpeculum frangit; ita & unuſquiſque veſtrum quoties in aliqua prædicatione cognoſcit fœditatem ſuam, juſtum eſt ut magis ſe corrigat, quam contra prædicatorem velut contra ſpeculum iraſci. (*Ibid. Serm.* 288.)

Sermo eſt quaſi ſpeculum, in quo vitia noſtra inſpicienda ſunt.

FINIS TOMI SEXTI.

